



QVÆSTIONVM PHILOSOPHICARVM.

SYLVESTRI MAVRI SOCIETATIS IESV.

LIBRI QVINQVE.

QVÆSTIONVM PHILOSOPHICARVM

SYLVESTRI MAVRI SOC. IESV


LIBER PRIMVS.


Continens primam partem Logicæ


Hoc est Summulas, Quęstiones procemiales ad Philosophiam, & scientias, & quæstiones de Vniuersalibus in communi.

Editio Secunda.

In qua additæ Sunt Summulæ.







Romæ, Typis Michaelis Herculis. 1670.

Superiorum permissu.

Sumptibus Federici Franzini, sub Signo Fontis, cũ priuilegio Summi Pontif.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sal. Pal. Ap.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur iterum.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.

PRINCIPI

BENEDICTO

PAMPHILIO

Federicus Franzinus felicitatem.



E mirere, Excellentiſſime Princeps, quod ego Tibi fortaſse vix notus Te potiſſimùm elegerim, in cuius nomine apparerent Philoſophicæ P. Sylueſtri Mauri Commentationes, quę flagitantibus plurimis, me procurante auctæ, & elegantioribus typis expreſſæ iterum publicæ luci donantur. Expertus ſiquidem olim mihi fauſtiſſimum Pamphiliæ Gentis patrocinium, cum Parenti tuo Optimo Principi, qui nunc, vti ſperare fas eſt, Cęlo degit, conſecrarem celeberrimas Franciſci Card. Toleti Lucubra-

tiones, quibus ad ſua munera rite peragenda Sacerdotes informat, rectè me huius Operis felicitati conſulturum putaui, ſi Te illi Patronum adoptarem. Quod ſi Patroni dignitas tutelare veluti ſydus doctis hiſce laboribus plurimum conferre creditur, habeo profecto in præclariſſimis animi tui dotibus, quo confirmem conſilium meum. Quantus enim appares Adoleſcens Nobiliſſime, qui ampliſſimæ fortunæ, in qua natus es quodammodo oblitus in id totus incumbis, vt morum innocentia, ſapientiæ ſtudio, & virtutum exercitatione, patrimonium generoſæ mentis amplifices. Quare cum ſis indole, ingenioque doctrinæ, laudiſque quantumlibet magnæ capaci, vt ex ijs, qui te intimè norunt, non ſemel accepi, reddendos olim per Te Orbi terrarum Paternos Pamphiliæ, & mater-

nos

nos Aldobrandinæ Gentis inclytos Proauos iure ominamur. Et quid ni ominemur, dum Tui nobis occurrunt candidissimi mores, ab omni non tantum labe, sed etiã ab omni suspicione labis intacti. Dum cũ quodã voluptatis sensu recolimus quãta cõtentione in Collegij Romani exedris certares, vt cum inter Principes Romanæ Iuuentutis numerareris in primis, nulli esses in Schola doctrinæ laude secundus. Quã celeres, quam faciles habueris in amœnioribus literis progressus Musarũ in sinu adolescens, & occupato propemodum Parnassi vertice ea ætate, qua cæteri ad radices infeliciter hærent; Aures adhuc iucundissimè feriunt plausus, quibus non semel exceptus es dum carmina, quæ ingeniosissimè scripseras in nobili Auditorum panegyri cum summa actionis dignitate redderes. Au-

dio iam te poſt luſtratos naturæ receſſus, altiſſima diuinitatis arcana meditari, vt doctrinarum omnium fontibus inundatus plenum ſapientia pectus afferas, ſi quando ad Rempublicam tuam te merita cogent accedere; Sed quamuis tanta bonarum artium in te ſitis exæſtuet, longè maior eſt nobilis impetus, quo ad Chriſtianas virtutes audio te ferri, vt enim in præſentia ſileam modeſtam illam morum ſuauitatem, qua rapis animos, miram in Iuuene huius ætatis prudentiam, quæ tibi ſua ſponte natura contulit; quanta ſunt illa cæleſtis gratiæ munera, ob quæ vel vitæ ſanctioris profeſſoribus pro miraculo es. Quam liberaliter ſtatas, ac certas eleemoſinas in pauperes erogas; quam humaniter in carcere detentos, qua voce, qua miniſterio, qua cibo tuis ſumptibus præparato recreas; quã ſæpè

in publicis valetudinarijs infimæ ſeruitutis officia ægrotis exhibes, languentium lectulos ſingillatim obeundo, fercula in os non rarò ingerendo, quin & ipſos iã letho proximos ad ſupremam luctam cæleſtibus monitis, & precibus muniendo; quam religiosè celebriora ſeptem Vrbis Templa, & triumphalia Martyrũ ſpelea frequentas; Quantopere diuini congreſſus, & conſuetudinis aſſiduitate delectaris; Quanto cũ ſenſu cæleſtis voluptatis pijs vel ſermonibus, vel lectiunculis ſæpè detineris; Quam frequenter animum contractis labeculis eluis, vt Angelorum eſca fruaris. Norunt præterea qui tecum in primario Rom. Collegij ſodalitio ſub ſignis Virginis ſtudiosè merent quam eximio pietatis ſtudio erga Dei parentem tenearis, quo ſenſu altiſſimæ demiſſionis humiliora cætus illius munera ambiẽ-

do colere ſoleas. Verum ego dicendi finem nnllum facerem, niſi tua me moneret modeſtia ęquius eſſe me cogitare, quid aures tuæ ferre poſſint, quam quid virtutibus debeatur; Et quæ hucuſque dicta ſunt, ſatis, vt puto, oſtendunt quam merito huic operi à te patrocinium, & gloriã quęſierim. Quod profecto illi deberi tu etiã optime Princeps fatebere, dignũque quod tui nominis luce ſplendeſcere patiaris, ſi oculos in Authorẽ conieceris P. Pallauicino, quem in Philoſophia priuatim audiſti, ſtudiorum, & voluntatum ſimilitudine tota vita coniunctiſſimum; me autem clientem dediſſimum tibi pro tua humanitate exiſtimabis, vt qui non iniucundum, vt ſpero, munus obtulerim. Vale.

CLE-

CLEMENS PP. X.

AD futuram Rei Memoriam. Cum ſicut dilectus filius Federicus Franzini Romanus Bibliopola Nobis nuper exponi fecit ipſe Opera muſicalia nempe mottetta, Pſalmos, & alia à dilecto filio Nicolao Stamigna in lucem edenda, nec nõ opus in plures tomos diſtinctum, cuius titulus Philoſophia Sylueſtri Mauri Presbyteri Societatis Ieſù cum nouis additionibus ſua impenſa typis in hac alma Vrbe noſtra mandari facere intendat; vereatur autem ne poſtquam in lucem prodierint, alij, qui ex alieno labore lucrum quęrunt eadem opera imprimi facere curent in ipſius Exponentis præiudicium. Nos eius indemnitati ne ex impreſſione huiuſmodi Aliquod diſpendium patiatur prouidere, illũq; ſpecialibus fauoribus, & gratijs, proſequi volentes, & à quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latæ, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectũ præſentiũ tãtum conſequendum harum ſerie abſoluen & abſolutũ fore cenſentes. Supplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Eidem Exponenti vt durãte decennio à primęua dd. operum & eorum cuiuslibet reſpectiuè impreſſione cõputan-

 do,

do dũmodo tamen à dilecto filio Sac. Pal. Apostol. Magist. approbata fuerint, nemo tam in Vrbe, quam in reliquo Statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis subiecto opera prędicta etiam sub prętextu additionum, distinctionum, alteriusue formæ, vel tituli sine speciali dicti Expotentis, aut ab eo causam habentium licentia, imprimere, aut ab alio, vel alijs impressa vendere, seu venalia habere, aut proponere possit, & valeat opera auctoritate tamen pręsētiū cōcedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vtriusq; sexus Christifidelibus, præsertim librorum impressoribus, & Bibliopolis sub quingentorum ducatorum de Camera, & amissionis typorum omnium pro vna Cameræ nostrę Apostolicę, & pro alia eidē Exponenti, ac pro reliqua tertiis partibus accusatori, & Iudici exequēti irremissibiliter applican. & eo ipso absque vlla declaratione incurren. pęnis, ne dicto decēnio durante opera tota, aut aliquā eorū partem tàm in Vrbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico poterit sine licentia huiusmodi imprimere, aut ab alio, vel alijs impressa vendere, seu venalia habere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandan prætereа dilectis filijs nostræ, & Apostolicę Sedis de latere Legatis, seu eorū Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Ciuitatum,

tum, Terrarum, & locorum Status nostri Ecclesiastici prędicti quatenus eiusdem Exponenti seu ab eo causam habēti prædictis in premissis efficacis defensionis præsidio assistēte quandocumq: ab eodē Exponente fuerunt requisiti pœnas prætensas contra quoscunque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis ac quibusuis statutis, & consuetudinibus etiā iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis priuilegijs quoque inductis, & literis apostolicis in communi pręmissorum quemlibet concessis, confirmatis, & innouatis cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt pręsentium transumptis etiam in ipsis impressis operibus manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutę munitis eadem vbique fides adhibeatur quę præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris Die xxj. Iunij MDCLXX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Io. Slutius.

IOAN-

IOANNES PAVLVS OLIVA
Præpositus Generalis
Societatis Iesu.

CVM Quæstiones Philosophicas *P. Syluestri Mauri Nostræ Societatis Sacerdotis tres eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt iterum typis mandentur cum Summularum additione, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Dat. Romæ* 29. *Iunij* 1670.

Io. Paulus Oliua.

INDEX

INDEX

Capitum, & quæſtionum

Libri Primi.

C. 14.

De No-

Tractatus secundus de Propositione.

Tractatus Tertius de syllogismo.

Quęstiones de Vniuersalibus.



QVAE-

SVMMVLAE, ſeu Logica breuis.

PROOEMIVM.

De neceſſitate Summularum. Cap. I.



VMMVLAE ſunt ſumma quædam, ſeu compendium logicæ. Sicut enim pictores figuram prius delineant, deinde coloribus additis perficiunt, ac abſoluunt; ſic nos logicam ruditer delineamus in ſummulis, perfectiorem deinde ac abſolutiorem in quæſtionibus tradituri.

Porro neceſſe eſt logicæ perfectæ ſummulas præmittere, ſeu logicam imperfectam. Ratio eſt, quia logica eſt inſtrumentum ſcientiarum, & ideo neceſſaria eſt ad ſcientias perfectè acquirendas, eo pacto, quo malleus eſt inſtrumentum artis fabrilis, & eſt neceſſarius ad facienda opera talis artis. Ex alia parte ſicut malleus perfectus eſt opus artis fabrilis, quod effici non poteſt niſi per alium malleum ſaltem imperfectum; ſic perfecta logica eſt ſcientia, quæ comparari non poteſt niſi adiutorio alterius logicæ imperfectæ. Sicut ergo ad conficiendum primum malleum perfectum debuit artifex prius con-

ficere alium malleum imperfectum ex ferro ruditer elaborato, cuius deinde adiutorio malleum perfectum confecit; ſic nos ad comparandam perfectam logicam debemus acquirere prius in ſummulis aliam logicam imperfectam,& rudem, quæ nos iuuet ad perfectam acquirendam.

Quid ſit Logica. Caput. II.

VT rudem hanc logicam tradamus explicandum eſt prius, quid ſit logica Logica *eſt ars directiua actuũ rationis, ſeu operationum intellectus.* Dirigit autem actus rationis tradendo præcepta, & regulas quaſdam, quibus actus rationis facilè, ordinatè,& abſque errore fiant. Vt enim primo metap. Ariſtoteles aduertit, & ex eo S. Thomas in primum poſter. lect. prima,cætera animalia exercent ſuas operationes ex quodam inſtinctu naturæ ſine arte, & ſine certo iudicio rationis; ex gr. ex quodam inſtinctu naturæ,ac ſine vlla arte vulpes gallinis inſidiatur; araneus texit ſua retia ad muſcas venandas; cuius rei ſignum eſt quod animalia eiuſdẽ ſpeciei vniformiter ab initio mundi, & vbique locorum tales actus exercent. At homines faciunt ſuos actus ex arte, & ex certo iudicio rationis, ideoque ad diuerſos actus humanos exercendos diuerſas

artes

artes diuerſis temporibus , & locis ſunt inuentæ , & à diuerſis hominibus varijs modis exercentur . Sicut ergo homo ratiocinando circa motum pedum inuenit , artem ſaltatoriam, quæ tradit præcepta, & regulas quibus facile , ordinate , & concinne pedes moueantur in ſaltibus , & choreis;ratiocinando circa actus manuũ inuenit ædificatoriam,& fabrilem , atque alias artes manuales tradentes regulas facile,& ordinatè mouendi manus in ordine ad ædificandum,& alia opera manualia exercenda ; ſic ratiocinando circa actus rationis,& intellectus inuenit artem logicam , ſeu rationalem tradentem regulas ordinatè ; & ſine errore exercendi actus rationis , præſertim in ordine ad ſcientias acquirendas

Hæc autem facultas vocatur rationalis non ſolum quia exercetur per rationem ; quod eſt commune omnibus artibus , ſed etiam quia verſatur circa actus rationis tanquam circa proprium obiectum , & materiam . Sicut enim ſaltatoria verſatur circa motum pedum , ſic logica circa actus rationis .

Tanto igitur logica præſtat dignitate cœteris artibus quanto actus rationis præcellunt cœteris operationibus, & actibus omnium aliarum potentiarum , ideoque merito dicitur ars artium , quia

verſatur circa actus rationis,à quibus procedunt cœteræ artes.

De tribus operationibus intellectus. *Caput. III.*

QVoniam logica verſatur circa actus rationis, hoc eſt circa operationes intellectus,explicandum quot, & quæ ſint operationes intellectus.

Tres ſunt operationes intellectus; ſimplex apprehenſio,iudicium immediatum, & diſcurſus.

Simplex apprehenſio eſt *intellectio, qua ita percipimus obiectum,vt nihil de illo affirmemus,vel negemus per talem actum*: vt cum dico *Petrus*, nihil de illo affirmans, aut negans.Vocatur apprehenſio,quia intellectusper illã quaſi per manũ apprehendit obiectum,& ponit illud in ſe.Poſſumus per ſimplicem apprehenſionem cognoſcere non ſolum res ſimplices,ſed etiam compoſitas,& integram propoſitionem: ex. gr.ego per ſimplicem apprehenſionem cognoſco propoſitionem iſtam *Aſtra ſunt paria*,& neque affirmo quod ſint paria, neque nego: et cum quis legit aliquam hiſtoriam dubitans de eius veritate apprehendit totam hiſtoriam nihil de eius veritate affirmando,vel negando. Dum ergo Ariſtoteles vocat primam apprehen-

ſionem

sionem *intelligentiam simplicium, vel incomplexorum*, nomine simplicium intelligit quæ per talem actum neque affirmantur, neque negantur.

Secunda operatio, seu iudicium immediatum est *intellectio qua affirmamus, aut negamus aliquod obiectum, quod innotescit per se ipsum*; vt cum dico *omne totum est maius sua parte*; per se enim innotescit veritas talis propositionis. Vocatur compositio, vel diuisio, quia per illam prædicatum vel componitur cum subiecto affirmando, vel diuiditur ab illo negando.

Tertia operatio est, *per quam intellectus ab affirmatione vel negatione alicuius per se noti procedit ad affirmationem, vel negationem alterius per se ignoti*, vt cum videns fumum, & non ignem, dico *ex camino prodit fumus; ergo intra domum est ignis*. Tunc est mihi notum per se, & immediatè quod prodit fumus, cum fumum videam, quod verò intra domum sit ignis mihi est ignotum, cum ignem non videam: ex fumo verò per se noto venio in cognitionem ignis ignoti. Dicitur discursus, quia intellectus quodammodo currit ex veritatibus per se notis ad ignotas.

In hoc negotio trium operationum intellectus imitatur iudicem. Sicut enim prius iudex causam audit, deinde fert sententiam absolutoriam, vel condemna-

toriam; sic intellectus prius apprehendit obiecta, deinde de illis fert sententiam affirmatiuam, vel negatiuam. Præterea sicut iudex cũ id, de quo agitur est ambiguum, examinat testes fide dignos, & rationes pro vtraque parte, & deinde fert sententiam pro ea parte, quam suadent testes, & rationes; sic intellectus cum occurrit aliquid, quod secundũ se est ignotũ, quærit veritates per se notas, & deinde fert iudicium de ignotis secundum connexionem, quam habent cum veritatibus per se notis.

Possunt operationes intellectus aliter diuidi, sed allata diuisio est adæquata, & sufficiens ad præsens institutum. Quod sit adæquata probatur, quia comprehendit omnes operationes intellectus. Quælibet enim intellectio vel est iudicatiua, vel non; si non est iudicatiua, est apprehensio; si est iudicatiua, vel immediate, vel mediate: si immediatè, est secunda operatio, si mediatè, est tertia; ergo nulla est operatio intellectus, quæ non reducatur ad aliquam ex tribus assignatis.

Obijcies: cum quis dubitat, suspicatur, vel admiratur, exercet aliquem actum intellectus; sed dubium, suspicio, & admiratio non reducuntur ad vllam ex tribus; ergo &c.

Respondetur concedo maiorem, & ne-

go

gó minorem: dubium enim eſt *ſimplex apprehenſio alicuius quæſtionis relinquens intellectum ita libratum, vt neque inclinet ad affirmandum, neque ad negandum*: vt cum proponitur an aſtra ſint paria; intellectus remanet dubius, quia neque inclinatur ad affirmandum, neque ad negandũ quod aſtra ſint paria.

Suſpicio eſt *ſimplex apprehenſio inclinans intellectum ad vnam partem contradictionis*: ex.gr. cum ego ſuſpicor Petrum commiſiſſe homicidium, ita apprehendo hoc obiectum, vt incliner ad credendum, quod verè commiſit.

Admiratio eſt *apprehenſio cauſæ latentis, & ignotæ alicuius effectus de nouo occurrentis intellectui*: ex.gr. cum Indi viderunt primo explodi tormenta bellica, mirati ſunt, quia apprehenderunt cauſam latentem, & ignotam tanti effectus, quem primo viderunt; cum verò nos audimus explodi bellica tormenta, non miramur; tum quia ille effectus non occurrit de nouo; tum quia ſcimus cauſam; ideo admiratio eſt filia ignorantiæ, & mater ſapientiæ: naſcitur enim ex ignorantia cauſæ; generat verò curioſitatem ſciendi talem cauſam, ex qua curioſitate naſcitur ſtudium, & inueſtigatio, ac inuentio cauſæ, quæ ſcientia eſt. Patet ex his omnes actus intellectus reduci ad tres operationes enumeratas.

Est etiam allata diuisio sufficiens ad præsens institutum. Enumerantur enim operationes intellectus ad hoc, vt logica possit de ijs tradere sua præcepta. Sufficit autem vt prius tradat præcepta de ijs, quæ spectant ad primam operationem, deinde de ijs quæ ad secundam; demum de ijs, quæ spectant ad tertiam. Et quia ad primam præcipuè spectant termini; ad secundam propositio, seu enunciatio, in qua termini inuicem componuntur, & diuiduntur; ad tertiam syllogismus, ad quẽ diriguntur reliqui discursus; ideo de tribus istis est nobis differendum.

TRACTATVS PRIMVS DE TERMINIS

Quid sit Terminus. Caput. IV.



TERMINVS definitur ab Aristotele primo prior. cap. primo: *Terminus est, in quẽ resoluitur propositio tanquam in prædicatum, vel subiectum.* Vt intelligatur definitio explicandum est, quid sit propositio, quid prædicatum, quid subiectum, & quid sit resolutio propositionis.

Propositio ex Aristotele ibidem, est

vnius de altero affirmatiua, aut negatiua oratio: ex gr. cum dico *Petus est doctus*, facio propositonem affirmatiuam, cum dico *Petrus non est doctus*, facio propositionem negatiuam.

Tres sunt ergo partes propositionis: predicatum, quod est id, quod affirmatur de aliquo: subiectum, quod est id, de quo alterum affirmatur; & copula quæ est ipsa affirmatio, vel negatio: ex. gr. in hac propositione: *Petrus est doctus*: *Petrus* est subiectum, *doctus* prædicatum, & particula *est* copula.

Resolutio propositionis est *assignatio eorum, quæ in propositione componuntur, aut diuiduntur per affirmationem, aut negationem*. Dum ergo dicitur *terminus est in quem resoluitur propositio*: sensus est terminus est quod in propositione componitur per affirmationem, aut diuiditur per negationem.

Collige primo cur ea, quæ in propositioue componuntur, aut diuiduntur, vocentur termini. Ratio est, quia terminant compositionem, aut diuisionem.

Collige secundo in propositione dari duos saltem terminos. Ratio est, quia compositio, aut diuisio saltem est compositio, aut diuisio duorum. Neque enim idem componi potest cum se ipso, vel à se ipso diuidi. Verum quidem est, quod aliquan-

do verbum significat copulam simul, & prædicatum. Cum enim dico *Petrus currit*, sensus est, *Petrus est currens*; cum dico *Petrus existit*, sensus est, *Petrus est existens*.

Collige tertio casus obliquos non esse terminos: ex:gr. cum dico *Petrus est filius Franc sci* ly *Francisci* non est terminus, quia non componitur cum alio termino, sed solum est obliquum recti, quod quia componitur, est terminus.

Collige quarto illud quod actu terminat compositionem, vel diuisionem esse terminum actu, illud verò quod actu non terminat, sed potest terminare, non esse terminum actu, sed solum potentia.

Ex duobus terminis seu extremis propositionis prædicatum vocatur maius extremum, subiectum vocatur minus extremum.

Ratio prima huius rei est, quia prædicatum fungitur nobiliori, & principaliori munere. Cum enim quæro ex. gr. an homo sit risibilis, habeo cognitionem subiecti, hoc est hominis valde imperfectam, & quæro cognitionem prædicati, vt per ipsam perficiam, & clarificem cognitionem subiecti; ergo cognitio prædicati quæritur vt perfectiua cognitionis subiecti; sed perfectior, & nobilior est ratio perfectiui, & dantis perfectionem, quam ratio perfectibilis, & accipientis perfectionem;

ctionem; ergo ratio prædicati nobilior est quam ratio subiecti.

Secunda ratio est, quia prædicatum connaturaliter exigit esse maius,& latius patens,quam subiectum, vel saltem non minus subiecto : subiectum è contra connaturaliter exigit esse quid minus, vel saltem non maius prædicato : ideo propositiones,in quibus subiectum est maius,& latius patens prædicato, dicuntur innaturales,qualis est hæc, *aliquod animal est homo*; propositones verò,in quibus prædicatum magis late patet, & est vniuersalius subiecto dicuntur naturales, qualis est hæc,*homo est animal*.

De Termino Mentali,Vocali, & Scripto. Cap. V.

Diuiditur primo terminus in mentalem,vocalem,& scriptum. Mentalis est qui exprimitur mente: vocalis qui exprimitur voce: scriptus qui exprimitur scripto. Ex.gr.cum dico *Petrus est homo*, *Petrus* & *homo* in quantum exprimuntur mente,seu conceptu interno.sunt termini mentales;in quantum exprimuntur vocibus, sunt termini vocales; in quantum exprimuntur scripto,sunt termini scripti. Hæc diuisio similis est diuisioni, qua diuiditur Cæsar in sculptum,& pictum,

vel qua B. Virgo diuiditur in Lauretanam, & S. Mariæ maioris : neque enim B. Virgo diuiditur ratione sui, cum sit vnica, sed ratione diuersarum imaginum; sic terminus non diuiditur ratione sui, sed ratione diuersarum expressionum, atque adeo si nomine termini intelligamus rem significatam, terminus mentalis, vocalis, & sciptus sunt idem terminus, sed diuerso modo expressus, eo pacto, quo B. Virgo Lauretana est eadem ac B. Virgo S. Marię Maioris, sed expressa per diuersam imaginem. Si verò nomine termini intelligamus signum exprimens, terminus mentalis, vocalis, & scriptus sunt termini diuersi, eo pacto quo si nomine Virginis Lauretanæ, & Sanctæ Mariæ maioris intelligantur imagines, sunt diuersæ imagines.

De Termino significatiuo, & non significatiuo. Cap. VI.

OMisso termino mentali, & scripto, de quo nihil peculiare dicendum occurrit, agimus de vocali in quantum sumitur non pro re significata, sed pro actu significante. Diuiditur ergo in significatiuum, & non significatiuum. Significatiuus est *vox, quæ ex pacto, vel consuetudine ponitur in propositione ad significandum subie-*

subiectum, & prædicatum diuersum à voce. Non significatiuus est *vox quæ potest poni in propositione ad significandum pro subiecto, vel prædicato solum ipsam vocem*: ex.gr. Cœlum est terminus significatiuus. Sicut enim ex pacto, vel consuetudine ramus potest poni ante tabernam ad significandum vinum vendibile, sic hæc vox *Cœlum* ex pacto, vel consuetudine poni potest in propositione ad significandum tanquam subiectum, vel prædicatum ipsum Cœlum. Dum enim dico *cœlum est rotundum*, subiectum, de quo affirmo rotunditatem, non est vox *Cœlum*, sed ipsum cœlum. E contra *Blitri* est terminus non significatiuus, quia potest poni in propositione solum ad significandum pro subiecto, vel prædicato se ipsam, non verò rem distinctam ab ipsa voce. Dum enim dico *Blitri est vox* affirmo prædicatum solum de hac voce Blitri.

Obijcies primo: hic terminus *vox* non potest poni ad significandnm aliquid distinctum à voce, & tamen est terminus significatiuus: ergo etiam *Blitri* erit terminus significatiuus, licet poni non possit in propositione ad significandum aliquid distinctum à voce. Respondeo distinguo antecedens: terminus *vox* non potest poni ad significandum aliquid distinctum ab omni voce, concedo antecedens; non

potest

poteſt poni ad ſignificandum aliquid diſtinctum ab hac voce *vox*, nego antecedens, & nego conſequentiam. Diſparitas eſt manifeſta. Terminus *vox* poteſt poni in propoſitione ad ſignificandas voces ſpecie diuerſiſſimas ab illa: ideo poſſum dicere *Cœlum eſt vox, terra eſt vox* &c. At Blitri non poteſt poni in propoſitione ad ſignificandas voces ſpecie diuerſas à Blitri; ideo non poſſum dicere *Cœlum eſt Blitri*, adeoque non ſignificat.

Obijcies ſecundo: terminus Blitri nihil ſignificat præter ipſam vocem; ergo terminus Blitri, & terminus *nihil* ſunt eiuſdẽ ſignificationis; ſed terminus *nihil* eſt ſignificatiuus; ergo etiam Blitri.

Reſpondeo diſtinguo maiorem: terminus Blitri nihil ſignificat poſitiuè, nego maiorem: negatiuè, concedo maiorem: & diſtinguo minorem: terminus *nihil* ſignificat nihil poſitiuè, concedo minorem: ſolum negatiuè, nego minorem; & nego conſequentiam. Terminus Blitri nihil ſignificat negatiuè, hoc eſt non ſignificat aliquid diſtinctum à voce: at terminus *nihil* ſignificat nihil poſitiuè, hoc eſt ſignificat ipſàm negationem eſſendi, quæ eſt aliquid quodammodo diuerſum à voce. Ideo vera eſt propoſitio *Deus fecit omnia ex nihilo*; hoc eſt ex negatione eſſendi, quia vox *nihil* ſignificat negationem eſſendi;

fendi : at non est vera hæc alia propositio *Deus fecit omnia ex Blitri*, quia Blitri non significat negationem essendi.

De Termino Categorematico, & Syncategorematico. Cap. VII.

OMisso termino non significatiuo, terminus significatiuus diuiditur in categorematicum, & syncategorematicũ. Categorematicus, quæ vox idem sonat apud Græcos, ac apud latinos *significatiuus*, est *qui per se solum potest esse subiectum, aut prædicatum propositionis*. Syncategorematicus, quæ vox idem significat ac *consignificatiuus*, est *qui potest esse subiectus, aut prædicatum propositionis solum vt adiectus alicui alteri* ex.gr. *Petrus, et albus* sunt termini categorematici, quia in hac propositione *Petrus est albus, Petrus* se solo est integrum subiectum, *albus* est prædicatum integrum. E contra *omnis, nullus, aliquis, vterque, neuter, duo, tres*, & alij numeri sunt termini syncategorematici, quia non possunt esse integrũ prædicatum, aut subiectum propositionis, sed debet saltem in mente addi aliquis alius terminus, qui subintelligatur. Neque enim possum formare hanc propositionem *omnis currit*, nisi exprimam, vel intelligam *omnis homo, omnis leo*. &c.

Termi-

Termini ergo categorematici ſunt ſicuti vocales : ſyncategorematici ſunt ſicuti conſonantes. Sicut enim vocales ſe ſolis poſſunt conſtituere ſyllabam, vt cum dico *amo*, vocalis A ſe ſola conſtituit primam ſyllabam, atque idem valet de cœteris vocalibus, vt patet experientia, & ideo vocantur vocales, quia ſe ſolis poſſunt exprimi, & ſonare ; ſic termini categorematici poſſunt ſe ſolis conſtituere integrum prædicatum, aut ſubiectum propoſitionis, & ideò abſolutè vocantur ſignificatiui. Sicut conſonantes ſe ſolis non poſſunt pronunciari, nec conſtituere integram ſyllabam, ſed ſolum cum alia vocali (experiatur enim quiſque an poſſit exprimere B ſine aliqua vocali) ideoque dicuntur conſonantes, quia ſe ſolis non ſonant, ſed conſonant cum vocalibus ; ſic ſyncategorematici non poſſunt ſe ſolis eſſe integrum ſubiectum, aut prædicatum, id eſt integer terminus propoſitionis, ſed cum categorematicis, ideoque dicuntur conſignificatiui.

Obijcies: in hac propoſitione *Deus, & creaturæ ſunt omnia*, ly *'omnia* eſt integrum prædicatum; ergo terminus ſyncategorematicus poteſt eſſe integrum prædicatum propoſitionis.

Reſpondeo in mente ſubintelligi *entia*, vel quid ſimile. Sicut enim antiquitus Hebræi

Hebrei in ſcriptione ponebant ſolas cõſonantes, & vocales intelligebantur, ac proinde debebant addi à legentibus; ſic aliquando ponimus ſolos terminos ſyncategorematicos, ac categorematici debent ſubintelligi.

De Termino Vniuoco, Aequiuoco, & Analogo. Caput.VIII.

TErminus vniuocus eſt *qui poteſt pluribus diuiſim applicari ſecundum eamdem rationem, ſeu ſignificationem nominis*: ex gr. *homo* eſt terminus vniuocus, quia poteſt applicari Petro, Paulo &c. ſecundum eamdem ſignificationem, & rationem, ac definitionem animalis rationalis. Dum enim dico *Petrus eſt homo*, ſenſus eſt quod ſit *animal rationale*; idem ſenſus eſt dum dico *Paulus eſt homo &c.* Aequiuocus eſt *qui poteſt pluribus applicari ſecundum diuerſam rationem, ſeu ſignificationem, & explicationem nominis*: ex. gr. *canis* eſt terminus æquiuocus, in quantum dicitur de terreſtri, cœleſti, & marino, quia dicitur de illis ſecundum diuerſam rationem, & explicationem nominis. Dum enim applicatur terreſtri nomine canis intelligitur *animal latrabile*; dum applicatur cœleſti intelligitur quædam conſtellatio; dum applicatur marino, intelligitur quidam piſcis.

piscis. Hinc verò procedit, quod si duo colloquentes vtuntur termino æquiuoco in diuersa significatione, non se intelligunt; vt si quis dicat alteri, canis orietur circa mediam noctem, & loquens significat ortum cõstellationis in Cœlo, audiens verò intelligit de partu canis domesticæ, profectò se non intelligent.

Debet autem aduerti, quod idem nomen respectu aliquorum est vniuocum, quia applicatur illis in eadem significatione, respectu aliorum est æquiuocum, quia conuenit illis in diuersa significatione: ex gr. nomen canis respectu omnium canum terrestrium est vniuocum, quia conuenit illis in eadem significatione *animalis latrabilis*; respectu vero cõstellationis, piscis, & canis terrestris est æquiuocum, quia conuenit illis in diuersa significatione.

Terminus æquiuocus diuiditur in æquiuocum strictè, siue à casu, & analogũ, qui est æquiuocus latè, seu à consilio. Terminus strictè æquiuocus est *qui conuenit pluribus secundum significationes omnino diuersas, seu non habentes affinitatem, propter quam illud nomen fuerit illis tributum*. Huiusmodi est nomen *Galli* prout significat Gallum auem, & hominem natum in Gallia.

Aequiuocus à consilio, seu analogus est *qui conuenit pluribus secundum significationes*

affines

affines, propter quas non casu, sed certo consilio tribuitur illis. Huiusmodi est nomen Ludouici prout tribuitur Regibus Galliæ propter memoriam primi Ludouici. Ideo terminus analogus communiter definitur, *qui significat plura secundum significationem, & rationem non omnino eamdem, nec omnino diuersam*: nam propter affinitatem significatio dicitur partim eadem, partim diuersa. Aristoteles cap. primo Antep. omisit analoga, quia comprehenduntur definitione æquiuocorum. Eo enim ipso, quod significatio non sit omnino eadem, est diuersa.

Diuiditur terminus analogus in analogum attributionis, & analogum proportionis. Analogus attributionis est *qui conuenit pluribus propter ordinem ad vnum cui principaliter competit*. Tale nomen est ex. gr. sanum, quod in quantum dicitur de medicina, de aere, & de colore dicitur minus principaliter, quam cum dicitur de animali, quod dicitur sanum principaliter, quia habet sanitatem in se, ac verò dicitur sanus, quia causat sanitatem in animali, color dicitur sanus, quia est signum sanitatis &c. In diuersa igitur significatione dicuntur sana, animal, color, aer &c. sed propter ordinem ad vnum quod est ipsum animal. Illud, cui nomen conuenit principaliter, vocatur analogatũ

princi-

principale; cœtera vocatur analogata minus principalia.

Analogus proportionis est *qui conuenit pluribus propter proportionem, quam habent inter se*; ex. gr. nomen ridentis prout tribuitur homini, fortunæ, & prato est analogum proportionis; nam fortuna, et pratum dicuntur ridere propter proportionem, quam habent fortuna fauens, & pratum amœnum cum homine ridente. In analogia proportionis fundãtur omnes Metaphoræ. Nomina enim metaphorica sunt anologa proportionis impropriæ. An vero dentur analoga proportionis propriæ, & an ens sit analogum, explicabimus quæstione de Anteprædicamentis.

Obijcies: ex Aristotele 6. Top. Aequiuoca non possunt definiri vnica definitione; ergo mala est allata definitio.


Respondeo distinguo antecedens: æquiuoca prout significantur per nomen conueniens illis in diuersa significatione definiri non possunt vnica definitione, concedo antecedens: æquiuoca prout significantur per nomen conueniens illis in eadem significatione, nego antecedens, & nego consequentiã. Dico, quod æquiuoca, ex. gr. Gallus auis & Gallus homo natus in Gallia, prout significantur nomine Galli, quod illis conuenit in diuersa significatione, definiri non possunt vna defini-

definitione, sed duabus explicantibus diuersam significationem nominis. At vero æquiuoca in quantum significantur per nomen conueniens illis in eadem significatione definiri possunt vnica definitione: ex.gr. Gallus auis, & Gallus homo quatenus coueniunt in nomine animalis, quod illis conuenit in eadem significatione viuentis sensitiui, definiri possunt vnica difinitione. Sic in casu nostro omnia æquiuoca in quantum significantur nomine æquiuoci, quod illis conuenit in eadē significatione definiri possunt vnica definitione.

De Termino communi, & singulari Cap. IX.

TErminus communis est, qui *potest pluribus diuisim applicari secundum significationem saltem analogicè eamdem*; ex.gr. homo, equus &c. sunt termini communes: nam homo potest dici de Petro, Paulo &c. secundum significationem eamdem vniuocè; sanum etiam est terminus communis, quia potest dici de pluribus sanis secundum significationem eamdem analogicè.

Terminus singularis est *qui potest de vno tantum dici secundū eamdem significationem* ex.gr. *Petrus* est terminus singularis; nam solum



ſolum æquiuocè dicitur de pluribus hominibus.

Quæres an ſol, luna &c. ſint termini communes?

Reſpondeo affirmatiuè, quia dici poſſunt de pluribus ſolibus, ac lunis poſſibilibus.

Terminus communis diuiditur in vniuerſalem propriè, & vniuerſalem analogicè. Vniuerſalis proprie eſt *cum dicitur de pluribus ſecundum ſignificationem vniuocè eamdem*. Vniuerſalis analogicè eſt *cum dicitur de pluribus ſecundum ſignificationem eamdem ſolum analogicè*.

De Termino Tranſcendente, & non tranſcendente. Cap. X.

TErminus communis diuiditur in trãſcendentem, non tranſcendentem, & ſupertranſcendentem. Non tranſcendens eſt *qui dicitur de rebus vnius tantum prædicamenti*. Porro decem ſunt prædicamenta, ſeu claſſes, ac genera rerũ, ad quæ omnia reducuntur.

Primum prædicamentum eſt ſubſtantia; quæ eſt, ens per ſe ſubſiſtens, & non inhærens alteri. Huiuſmodi ſunt Cœlum, elementa, animalia, & plantæ &c.

Secundum eſt quantitas, per quàm res dicuntur magnæ, vel paruæ, palmares, vel

bipalmares, multæ, vel paucæ, decem, vel viginti &c.

Tertium eſt qualitas, per quam res dicuntur quales; ex.gr. calidæ, vel frigidæ, albæ, vel nigræ, bonæ, vel malæ &c.

Quartum eſt relatio, per quam res dicuntur eſſe aliquid alterius, vel quomodocumque ſe habentes ad aliud; ex.gr. ſimiles, aut diſſimiles alteri, æquales, vel inæquales, maiores, vel minores altero &c.

Quintum eſt tempus, ſeu duratio, per quam dicuntur res eſſe hoc anno, vel alio &c.

Sextum eſt locus, per quem res ſunt in Cœlo, vel in terra, Romæ, Londini, vel Neapoli &c.

Septimum eſt ſitus, qui conſiſtit in diſpoſitione partium in ordine ad locum, per quem dicuntur ſtare, ſedere, iacere &c.

Octauum eſt habitus, qui conſiſtit in quadam adiacentia veſtium aut armorum, vel alterius extrinſeci, per quam aliquis dicitur veſtitus, vel armatus &c.

Nonum eſt actio, per quam res dicuntur agere; ex.gr. calefactio eſt actio per quam ignis calefacit.

Decimum eſt paſſio, per quam aliquis dicitur ex.gr. calefieri.

De his prædicamentis tum in commu-

ni

ni, tum in particulari fusius agendum, tum in logica libro prædicamentorum, tum in Physica, & Metaphysica. Termini igitur non transcendentes sunt qui dicuntur de rebus vnius tantum prædicamenti.

Terminus transcendens est *qui dicitur de rebus plurium prædicamentorum.* Solent autem assignari sex significati litteris huius vocis *Reubau*. Sunt autem *Res, ens, Vnum, Bonum, Aliquid, Verum.* Nam omnia sunt res, sunt ens.

Terminus supertranscendẽtalis est *qui dicitur non solum de ente, sed etiam de non ente, & de impossibilibus;* ex. gr. intelligibile, cognoscibile &c. Nam non solum entia sunt intelligibilia, sed etiam non entia, impossibilia, & ipsum nihil, vt patet, quia de ijs loquimur.

De Termino Finitante, & Infinitante. *Caput* XI.

TErminus finitus, seu finitans est *per cuius affirmationem determinatur aliquid quod res est;* ex. gr. *homo* est terminus finitus, quia dum dico *Petrus est homo,* determino aliquid, quod Petrus est.

Terminus infinitus seu infinitans est, *per cuius affirmationem determinatur solum aliquid quod res non est;* ex. gr. *non*

homo

homo, non leo; Dum enim dico *equus est non homo* determino aliquid quidem, quod leo non est, at non determino quid leo sit.

Nota primo, quod intellectus eo ipso quod infinitat aliquem terminum cognoscit omnia. Dum enim dicit ex. gr. *non homo* cognoscit hominem, & non hominem; sed homo, & non homo complectũtur omnia: quodlibet enim est vel homo, vel est non homo; ergo dum infinitat terminũ cognoscit omnia: & quia solus intellectus potest cognoscere omnia, imaginatio enim, & aliæ potentiæ inferiores cognoscunt solum quædam, ideo solus intellectus potest infinitare terminos. Rursus quia cognito quocumque termino intellectus potest illum infinitare; ex. gr. cognita luce potest dicere *non lux*, ideo cognito quocunque obiecto intellectus formare potest conceptum communem omnium rerum.

Nota secundo, quod quominus vniuersalis est terminus finitatus, tanto magis vniuersalis est terminus infinitans: ex. gr. Petrus est terminus minus vniuersalis quã homo; homo est terminus minus vniuersalis quam animal; ideo *non Petrus* est terminus magis vniuersalis quam *non homo*, & *non animal* est terminus minus vniuersalis quam *non homo*. Patet manifestè. Nam *non Petrus* dicitur de omni-

bus rebus, excepto Petro, qui eſt vnum ens: at vero *non homo* dicitur de omnibus rebus, excepto non ſolum Petro, ſed etiam aliis hominibus; ergo de pluribus dicitur *non Petrus*, quam *non homo*. *Non animal* dicitur de omnibus, non ſolum exceptis hominibus, ſed etiam brutis; ergo de pluribus dicitur *non homo*, quam *non animal*. Cum verò terminus finitus eſt vniuerſaliſſimus, & complectitur omnia, qualis eſt terminus intelligibile, tum non poteſt infinitari, niſi verbaliter. Ideo cum dicitur *non intellegibile*, de nullo poteſt affirmari talis terminus, cum nullum obiectum ſit non intelligibile.

De Termino complexo, & incomplexo. Caput. XII.

TErminus complexus eſt, *cuius partes ſunt termini ſeorſim ſumpti, qui habent eamdem ſignificationem, quam ſimul ſumpti*; ex.gr. *homo albus* eſt terminus complexus: nam partes ipſius, hoc eſt *homo*, & *albus* ſunt termini, qui ſeorſim ſumpti habent eamdem ſignificationem ac ſimul ſumpti.

Incomplexus eſt *cuius partes ſeorſim ſumptæ non habent eamdem ſignificatioaem ac ſimul ſumptæ*; ex. gr. *Petrus* eſt terminus incomplexus, quia partes ipſius nempe *Pe*, & *trus* nihil ſignificant. *Dominus* etiam

est terminus incomplexus, quia licet partes *Do* & *minus* sint significatiuæ, tamen seorsim non habent eamdem significationem quam simul. Respublica est terminus incomplexus: nam si *res*, & *publica* sumantur seorsim, non significant communitatẽ hominum certis legibus deuinctam, quam significant simul, sed significant quamcumque rem, quæ sit publica. Ideo potest dici *aqua est res publica*; at dici nequit *aqua est respublica*.

Collige duas voces synonimas, ex.gr. *gladius ensis* non constituere terminum complexum. Ratio est, quia ad terminum complexum requiritur, vt constet ex partibus: at duæ voces synonimæ non sunt partes vnius termini: ad partes enim requiritur, vt totum addat aliquid significationi singularum partium: at *gladius ensis* nihil addit significationi huius vocis *gladius*; ergo vox *gladius* non est pars.

De Termino Denominatiuo, & Denominante. Cap. *XIII.*

TErminus denominatiuus est *qui ab altero deriuatur, & quoad vocem, & quoad significationem*. *Iustus* ex.gr. deriuatur a iustitia, & quoad vocem, & quoad significationem, ideoque est terminus deno-

minatiuus: *Studiosus* è contra prout significat virtute præditum non est denominatiuus à studio, quia licet deriuetur à studio quoad nomen, non deriuatur quoad significationem: nec est denominatiuus à virtute, quia licet deriuetur quoad significationem, non deriuatur quoad nomen.

Terminus denominans est *à quo alter deriuatur, & quoad nomen, & quoad significationem*: ex. gr. iustitia est terminus denominans iustum, quia iustus deriuatur à iustitia quoad nomen, & quoad significationem.

De termino copulatiuo, & non copulatiuo Caput.XIV.

COpulatiuus est qui *plura in recto, & in vnum per accidens aggregata significant*, vt populus, exercitus, turba, ciuitas &c. Populus enim significat plures homines in recto per accidens congregatos.

Terminus non copulatiuus est, qui *significat in recto vnum, aut plura, non vt in vnum per accidens congregata, vt Petrus.*

Obijcies: isti termini *nauis*, *domus*, *templum*, *scamnum* &c. non sunt copulatiui, & tamen significant in recto plures partes vnius domus, aut templi in vnum per accidens congregatas; ergo &c.

*R*espondeo terminum copulatiuum

significare debere plura vt plura, hoc est expressè cognita secundum pluralitatem; domus vero licet significet plures partes, non tamen significat vt plures, sed præscindit à pluralitate, ideo non est terminus copulatiuus.

De Termino absoluto, & connotatiuo Caput. XV.

ABsolutus est *terminus significans vt per se stans*: ex.gr. *Petrus, homo*, & omnia, nomina substantiua sunt termini absoluti, quia significant vt stantia per se, non verò vt adiacentia alijs terminis, seu nominibus.

Connotatiuus est *terminus significans vt adiacens alteri termino*, ex.gr. albus, iustus, & omnia nomina adiectiua sunt termini connotatiui, quia significant vt adiacentia alteri nomini substantiuo, cum quo concordare debent in genere, numero, & casu. Vt id melius explicetur, nota duo esse genera rerum, substantias nimirum, quæ per se stant, & sunt, ex.gr. Deus, homines, Petrus, &c. & accidentia, quæ postulant adhærere substantijs; ex.gr. cognitio postulat adhærere alicui substantiæ cognoscenti, albedo debet adhærere alicui substantiæ albæ.

Huic duplici rerum generi correspon-

det duplex modus cognoſcendi, & ſignificandi: abſolutus, quo connaturaliter debent ſignificari ſubſtantiæ per nomina ſubſtantiua; & connotatiuus, quo connaturaliter ſignificari debent accidentia, per nomina adiectiua. Sicut enim albedo poſtulat adhærere alicui ſubſtantiæ, ex. gr. niui; ſic nomen *albus* poſtulat adhærere alicui nomini ſubſtantiuo, ex. gr. huic nomini *nix*, dum dicitur *nix alba*, concordando penitus cum eo nomine, eo pacto quo accidens coarctatur ſuo ſubiecto.

Licet autem iuxta primum, & maximè naturalem modum ſignificandi, ſubſtantiæ ſignificentur terminis abſolutis, qui ideo vocantur nomina ſubſtantiua, accidentia verò terminis connotatiuis, qui idcirco vocantur nomina adiectiua; tamen poſſumus inuertere talem ordinem, & ſignificare ſubſtantias per terminos connotatiuos, & ad modum accidentium, vt cum dicimus *animatus* ſignificamus animam, quæ eſt ſubſtantia ad modum accidentium: & contra poſſumus ſignificare accidentia ad modum ſubſtantiæ; vt cum dico *albedo*, *nigredo* &c. ſignifico hæc accidentia per terminos per ſe ſtantes, & ad modum ſubſtantiæ.

Obijcies: nomen *cœna* eſt connotatiuũ, connotat enim tempus veſpertinum, & tamen per ſe poteſt ſtare quin adiaceat

alteri

alteri nomini ; ergo aliqua connotatiua possunt per se stare .

Respondeo, distinguo antecedens: cœna est nomen connotatiuum in sensu summulistico, in quo nunc agimus, nego antecedens; in alio sensu, concedo antecedens, & distinguo consequens: connotatiua in sensu summulistico possunt per se stare, nego consequentiam, in alio sensu, concedo consequentiam .

De *Termino concreto, & abstracto.* *Caput XVI.*

Terminus concretus est *qui significat compositum, vel quasi compositum ex subiecto, & forma*; ex. gr. homo est terminus concretus, quia significat compositum ex corpore, & anima, ex persona, & humanitate: Deus est etiam terminus concretus, quia significat quasi compositum ex persona, & deitate; licet neque deitas sit forma, sed quasi forma, neque persona sit subiectum, sed quasi subiectum; albus etiã est concretum, quia constat ex subiecto, & albedine.

Terminus abstractus est, *qui significat seorsim aliquam partem, vel quasi partem compositi, vel quasi compositi*: ita humanitas est terminus abstractus, quia significat seorsim humanitatem, quæ est pars homi-

nis, deitas est etiam terminus abstractus, quia significat deitatem, quæ est quasi pars.

Quia igitur intellectus considerat aliquando ipsa tota, & composita, ex. gr. hominem, Deum, album &c; aliquando verò progreditur ad considerandas etiam partes vel quasi partes; ideo aliquando vtimur terminis concretis, aliquando abstractis. Concreta diuiduntur sicut ipsa composita. Quemadmodum igitur quædam composita sunt substantialia, constantia nimirum ex materia, & forma substantiali, vt *homo*: quædam sunt accidentalia, ac important formam accidentalem, vt *albus* quædam logica, & rationis, importantia partes distinctas solum logicè, & per intellectum, vt *homo* in quantum dicit animalitatem, & rationalitatem, quæ distinguuntur solum per intellectum: quædam virtualia importantia partes, vel quasi partes distinctas solũ virtualiter, vt *Deus*, in quo personalitas, & Deitas solum distinguuntur virtualiter: quædam sunt solum vocalia, in quibus partes vel quasi partes distinguuntur sola voce, & modo significandi, vt *ens, entitas* enim est quasi forma sola voce, & modo significandi differens ab ente: sic concreta quædam sunt substantialia, quædam accidentalia, quædam physica, & realia, quædam logi-

logica, & rationis, quędam virtualia, alia solum vocalia.

De termino primæ, & secundæ intentionis. *Caput. XVII.*

TErminus primæ intentionis est *qui significat rem secundum se, & secundum esse reale*. Terminus secundæ intentionis est *qui significat rem vt denominatam à cognitione, & secundum esse cogniti, & rationis.*

Pro intelligentia nota primo posse res habere duplex esse, & duo genera prædicatorum. Primum esse consistit in prædicatis realibus; quæ conueniunt rebus secundum se, & non tantum per hoc, quod obijciantur alicui actui intellectus, seu rationis: ex. gr. *esse album* est quoddam esse reale, quia nix secundum se est alba: Idem dic de prædicatis hominis, equi, cognoscentis &c. Secundum esse consistit in prædicatis intentionalibus; quæ nimirum conueniunt rebus purè propter hoc quod obijciantur actibus rationis. Tale est esse cognitum. Petrus enim habet esse cogniti purè propter hoc, quod obijciatur cognitioni. Similiter *esse prædicatum, esse subiectum* conuenit rebus præcisè propter hoc, quod obijciantur cognitioni prædicanti, vel subijcienti. Ideo cum dico *Petrus est homo*, Petrus constituitur

ſubiectum purè propter hoc, quia obijcitur huic cognitioni, quæ ſubijcit Petrum.

Termini igitur primæ intentionis ſunt qui ſignificant res ſecundum eſſe, & prędicata realia; vt homo, equus, album, nigrum &c.

Termini ſecundę intentionis ſunt qui ſignificant res ſecundum eſſe cogniti, & ſecundum prædicata intentionalia, quæ conueniunt rebus purè propter hoc, quod obijciantur cognitioni: vt cognitum, prædicatum, ſubiectum &c.

Vt verò melius intelligatur vis horum nominum *prima intentio*, & *ſecunda intentio*, nota ſecundo, quod intentio eſt tendentia in obiectum. Sicut enim quod mouetur per motum localem tendit in aliquem locum, ita quod cognoſcit per cognitionem tendit in obiectum aliquod. Porro in ijs, quę mouentur, aliquando contingit, vt inueniant aliquod impedimentum, & tunc redeunt, & reflectunt verſus proijcientem, eo pacto, quo pila parieti alliſa reflectitur, & redit ad eum, qui proiecit. Tum verò in tali motu datur duplex tendentia. Prima, & directa eſt, qua pila tendit ad parietem. Secunda & reflexa, qua redit à pariete ad proijcientem. Simile quid accidit intellectui. Sępe enim per cognitionem tendit in obie-

obiectum, ex.gr. parietem, deinde verò ab obiecto, hoc est, à pariete reflectitur in se ipsum,& in suam cognitionem, & cognoscit parietem vt cognitum. Tunc vero cognitio, qua tendit in parietem, vocatur cognitio directa, & prima intentio: cognitio verò,qua reflectitur ad se ipsum,vocatur cognitio reflexa, & secunda intentio.

De terminis pertinentibus, & impertinentibus. Caput.XVIII.

DIuiduntur vltimo termini inter se inuicem comparati in pertinẽtes,& impertinentes. Impertinentes sunt *quorum vnus non infertur, neque infert alium, neque excludit,neque excluditur ab altero*,vt *album, dulce*. Neque enim valet illatio affirmatiua,qua dicatur, *est album; ergo est dulce*: neque negatiua,qua dicatur; *est album; ergo non est dulce*.

Pertinentes sunt *qui se inferunt, vel excludunt*. Qui se inferunt vocantur pertinentes sequela,vt rationale,risibile. Valet enim: est *rationale; ergo est risibile*. Qui se excludunt vocantur pertinentes repugnantia,vt album,nigrum:valet enim *est album; ergo non est nigrum*,

Termini repugnantes diuiduntur in

diſparatos,contrarios,priuatiuos,contradictorios,& relatiuos. Diſparati ſunt *qui ſignificant res omnino diuerſas*, vt *homo,leo*. Contrarij ſunt *qui ſe mutuo excludunt ab eodem ſubiecto*, vt *album*, & *nigrum*: albedo enim excludit à ſubiecto nigredinem, & nigredo albedinem. Priuatiui ſunt *quorum vnus ſignificat formam, alius priuationem formæ in ſubiecto apto*; vt *cæcum*, & *videns*. Cœcum enim ſignificat negationem viſionis non in quocumque ſubiecto, ſed in ſubiecto apto ad videndum; ideoque lapis non dicitur cœcus, quia non eſt aptus ad videndum, ſed homo dicitur cœcus, quia eſt aptus videre. Contradictorij ſunt, *quorum vnus negat quod alius affirmat*, vt *poſſibile*, & *impoſſibile*. Relatiui ſunt qui *dicunt ordinem ad inuicem*, vt *pater*, & *filius*.

Termini pertinentes ſequela diuiduntur in æquales, & inæquales. Aequales ſiue conuertibiles ſunt *qui ſe mutuo inferunt*, vt *rationale*, & *riſibile*. Valet enim, *eſt rationale; ergo eſt riſibile*, & è conuerſo *eſt riſibile; ergo eſt rationale*.

Inęquales ſunt *qui ſe inferunt nō mutuo*, ex.gr. *homo*, & *animal*. Valet enim *eſt homo; ergo eſt animal*, & nō è conuerſo *eſt animal; ergo eſt homo*. Ex his terminis inęqualibus ille qui infertur, & non infert vocatur terminus ſuperior; ille qui infert, & non infer-

infertur, vocatur terminus inferior: ex. gr. animal eſt terminus ſuperior reſpectu hominis, quia infertur ex homine, & non infert hominem; homo eſt terminus inferior reſpectu animalis, quia infert animal, & non infertur ex animali.

Circa allatas diuiſiones terminorum aduerte, quod ſicut licet eſſe muſicum aliud ſit, quam eſſe architectum, poteſt tamen idem homo eſſe muſicus, & architectus, ſi calleat vtramque artem; ſic licet ex. gr. eſſe terminum concretum ſit aliud, ac eſſe terminum abſolutum, poteſt tamen eadem vox eſſe ſimul terminus concretus & abſolutus; ex. gr. homo eſt terminus concretus, abſolutus, categorematicus, communis, &c. Vt igitur non confundantur iſtæ rationes terminorum, ſufficit quod aliqua vox poſſit eſſe terminus vnius rationis, quin ſit terminus alterius rationis, aut è conuerſo; ita eſſe muſicum, & eſſe architectum non confunduntur, quia multi muſici non ſunt architecti, & multi architecti non ſunt muſici. Sic in caſu noſtro terminus communis non confunditur cum copulatiuo, quia multi termini communes, ex. gr. homo, leo &c. non ſunt copulatiui, & multi copulatiui, ex. gr. Roma, Neapolis non ſunt communes cum ſecundum eamdem ſignificationem dicantur de vnica ciuitate. Similiter multi

ti concreti non sunt termini absoluti ; ex. gr. albus , doctus ; & multi absoluti non sunt concreti ; ex. gr. nigredo , albedo .

De Proprietatibus Terminorum. *Cap. X I X.*

POstquam egimus de terminis , agendum est de varijs proprietatibus terminorum ; ac primo de suppositione, quæ est præcipua terminorum proprietas. Suppositio est *vsus termini pro aliquo suo significato*. Cum enim idem terminus sæpe significet plura , ille vsus, quo vtimur tali termino ad vnum potius significandum, quam aliud, vocatur suppositio .

Hinc collige primo suppositionem differre à significatione per hoc , quod suppositio est determinatio significationis, in qua vtimur voce : significatio verò est indeterminata ad hoc , vt illa vtamur, vel non .

Collige secundo terminos non supponere nisi in propositione . Ratio est quia vt supponant debet apparere in qua significatione vsurpentur ; at dum non formatur propositio hoc non apparet; dum enim dico *Cœlum* , adhuc non apparet an vtar hac voce ad significandam se ipsam , an Cœlum . Dum verò formo propositionem ,

nem, & dico *Cœlum est vox*, tùm apparet, quod vtar ea voce ad significandam ipsam vocem : cum dico *Cœlum est rotundum*, apparet, quod vtar ea voce ad significandum Cœlum.

Quid sit suppositio materialis, & formalis. Cap. XX.

SVppositio materialis est *vsus termini pro se ipso, & pro ipsa voce, ac sono materiali*; vt cum dico *Cœlum est vox*. Termini non significatiui qualis est *Blitri* non possunt habere aliam suppositionem, quam materialem.

Suppositio materialis alia est naturalis, alia artificialis. Suppositio naturalis est *vsus termini pro se ipso secundum id, quod habet à natura* : vt cum dico *Cœlum est vox* : nam iste terminus habet à natura esse vocem. Suppositio artificialis est *vsus termini prò se ipso secundum id, quod habet ab arte, & ab institutione humana*, vt cum dico *Cœlum est nomen secundæ declinationis* : nam vox *Cœlum* esse nomen secundæ declinationis habet ex libera hominum institutione.

Suppositio formalis est *suppositio termini pro suo significato distincto ab ipsa voce*: vt cum dico *Cœlum est rotundum*. Soli termi-

ni ſignificatiui ſunt capaces ſuppoſitionis formalis. Alia eſt propria, alia impropria, & metaphorica. Propria eſt *vſus termini pro ſuo proprio ſignificato*, vt cum dico *homo eſt ridens.* Impropria eſt *vſus termini pro ſuo ſignificato improprio*, vt cum dicitur *pratum ridet*.

Regula vniuerſalis eſt, quod cum variatur ſuppoſitio terminorum ſemper argumentum eſt ſophiſticum, & non concludit; vt cum dicitur: *omne ridens mouet labia; pratum ridet; ergo mouet labia.* Nam ridens in maiori ſupponit proprie in minori impropriè. Similiter non valet *Deus eſt nomen ſecundæ declinationis; Trinitas eſt Deus; ergo Trinitas eſt nomen ſecundæ declinationis.* Nam *Deus* in maiori ſupponit materialiter, in minori formaliter.

De ſuppoſitione ſimplici, & perſonali. Cap. XXI.

SVppoſitio ſimplex eſt *vſus termini pro ſuo ſignificato prout denominato à conceptu*, cui ſubſtat.

Suppoſitio perſonalis eſt *vſus termini pro ſuo ſignificato nudè ſumpto, & non prout denominatur à conceptu, cui ſubſtat.*

Pro intelligentia aduerte voces ſignificare res non vtcumque, ſed vt ſubſtant deter-

determinatis conceptibus. Hinc est, vt aliquæ voces licet significent eamdem rẽ, adhuc tamen non sint synonimæ, quia significant illam vt substantem, hoc est expressam diuersis conceptibus: ex. gr. eamdem rem significant istæ voces *animal rationale*, ac ista vox *homo*, quandoquidem homo, & animal rationale sunt idem omnino, & tamen non sunt voces synonimæ, quia illam eamdem rem, quam vox *homo* significat vt expressam per conceptum obscurum, & definibilem, voces *animal rationale* significant vt expressam per conceptum clarum, ac definitiuum. E conuerso *gladius*, & *ensis* sunt voces synonimæ, quia significant eamdem rem vt expressam eodem conceptu.

Hoc posito, cum terminus ponitur pro suo significato nudè sumpto, tunc est suppositio personalis; cum verò ponitur pro suo significato non nudè sumpto, sed vt denominato à conceptu, cui substat, & quo exprimitur, tùnc est suppositio simplex. Regula verò ad id dignoscendum est: cum quod affirmatur de aliquo termino verificatur de illo nudè sumpto, & non ratione conceptus, cui substat, tunc ille terminus supponit personaliter: cum verò quod affirmatur conuenit termino non nudè sumpto, sed ratione conceptus, cui substat, tùnc est suppositio simplex,

Ex.

Ex. gr. in omnibus iſtis propoſitionibus : *homo eſt animal , homo eſt rationalis , eſt albus &c.* terminus *homo* ſupponit perſonaliter. quia prędicata animalis, rationalis, albi &c. conueniunt homini ſecundum ſe, & non ratione conceptus, cui ſubſtant. E conuerſo in his propoſitionibus *homo eſt ſpecies, homo eſt ſuperior Petro, homo eſt prædicatum, ſubiectum &c.* terminus *homo* ſupponit ſimpliciter, quia eſſe ſpeciem, eſſe quid ſuperius Petro, eſſe prædicatum, aut ſubiectum conueniunt homini ratione conceptus, cui ſubſtat. Similiter in hac propoſitione : *animal eſt genus & ſuperius homine.; Petrus eſt indiuiduum, ſubijcibile, & inferius homine* &c. termini *animal*, & *Petrus* ſupponunt ſimpliciter ex eadem ratione.

Notandum eſt autem, quod non ſolum termini primæ intentionis, ex. gr. homo, animal, Petrus &c. ſed etiam termini ſecundæ intentionis, ex. gr. prædicabile, ſubiectum, prędicatum, genus, ſpecies &c. poſſunt ſupponere tum ſimpliciter, tum perſonaliter. Supponunt verò ſimpliciter, cum vtimur illis ad ſignificandas ſecundas intentiones prout denominatas ab alijs cognitionibus reflexis, quibus exprimuntur: ex. gr. ſicut in hac propoſitione *animal eſt genus*, ly *animal* ſupponit ſimpliciter, quia denominatio generis

ris conuenit ratione cognitionis, qua exprimitur, ſic in hac propoſitione *prædicabile eſt genus*, prędicabile ſupponit ſimpliciter, quia eſſe genus conuenit prędicabili ratione alterius cognitionis reflexę, qua exprimitur.

Diſtinguendo iſtas duas ſuppoſitiones ſolui poſſunt plura ſophiſmata; ex. gr. hoc argumentum: *homo eſt ſpecies; Petrus eſt homo; ergo eſt ſpecies*; non concludit, quia homo in maiori ſupponit ſimpliciter, in minori perſonaliter. Ex eadem ratione non concludit: *animal eſt genus; equus eſt animal; ergo equus eſt genus: animal eſt communius homine, & ſuperius homine; homo eſt animal; ergo eſt ſuperius, & communius homine.*

De ſuppoſitione communi, & diſcreta Cap. XXII.

SVppoſitio communis eſt *vſus termini communis pro ſuo ſignificato retinente ſuam communitatem*. Ita cum dicitur: *homo eſt animal, eſt rationalis, eſt riſibilis &c.* homo ſupponit communiter, quia tales prędicationes conueniunt homini prout eſt ratio communis, atque adeo ſecundum totam ſuam communitatem.

Suppoſitio diſcreta eſt *vſus termini pro ſuo*

suo significato singulari tantum, vel saltem non retinente totam suam communitatem: vt cum dico *Petrus currit*; *homo currit*; *animal est rationale*. Termini ergo singulares supponunt solum discretè: termini communes possunt supponere tum communiter, tum discretè; ex.g. cum dicitur *animal est sensitiuum*; terminus *animal* supponit communiter, quia prędicatum sensitiui conuenit animali secundum totam suam communitatem: cum verò, dicitur *animal currit*; *animal est rationale*; terminus *animal* supponit discretè, quia prędicata currentis, & rationalis non conueniunt animali secundum totam suam communitatem.

De suppositione naturali, & accidentali. Cap. XXIII.

SVppositio naturalis est *vsus termini pro eo, quod illi semper, & necessario conuenit*: vt cum dicitur *homo est animal*, *est rationalis*, *est risibilis*: nam omnia hęc prędicata semper, & necessario conueniunt homini.

Suppositio accidentalis est *vsus termini pro eo, quod illi conuenit solum contingenter, & pro tempore importato per copulam*: vt cum dicitur *homo currit*, *homo existit*; nam curre-

currere, vel existere non conueniunt homini necessario, & semper, sed solum contingenter, cum possint non conuenire, & conueniant solum, pro tempore præsenti importato per copulam.

Quęritur an in propositione, in qua inferius prędicatur de superiori, & magis communi, ex. gr. in hac *animal est homo*, subiectum, hoc est ly *animal* supponat naturaliter, vel accidentaliter.

Respondeo quod supponit naturaliter, sed discretè: supponit quidem discretè, quia supponit solum pro aliquo inferiori, vt explicatum est cap. 19. Supponit verò naturaliter, quia alicui animali semper, & necessario conuenit prædicatum hominis: ideo suppositio communis non confunditur cum naturali, nec discreta confunditur cum accidentali, quia potest aliquis terminus supponere naturaliter, & non supponere communiter, sed discrete; vt cum dicitur *aliquod animal est homo*; & potest supponere discretè, & non accidentaliter, vt in eodem exemplo.

De suppositione distributiua, & collectiua. Cap. XXIV.

SVpersunt alię quatuor suppositiones conuenientes terminis communibus ratio-

tatione syncategorematis, seu signi, aut termini syncategorematici adiuncti. Syncategorema, seu signum *est nota quantitatis, seu extensionis, per quam termini communes sumuntur pro omnibus, aut pluribus, aut paucioribus, aut vno tantum ex suis inferioribus.* Duo sunt signa vniuersalia, hoc est denotantia terminum communem sumi pro omnibus inferioribus, nempe *omnis, nullus*. Cum enim dico; *omnis homo est animal*, ly *omnis* denotat quod terminus *homo* sumitur pro omnibus suis inferioribus, atque adeo quod animal affirmatur de Petro, Paulo, & omnibus alijs hominibus. Similiter cum dico *nullus homo est lapis*, ly *nullus* denotat, quod nego lapidem de omnibus hominibus. Duo sunt signa particularia, hoc est *aliquis*, & *vnus*. Cum enim dico *aliquis homo currit*, vel *vnus homo currit*; ly *aliquis*, & *vnus* denotant quod prędicatum affirmatur solum de aliquo homine, non de omnibus.

Syncategoremata media inter vniuersalia, & particularia sunt omnes numeri, nempe duo, tria, quatuor, & sic in infinitum. Denotant enim quod termini communes sumantur pro pluribus, aut paucioribus. Cum enim dico *centum homines sunt occisi* ly centum denotat, quod terminus *homo* sumitur pro pluribus, quam cum dico *decem homines sunt occisi*:

&

& ideo quo numeri sunt maiores, eo magis participant de vniuersali, quo sunt minores magis accedunt ad particulare. *Vterque* etiam, & *neuter* habent rationem vniuersalis, si comparentur cum hoc termino *alteruter*, qui habet rationem particularis.

Ratione igitur signi vniuersalis termino communi potest conuenire duplex suppositio, distributiua, seu copulatiua, & collectiua, seu copulata. Distributiua, seu copulatiua est *vsus termini communis pro omnibus suis inferioribus seorsim sumptis*. Ex. gr. in hac propositione, *omnis homo est animal*, terminus *homo* sumitur distributiuè, quia sumitur pro omnibus suis inferioribus seorsim sumptis, ita vt nullus homo sumi possit, de quo animal non affirmetur.

Suppositio distributiua potest esse completa, vel incompleta. Completa est *sumptio termini communis pro omnibus suis inferioribus mediatis, & immediatis*. Incompleta est *sumptio termini communis pro omnibus suis inferioribus solum immediatis*: ex. gr. in hac propositione: *omne animal est sensitiuum*, ly *animal* supponit completè, quia nihil omnino potest sumi, quod sit animal, & non sit sensitiuum.

E contra in hac propositione: *Omne animal fuit in arca Noe*: supponit incom-

pletè: ſenſus enim eſt quod omnes ſpecies animalium fuerint in arca, non verò quod omnia indiuidua. Ideo non valet, *omne animal fuit in arca Noe; tu es animal; ergo fuiſti in arca Noe*, quia animal in maiori diſtribuitur ſolum incompletè. Suppoſitio incompleta dicitur eſſe pro generibus ſingulorum; completa verò dicitur eſſe pro ſingulis generum.

Suppoſitio collectiua eſt *vſus termini communis pro omnibus ſuis inferioribus ſimul, & non ſeorſim ſumptis*: ex.gr in hac propoſitione: *omnes Apoſtoli ſunt duodecim*: terminus *Apoſtoli* ſupponit collectiuè, quia prędicatum affirmatur de omnibus Apoſtolis ſimul ſumptis, & non ſeorſim. Neq; enim eſt ſẽſus *Petrus eſt duodecim &c.* Similiter cum dico *decem homines ſunt plures quam octo*: ſuppoſitio eſt collectiua, quia prędicatum affirmatur de decem ſimul, non verò de ſingulis ſeorſim. E conuerſo cum dico *decem homines currunt*; ſuppoſitio eſt diſtributiua.

Variando ſuppoſitionem collectiuam, & diſtributiuam duę prę ſertim committuntur fallacię. Prima eſt cum prędicatum, quod conuenit omnibus collectiuè infertur de ſingulis, vel de aliquo inferiori diſtributiuè; vt cum dicitur *omnes Apoſtoli ſunt duodecim; Petrus eſt Apoſtolus; ergo Petrus eſt duodecim*.

Secun-

Secunda fallacia est, cum ex eo quod aliquod prędicatum conuenit omnibus inferioribus distributiuè, & seorsim, infertur de omnibus collectiuè, & simul sumptis; vt cum dicitur *Petrus est vnus ex duodecim, Andreas est vnus ex duodecim &c.* sed *Petrus, Andreas &c. sunt omnes Apostoli; ergo omnes apostoli simul sumpti sunt vnus ex duodecim*. An autem in quibusdam casibus valeat consequentia à singulis inferioribus seorsim ad omnia simul sumpta, & quę regula sit ad id dignoscendum, examinabimus alibi.

Ad videndum quandonam termini cōmunes in suppositione distribuantur, quādo vero non; duę sunt regulę, altera pro subiecto, altera pro prędicato. Prima est: subiectum distribuitur in omni, & sola propositione vniuersali; ita in his propositionibus: *omnis homo est animal: nullus homo est equus*: ly *homo* sumitur distributiuè pro singulis inferioribus, ita vt nullus possit sumi *homo*, de quo non affirmetur animal, & negetur equus.

E conuerso in his propositionibus: *aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus*, ly *homo* non sumitur distributiuè, cum possint sumi homines, de quibus prędicatum non affirmatur.

Secunda regula pro prędicato est prędicatum distribuitur in omni, & sola pro-

positione negatiua : ita in hac propositione : *Petrus non est equus*, ly *equus* distribuitur, quia nullus equus potest sumi, qui non negetur de Petro: at in hac propositione : *omnis homo est animal* prædicatum *animal* non distribuitur, quia propositio non est negatiua, ideoque possunt sumi multa animalia, nimirum leo, equus &c. quæ non affirmantur de homine.

Ex his regulis colligitur, quod in propositione vniuersali negatiua distribuitur vtrumque extremum; prædicatum nimirum, & subiectum; in suppositione vniuersali affirmatiua distribuitur solum subiectum; in particulari negatiua distribuitur solum prædicatum: in particulari affirmatiua neque distribuitur prædicatum, neque subiectum.

De suppositione determinata, & confusa. Caput. XXV.

RAtione signi particularis *aliquis*, aut *vnus* termino communi conuenit duplex suppositio, determinata nimirum, & confusa. Determinata est *vsus termini pro aliqno suo inferiori, cui seorsim sumpto conueniat prædicatum*: vt cum dico *aliquis oculus videt, aliqua nauis nauigat*: termini oculus, & nauis supponunt determinatè, quia vt suppositio sit vera, dari debet aliquis

quis oculus, de quo seorsim sumpto verificetur quod videt, & si hoc non verificaretur de vllo oculo seorsim sumpto, propositio esset falsa. Idem dic de naui.

Confusa est *vsus termini communis pro aliquo inferiori, cui conuenit prædicatum non seorsim sumpto, sed sumpto disiunctim cum alijs*; ex. gr. cum dico *aliquis oculus requiritur ad videndum: aliqua nauis est necessaria ad nauigandum*: terminus oculus, & nauis sumuntur confusè. Neque enim de vllo oculo seorsim potest affirmari, quod requiratur ad videndum; nam dexter non requiritur, quia sufficit sinister, sinister non requiritur, quia sufficit dexter; at de vtroque disiunctim sumpto prędicatum affirmatur, cum sit verum, quod vel dexter, vel sinister requiritur: atque idem dic de naui. Ratio est, quia necessitas, exigentia, & ius ferri possunt ad plura indeterminatè, ita vt non magis ferantur ad vnum, quam ad aliud; ex. gr. ego ad viuendum exigo panem, sed non magis hunc panem, quam illum: creditori debentur mille aurei, sed non magis isti, quam illi &c. Ab hac igitur necessitate, quæ fertur ad plura indeterminatè, denominantur illa necessaria, & debita indeterminatè, & dicitur *aliquis panis est necessarius ad viuendum, aliqua pecunia debetur creditori*; licet de nullo pane seor-

ſim ſumpto verificetur, quod ſit neceſſarius, de nulla pecunia, quod ſit debita.

E conuerſo actiones, & paſſiones non poſſunt dari niſi in ſubiecto determinato hoc potius, quam illo, & niſi ad terminum determinatum, hunc potius, quam illum; ideo qui comedit panem, comedit panem determinatum, & qui ſoluit pecuniam, ſoluit pecuniam determinatam, hanc potius, quam illam. Idcirco propoſitiones iſtæ *aliquis panis comeditur, aliqua pecunia ſoluitur, aliquis oculus videt, &c.* ſupponunt determinatè.

De Aſcenſu, & Deſcenſu.
Cap. XXVI.

DEſcenſus eſt *progreſſus à termino communi, & ſuperiori ad inferiora in illo contenta per legitimam conſequentiam.* Aſcenſus eſt *progreſſus ab inferioribus ad terminum communem, & ſuperiorem illa continentem per legitimam conſequentiam.* Deſeruiunt deſcenſus, & aſcenſus ad penetrandam, & explicandam vim propoſitionum, in quibus termini ratione ſyncategorematis ſupponunt diſtributiuè, collectiuè, determinatè, vel confusè; atque adeo datur quadruplex aſcenſus, ac deſcenſus correſpondens quadruplici ſuppoſi-

poſitioni iam explicatæ.

Propoſitio diſtributiua reſoluitur per deſcenſum, in quo enumerantur inferiora, & de ſingulis ſeorſim ſumptis affirmatur, aut negatur prædicatum, copulando affirmationes, vel negationes per particulam & ; ex. gr. hæc propoſitio: *omnes Apoſtoli vocati fuerunt à Chriſto*, reſoluitur, & explicatur per deſcenſum dicendo; *ergo Petrus fuit vocatus à Chriſto &c.* Similiter hæc propoſitio : *nullus Apoſtolus euaſit mortem*; reſoluitur; *ergo nec Petrus euaſit mortem, nec Andreas &c.*

Aſcenſus è conuerſo fit progrediendo ab inferioribus ſufficienter enumeratis ad terminum communem, & ſuperiorem; ex. gr. *Petrus fuit vocatus à Chriſto, Andreas fuit vocatus, & ſic de reliquis; ergo omnes fuerunt vocati.*

Propoſitio collectiua reſoluitur per deſcenſum, in quo enumerantur inferiora, & nō de ſingulis, ſed de omnibus nō ſeorſim, ſed ſimul ſumptis, & copulatis per particulam & dicitur prædicatum; ex. gr. hæc propoſitio *omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, reſoluitur per deſcenſum dicendo; ergo *Petrus, & Andreas &c. ſimul ſumpti ſunt duodecim.*

Aſcenſus fit cum ab inferioribus ſimul ſumptis procedimus ad terminum communem dicendo *Petrus, & Andreas &c. ſimul*

ſumpti ſunt duodecim; ergo omnes Apoſtoli ſunt duodecim.

Propoſitio determinata reſoluitur per deſcenſum, in quo enumerantur inferiora, & de ſingulis affirmatur, aut negatur prædicatum, diſiungendo propoſitiones per particulam *vel*; ex. gr. hæc propoſitio *aliquis Apoſtolus fuit proditor*: reſoluitur *ergo vel Petrus fuit proditor, vel Iudas &c.* Aſcenſus verò fit progrediendo ab inferioribus ſic enumeratis ad terminum communem, & ſuperiorem.

Propoſitio confuſa reſoluitur per deſcenſum enumerando inferiora, & de ijs non ſeorſim, ſed diſiunctim ſumptis affirmando prædicatum; ex. gr. hæc propoſitio *aliquis oculus requiritur ad videndum*, reſoluitur dicendo; *ergo dexter, aut ſiniſter requiritur ad videndum.*

Aduerte, quod in ſuppoſitione ſimplici non valet deſcenſus ad inferiora, neque aſcenſus ad ſuperiora; ex. gr. non valet *homo eſt ſpecies; ergo Petrus eſt ſpecies*; nec valet *animal eſt genus; ergo homo eſt genus*; nec è conuerſo valet aſcenſus *homo eſt ſpecies; ergo animal eſt ſpecies.* Solum ergo valet aſcenſus, aut deſcenſus diuerſi generis ad ſuum correlatiuum; ex. gr. valet: *animal eſt genus reſpectu hominis, & equi; ergo homo, & equus ſunt ſpecies reſpectu animalis.*

De appellatione. Cap. XXVII.

SEcunda proprietas terminorum eſt appellatio. Definitur *tranſmiſſio ſignificati vnius termini ad rem ſignificatam per alium terminum*. Terminus cuius ſignificatum tranſmittitur, vocatur *appellans*: terminus ad quem tranſmittitur, vocatur *appellatus*.

Prædicatum ſemper appellat ſubiectum, ſed aliquando ſecundum rectum, aliquando ſecundum obliquum, & hoc eſt diligenter aduertendum ad æquiuocationes euitandas; ex. gr. in hac propoſitione *Chriſtus eſt æternus*, prædicatum *æternus* appellat ſolum perſonam diuinam, quæ importatur in recto, ſecundum quam ſolam Chriſtus eſt æternus; cum natura humana, quæ ſignificatur in obliquo, ſit ſolum temporalis.

In hac verò propoſitione *Chriſtus eſt paſſus, & mortuus* prædicatum appellat ſolam naturam humanam, quæ ſignificatur in obliquo, ſecundum quam ſolam Chriſtus eſt paſſus, & mortuus.

Præterea ponitur ſæpe in propoſitione vltra prædicatum, & ſubiectum principale aliquis terminus, de quo poteſt eſſe dubiũ an appellet prædicatum, vel ſubiectum & niſi id explicetur committuntur æqui-

uocationes. Ex. gr. in hac propositione *Petrus magnus est logicus*, ambiguum est an ly *magnus* appellet subiectum, & sensus sit *Petrus qui secundum staturam est magnus, est logicus*, an appellet prædicatum, & sensus sit *Petrus est valde peritus, & excellens in logica*.

Debent igitur omnia diligenter attendi, vt penetretur quinam terminus appelletur, & cum res est ambigua debet distingui, atque hæc est optima regula; nam illæ, quæ solent tradi potius rem obscurant, quam explicent.

De statu, Ampliatione. & Restrictione. Caput. XXVIII.

Tertia proprietas est status. Definitur: *acceptio termini pro tempore importato per copulam*. Ita cum dico *Petrus est iustus* tam subiectum, quam prædicatum accipitur cum statu, quia vt propositio sit vera, tempore præsenti debet Petrus existere, & in eo esse iustitia.

Quarta proprietas est ampliatio, quæ opponitur statui, & definitur *acceptio termini pro tempore diuerso ab eo, quod importatur per copulam*; vt cum dico *iustus peccat mortaliter*: subiectum *iustus* sumitur ampliatiuè pro tempore immediatè præter-

terito. Neque enim sensus propositionis est, *ille qui nunc est iustus, peccat mortaliter*: nam eo ipso quod nunc mortaliter peccat, non est iustus, sed iniustus; sed sensus est, *ille qui immediatè ante erat iustus, nunc peccat*.

Ad soluenda sophismata aduertendum est diligenter an termini sumantur cum statu, vel cum ampliatione. Ideo vt multi docent sunt falsæ istæ propositiones: quando homo moritur, tunc est: quando ignis extinguitur, tunc est; quando res interit, corrumpitur, destruitur, desinit &c tunc est: nam subiectum in his propositionibus sumitur ampliatiuè pro tempore immediatè antecedente, atque adeo quando homo moritur, tunc primum non est, sed fuit immediatè ante: quando res corrumpitur, ac desinit, tunc res non est, sed fuit immediatè ante.

E contra sunt falsæ istæ propositiones: quando homo generatur non est: quando mundus creabatur, non erat. Nam in istis propositionibus subiectum sumitur cum statu, atque adeo quando aliquid generatur, creatur, fit, atque incipit, tum primo est, licet immediatè ante non fuerit.

Quinque enumerantur tempora, circa quæ fieri potest ampliatio, nimirum præsens, præteritum, futurum, possibile, & imaginarium.

Præter ampliationem, quæ opponitur ſtatui, datur etiam ampliatio, quæ opponitur reſtrictioni, & definitur: *extenſio termini à minori ad maiorem ſignificationem*. Reſtrictio verò definitur: *contractio termini à maiori ad minorem ſignificationem*. Ex gr. hic terminus *rationalis* ſi ſumatur ampliatiuè, ſignificat omne id, quod intelligit, ſeu intelligat per diſcurſum, ſeu ſine diſcurſu; & in hoc ſenſu etiam Deus, & Angeli ſunt rationales; ſi vero ſumatur reſtrictiuè ſignificat ſolum quod intelligit per diſcurſum proprium, & in hoc ſenſu ſolus homo eſt rationalis; Deus verò, & fortaſſe Angeli non ſunt rationales propriè, quia propriè non diſcurrunt.

Ad vitanda ſophiſmata debet attendi an termini ſumantur amplè, an latè, vel ſtrictè. Dicuntur etiam termini reſtringi per additionem alterius termini, vt cum dico *homo iuſtus ſaluabitur*, homo per additionem iuſti reſtringitur ad ſignificandum ſolum hominem iuſtus.

De diminutione, alienatione, & remotione, Caput. XXIX.

DIminutio eſt, *per quam denotatur prædicatum conuenire ſubiecto non toti ſed ſolum ſecundum partem*: vt cum dico

Aethiops est albus secundum quid, hoc est secundum dentes.

Alienatio est acceptio termini pro suo improprio significato; vt cum dico *Cæsar pictus venditur in foro*. Notandum est igitur diligenter, an quod additur alicui termino sit additum purè restringens, vel additum diminuens, vel alienans. Nam à prædicato cum addito restringente valet consequentia ad prædicatum sine tali addito: ex. gr. valet *Petrus est homo iustus; ergo Petrus est homo*. Similiter à propositione cum addito purè diminuente valet consequentia ad propositionem, in qua prædicatum affirmatur de certa parte subiecti; ex. gr. valet: *Aethyops est albus secundum quid hoc est secundum dentes; ergo dentes Aethyopis sunt albi.* At à propositione in qua prædicatum affirmatur cum addito distrahente, seu alienante, non valet consequentia, in qua prædicatum affirmatur absolutè, & sine addito de aliqua parte subiecti, vel de toto subiecto; ex. gr. non valet *imago hominis est homo pictus; ergo imago hominis est homo; iustitia, & misericordia Dei distinguuntur ratione; ergo distinguuntur.*

Remotio est auocatio termini à significatione entis realis ad significationem entis impossibilis, & chimerici. Vt cum dico *homo irrationalis* terminus *homo* auo-

catur ad significandum hominem impossibilem, & chimericum.

Debet igitur notari, an subiecto addatur terminus aliquis remouens. Tunc enim propositiones solent esse falsæ, & de subiecto non supponente; ex. gr. cum dicitur *creatura omnium perfectissima est minor Deo*, falsa est propositio, quia supponit dari posse creaturam omnium perfectissimam, quod est falsum, quia data quacumque creatura, dari potest perfectior in infinitum. Similiter istæ propositiones: *numerus omnium maximus non est infinitus; in primo instanti æternitatis mundus non erat*, sunt falsæ; & de subiecto non supponente; quia supponunt dari numerum omnium maximum, & dari primum instans æternitatis.

Cum verò termini remoti ponuntur pro subiecto in propositione conditionata tunc solet sequi vtraque pars contradictionis; ex. gr. cum quis dicit *si daretur creatura perfectissima esset minor* Deo, distinguendum est, esset minor solum, nego: esset simul minor, & non minor, concedo; nam ex eo quod esset creatura, sequitur, quod esset minor Deo, ex eo quod esset perfectissima, & non haberet creaturam perfectiorem supra se, esset Deus, quia solus Deus non habet creaturam supra se.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS
DE PROPOSITIONE

De nomine. Caput. XXX.



AGIT Aristoteles de propositione duobus libris, qui græcè inscribuntur περὶ ἑρμηνείας latinè de Interpretatione, quia nimirum per propositionem mentem nostram interpretamur, & exponimus; Et quia propositio est oratio, præcipuæ verò partes orationis sunt nomen, & verbum, ideo præmittit aliqua de nomine, verbo, & oratione.

Nomen definit cap. 2. libr. primo *vox significatiua, ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars significat separata, finita, & recta, quæ cum verbo veram, aut falsam efficit orationem.*

Pro intelligentia aduerte nomen esse ens artificiale. Porro entia artificialia constare solent ex materia, quam habent à natura, & ex forma quam habent ab arte; ex. gr. nauis constat tanquam ex materia ex lignis à natura factis, & tanquam ex forma, ex figura, & dispositione lignorum superaddita ab arte. Idcirco quan-

quando artificialia definiuntur, ſecundum regulam Ariſtotelis 8. Metaph. tex. 6. poni debet tanquam genus materia, quam habent à natura & tanquam differentia forma, quam habent ab arte: ex. gr. ſcamnum definitur *lignum ſic factum, & figuratum vt ſit aptum ad ſedendum*. Cum igitur nomen ſit ens artificiale, in eius definitione poni debet tanquam genus, *vox*, quæ eſt materia, quam nomen habet à natura, & tanquam differentia ſignificatio, quæ eſt forma vocibus ſuperaddita ab arte, & inſtitutione humana.

Sed iam explicandæ ſunt ſingulæ particulæ definitionis. Dicitur primo, *vox*: eſt autem vox ex Ariſtotele, ſecundo de Anima, tex. 90. *ſonus ex ore animalis prolatus cum quadam imaginatione*; ideoque ſoni, qui vel nō proferuntur ex ore animalis, vel proferuntur ſine vlla imaginatione, non ſunt voces.

Dicitur ſecundo *ſignificatiua*, & per hoc differt nomen à vocibus non ſignificatiuis tum articulatis vt *Blitri*, tum inarticulatis vt quidam ſibili.

Tertio dicitur *ex inſtituto*, ideoque ſuſpiria, & gemitus non ſunt nomina, quia ſignificant dolorem naturaliter, & non ex inſtitutione humana.

Dicitur quarto *ſine tempore*; & per hoc nomen differt à verbo, & participio, quod ſignifi-

ſignificat cum tempore ; ex.gr.verbum *amo* ſignificat actionem amandi vt factam tempore præſenti:at nomen *amor* ſignificat eandem actionem amandi non vt factam tempore præſenti,ſed ſine tempore. Porro ſignificare cum tempore non eſt ſolum ſignificare tempus, ſed eſt ſignificare rem,aut actionem vt exiſtentem, & menſuratam tempore præterito,præſenti, aut futuro reſpectu prolationis vocis. Ideo hæc nomina *tempus,annus, dies ,hora,* &c.ſignificant quidem tempus, ſed non ſignificant cum tempore. Rurſus hæc nomina *cœna, prandium* connotant tempus veſpertinum, per quod cœna differt à prandio,vel aliud tempus,per quod prandium differt à cœna, ſed non ſignificant actiones comedendi vt factas tempore præſenti,vel præterito: at verbum *cœno* ſignificat comeſtionem vt factam tempore præſenti.Præterea etiam in alio ſenſu verbum ſignificat cum tempore, quia nimirum declinatur per varia tempora, præſens,præteritum,& futurum,quod nulli nomini conuenit.

Dicitur quinto *cuius nulla pars ſeorſim ſignificat*: et per hoc nomen differt ab oratione,cuius partes ſignificant ſeparatæ; ita partes huius orationis *Petrus ſcribit* ſignificant ſeparatæ; ſecus ſyllabæ huius nominis *Petrus*.

Pro

Pro huius pleniori intelligentia aduerte quasdam proprietates conuenire toti principaliter,partibus verò conuenire secundario,in quantum sunt in toto, ita vt illis non conueniant, si seperentur à toto;ex.gr.potentia volatiua, & volatus conuenit toti aui, partibus verò auis,nempe alis,pedibus &c.conuenit secundario, & ratione totius, ideoque alę separatæ ab aue volare non possunt. Aliæ sunt proprietates, quæ conueniunt principaliter partibus,toti verò conueniunt secundario &, ratione partium; ex. gr. progresſio exercitus conuenit singulis hominibus principaliter, ideoque singuli homines etiam separati ab exercitu possunt progredi,toti verò exercitui conuenit secundario, & ratione singulorum hominum, ideoque totus exercitus in tantum progreditur, in quantum singuli milites progrediuntur.

Iam in casu nostro significatio conuenit toti nomini principaliter,partibus verò hoc est syllabis conuenit ratione totius: at verò toti orationi cõstanti ex pluribus partibus, nimirum dictionibus, conuenit significatio secundario, & ratione singularum dictionum;ideo nomina, & aliæ dictiones significant eo pacto, quo aues volant: partes nominum significant eo, pacto quo volat caput,pedes,& aliæ partes auiũ.

E con-

E conuerso tota oratio significat eo pacto, quo progreditur exercitus : singulæ partes orationis significant eo pacto, quo mouetur singuli milites in exercitu. Quo pacto partes nominum compositorum, quale est Respublica, non sint significatiuę dictum est cap. 9.

Dicitur sexto *finita* ad excludenda nomina infinita, qualia sunt *non homo, non leo*, quæ absolutè non sunt nomina, sed solum cum addito alienante, quia non significant determinatè aliquid, sed æquè dicuntur de ijs, quæ sunt, ac de ijs, quæ non sunt; ex.gr. sicut homo est non leo sic chimera est non leo.

Dicitur septimo *recta* ad excludendos casus obliquos, ex.gr *hominis, Deum* &c, qui absolute non sunt nomina, sed casus nominum, quia cadunt per quandam deriuationem originis à recto, quod quia absolutè est nomen, vocatur nominatiuus, & dicitur rectus, quia non cadit. Stoici tamen, quos sequuntur grammatici etiã nominatiuum dixerunt casum, quia, nimirum cadit à mentis conceptione, licet simul sit rectum, quia non repugnat aliquid ita cadere, vt remaneat rectum, eo pacto quo ferrum acutum ex alto decidens si infigatur in ligno, potest remanere rectum, & nullatenus inclinatum, vel obliquatum.

De-

Demum per vltimas particulas nomen differt à casibus obliquis, adverbijs, & alijs partibus orationis, quæ non sunt nomina. Nomen enim vnà cum verbo *est* efficit orationem veram, aut falsam; ex. gr. nomen *Petrus* coniunctum cum verbo *est* cum dicitur *Petrus est*, efficit orationem veram aut falsam: sed aduerbia obliqua & coniuncta cum verbo *est*, non faciunt orationem veram, aut falsam: neque enim hæc oratio *Petri est*, vel hæc alia, *sapienter est* sunt veræ, vel falsæ. Et quia talis proprietas simpliciter, & absolutè conuenit solis nominibus substantiuis: nam nomina adiectiua coniuncta cum verbo *est* non sufficiunt ad faciendam orationem veram vel falsam, vnde hæc oratio *albus est* non est vera, vel falsa: ideo sola nomina substantiua simpliciter, & absolutè sunt nomina, adiectiua verò sunt nomina cum addito, hoc est nomina adiectiua. Et confirmatur, quia sicut sola substantia est ens absolutè, & simpliciter, accidens verò est solum entis ens, sic sola nomina substantiua, quæ significant rem ad modum substantiæ, sunt nomina simpliciter, adiectiua verò, quæ significant ad modum accidentis sunt solum nomina adiectiua, & quasi nomina nominum. Adhuc tamen adiectiua participant rationem nominum magis quam aliæ partes orationis, quia possunt

effi-

efficere orationem veram, vel falſam tanquam partes principales illius, cum obliqua, aduerbia, propoſitiones, & alia huiuſmodi non tam ſint partes orationis, quam coniunctiones partium, eo pacto quo claui & alia ſimilia non tam ſunt partes nauis, quam coniunctiones partium.

Quæritur an caſus obliqui ſpecie differant inter ſe, & à recto; ex. gr. an genitiuus ſpecie differat à datiuo?

Reſpondeo primo caſus obliquos ſpecie differre à recto. Ratio eſt quia licet ſignificent eandem rem, tamen ſignificant illam vt diuerſo modo cognitam: nam diuerſo modo Petrus cognoſcitur, quando cognoſcitur in recto, ac quando cognoſcitur in obliquo. Confirmatur, & explicatur, nam imago repræſentans Cæſarem ſtantem, ac rectum differt ſpecie ab imagine, quæ repreſentat eundem ſedentem; ergo vox ſignificans Cæſarem in recto ſpecie differt à voce ſignificante eundem in obliquo. Imo ſicut imago ſedentis repręſentat actum ſeſsionis, quem non repreſentat imago ſtantis: ſic vox obliqua ſignificat ordinem ad ſuum rectum, quem non ſignificat vox recta.

Addo ſecundo caſus obliquos ſpecie differre inter ſe. Ratio eſt, quia ex primaria inſtitutione ſunt impoſita ad ſignificandum diuerſum ordinem, & habitudinem

ad

ad rectum: ex. gr. diuersum ordinem significare debet ista vox *Petri*, & ista vox *Petrum*, ideoque in græco, & vulgari idiomate diuersis casibus adduntur diuersi articuli significantes diuersum ordinem, ad rectum. Cum verò diuersi casus non significant de facto diuersum ordinem, vt cum dico *egeo pecunia, vel pecuniæ*, tum specie differunt solum grammaticaliter, non philosophicè, quia differunt solum quoad vocem. E conuerso cum idem casus modo significat vnum ordinem ad rectum, modo alium, tum est idem casus grammaticaliter, sed philosophicè diuersus.

De verbo. Caput.XXXI.

VErbum definitur eodem libro cap. 3. *Vox significatiua ex instituto, cum tempore, cuius nulla pars significat separata, finita & recta, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur nota.*

Particulę, in quibus verbum conuenit cum nomine, iam sunt explicatæ. Vt intelligatur differentia, per quam verbum differt à nomine, aduerte ex S. Thoma in Comment. duo esse genera entium, res nimirum, hoc est subiecta actionum, & passionum; & ipsas actiones, & passiones. Res solent esse permanentes, & solent es-

se

ſe principia, & ſubiecta actionum, & paſſionum; ex.gr. ignis eſt aliquid permanens, & principium calefactionis, & eſt ſubiectum multarum paſſionum; poteſt. enim recipere motum ab alio &c. E conuerſo actiones, & paſſiones ſolent eſſe fluxæ, & tranſire cum tempore: ex.gr. motus eſt fluxus, & conſumitur cum tempore: Sicut enim vna pars temporis pellit aliam, ſic vna pars motus pellit aliam, quod idem ſolet euenire in pleriſque actionibus, quas experimur. Rurſus actiones proueniunt à rebus, & iiſdem inhærent tanquam ſubiectis: ex gr. calefactio prouenit ab igne, & inhæret alicui ſubiecto.

Huic duplici generi entium correſpondent duo genera vocum, nomina nimirum, & verba.

Nomina præſertim ſubſtantiua ſignificāt per modum rerum; & ideo ſicut res ſunt ſubiecta actionum, & paſſionum, ita nomina in propoſitione ſunt ſubiecta verborum: ſicut res ſunt permanentes, ita nomina ſignificant permanenter; & ſine tempore. E conuerſo verba ſignificant per modum actionis, & paſſionis; atque ideò ſicut actiones, & paſſiones ſunt in ſubiecto; ita verba dicuntur de ſubiecto propoſitioenis; & ſicut actiones tempore menſurantur, ita verba ſignificant cum tempore.

Non

Non dico quod verba significent solas actiones; hoc enim est falsum: nam verbum *existo* significat existentiam, quæ non est actio; verba caleo, frigeo, significant qualitates caloris, & frigoris. Solum igitur assero, quod verba vel significãt actiones sicut *amo, curro,* vel significant res ad modum actionis, vt explicatum est. Similiter non dico quod nomina significant solum subiecta actionum: hoc enim est falsum, cum multa nomina ex.gr. calefactio, frigefactio &c. significent actiones, sed solum affirmo quod vel significant subiecta actionum vt homo, leo &c. vel significant actiones ad modum rerum permanentium, ita vt possint esse subiecta in propositionibus, vt explicatum est. Ideo fortasse vniuersalius dicerentur nomina significare essentias, quæ sunt æternæ, & non mensurantur tempore: verba verò significare actuales existentias cteàtas, quæ tempore mensurantur, vt alibi dicetur. Patet ex his in definitione verbi quid significet particula *cum tempore,* per quam verbum differt à nomine, & conuenit aliqualiter cum participio. Altera particula, per quam verbum differt etiam à participio est, vt sit *nota, seu signum eorum, quæ de altero prædicantur.* Dicitur autem verbum esse signum prædicati primo, quia omne verbum potest

significare prædicatum propositionis, nullum poteſt ſignificare ſubiectum, cum nomina, & participia poſſint etiam ſignificare ſubiectum. Ex gr. cum dico *feriens gladio peribit gladio*, participium *feriens* ſignificat ſubiectum: at cum dico *Petrus ferit*: verbum *ferit* ſignificat prædicatum, nec poteſt ſignificare ſubiectum, quia ſignificat per modum actionis, vt dictum eſt. Secundo dicitur verbum eſſe nota prædicati, quia ſignificat copulam, per quam prædicatum affirmatur de ſubiecto ex. gr. cum dico: *Petrus currit*, verbum *currit* ſignificat copulam *eſt*, ita vt ſit ſenſus P*etrus eſt currens*. Et quia verba infiniti modi, ex.gr. *currere* non ſignificant copulam, & poſſunt eſſe in propoſitione ſubiectum, vt patet in hac propoſitione *currere eſt moueri*; ideo potius ſunt nomina, quam verba. Aduerte, quod verba ſemper exercent in propoſitione munus ſignificandi copulam, alterum verò munus ſignificandi prædicatum non ſemper exercent, vt patet in hac propoſitione, *homo eſt animal*, in qua ly *eſt*, ſignificat ſolam copulam, & non prædicatum. Propoſitiones, in quibus verbum fungitur vtroque munere, vocantur de ſecundo adiacente, quia nimirum prædicatum adiacet ſecundo loco, & immediatè poſt ſubiectum, abſque eo quod mediet copula diſtincta,

ſtincta, vt patet in his propoſitionibus *Petrus currit*, *Petrus eſt*. Propoſitiones in quibus verbum fungitur munere ſolius copulæ, qualis eſt hæc; *homo eſt animal* vocantur de tertio adiacente, quia inter prædicatum, & ſubiectum mediat copula diſtincta, atque adeo prædicatum adiacet tertio loco. Verbum *ſum* vocatur ſubſtantiuum, quia ſignificat actum exiſtendi, qui eſt primus actus, & in quo fundantur alij actus: cætera verba, ex gr. *amo curro &c.* vocantur adiectiua, quia ſignificant actus, qui fundantur in exiſtentia quod enim non exiſtit, amare non poteſt neque currere &c.

Explicanda eſt tertia particula, quod verbum ſit vox finita. Additur autem ad excludenda verba infinita, ex gr. *non amo non curro*, quę vt dicit Ariſtoteles, non ſunt verba abſolutè, ſed cum addito diſtrahente, hoc eſt verba infinita.

Obijcit Hurtadus, & alij moderni verba non poſſunt infinitari: nam eo ipſo quod in propoſitione negatio præponitur verbo, ac dicitur ex gr. *Pètrus non currit*, propoſitio euadit negatiua, & non infinita; ergo fruſtra ponitur in definitione particula *finita*.

Reſpondeo negando antecedens; ſępe enim ex vſu cum negatio pręponitur verbo propoſitio non euadit negatiua, ſed infinita:

finita: ex. gr. in hoc argumento Aristotelico: *astra non scintillantia sunt prope nos; planetæ non scintillant; ergo planetæ sunt prope nos*; minor non est negatiua, sed infinita, & facit hunc sensum: *planetę sunt astra non scintillantia*. Si enim minor esset merè negatiua argumentum esset ineptum, & simile huic: *astra non scintillantia sunt prope nos; chimeræ non scintillant; ergo chimeræ sunt prope nos*, quo argumento nihil est ineptius, non ex alia ratione, nisi quia minor est merè negatiua. Licet igitur negatio quia est malignantis naturæ, quando præponitur verbo, & copulę, negare debeat copulam, & reddere propositionem purè negatiuam, non infinitam; tamen ex vsu loquentium sępe limitatur ad hoc, vt non neget copulam, sed cadat supra solum prędicatum, illud infinitando, vt explicatum est. Vltima particula est, quod verbum sit *vox recta*; & per hanc excluduntur verba obliqua, quę non sunt verba, sed casus verbi; obliqua autem sunt omnes modi præter indicatiuum, & omnia tempora præter præsens, ac proinde solum præsens indicatiui cuiuscumque personæ, ac numeri est verbum rectum. Ratio est, quia verbum simpliciter est quod significat esse, vel agere, vel pati simpliciter, & actu, sed solum præsens indicatiui cuiuscumque personæ, ac numeri significat

esse, aut agere, & pati simpliciter, & actu; ex. gr. *ego curro, tu curris*, significat, quod ego simpliciter, & actu curro; tu simpliciter, & actu curris, & solum variantur subiecta istarum actionum; ergo præsens indicatiui est verbum rectum. E conuerso alii modi, & alia tempora non significant esse, vel agere, aut pati simpliciter; ex. gr. *Petrus curret*, vel *Petrus curreret* nō significat quod simpliciter currit; ergo significant actiones valde obliquè, adeoque sunt casus obliqui. Addo prẹteritum, & futurnm esse tempora obliqua, quia sicut obliquum non potest intelligi nisi per ordinem ad rectum, ita prẹteritum, & futurum non possunt intelligi nisi per ordinem ad prẹsens; prẹteritum enim dicitur prẹteritum respectu prẹsentis, & præterea est illud, quod aliquando fuit præsens; idemque dic proportionaliter de futuro: at præsens intelligitur per se & sine ordine ad aliud tempus, vt patet experientia.

De Oratione. Caput. XXXII.

ORatio definitur capite 4. eiusdem libri: *vox significatiua ad placitum, cuius partium aliqua separata significat, vt dictio, non vt affirmatio, aut negatio*. Differt à nomine, & verbo, quia partes orationis separatæ significant, vt explicatum

est

eſt cap.primo. Additur quod partes orationis debent ſignificare vt dictiones,hoc eſt vt nomina,& verba &c, non verò vt affirmatio,vel negatio,hoc eſt vt integra propoſitio. Quamuis enim in quibuſdam orationibus compoſitis,ex.gr. in iſta *Petrus currit,& Paulus ſedet,* aliqua pars ,hoc eſt *Petrus currit* ſignificet vt integra propoſitio, tamen id nõ requiritur ad orationem in communi acceptam, licet neque repugnet orationi,& in definitione ſolũ ſignificatur,quod non requiritur.

Diuiditur oratio in perfectam , & imperfectam. Perfecta eſt , *quæ facit ſenſum perfectum , & non relinquit pendulum animũ audientis*,ex.gr. *Petrus currit*. Imperfecta eſt,*quæ facit ſenſum imperfectum , & pendulum relinquit animum audientis*; ex. gr. *ſi Petrus curreret*,& omnes orationes ſine verbo.

Oratio perfecta diuiditur in enunciatiuam,& non enunciatiuam. Non enunciatiua ex Ariſtotele eſt,in *qua non eſt verum, vel falſum*; ex.g r.*fac ſtudeas* : *vtinam ſtuderes*.Enunciatiua eſt *in qua eſt verum , vel falſum*;ex.gr.*Petrus ſtudet*. Signum autem eſt,quod cum quis dicit optatiuè *vtinam ſtudeas*,nemo reſpondebit *tu dicis verum vel falſum*; at cum dicitur indicatiuè *tu non ſtudes*,adhiberi ſolet reſponſio, falſum dicis.Et quia veritas,& falſitas dantur ſo-

lum in secunda,& tertia operatione, non verò in prima;ideo veritas,& falsitas dantur in vocibus solum significantibus res vt affirmatas, vel negatas, non verò in nominibus seorsim, quę non significant completè secundam,aut tertiam operationem. Ita cum dico *alter Deus* nondum dico verum,vel falsum;cuius signum est quia si addam *est* propositio erit falsa, si addam *non est* dicens *alter Deus non est* dicam verum. Ex orationibus etiam perfectis, quę significant principaliter res vt volitas,& nō affirmatas, non habent veritatē, aut falsitatem, vt patet in istis: *fac studeas, vtinam studeres*,quia veritas, & falsitas non dantur in actibus voluntatis.

Nota quod verum,& falsum sunt analoga attributionis,in quantum dicuntur de iudicio mentis,de vocibus, & de rebus. Iudicium mentis dicitur verum, in quantum habet veritatem in se,& est subiectū veritatis. Voces dicuntur veræ, in quantū sunt signa iudicij veri. Res sunt verę in quantum verificant,aut falsificant iudiciū, & sunt causa veritatis,aut falsitatis, iuxta illud Aristotiles in postprędicamentis; *ex eo quod res est,vel non est, propositio est vera,vel falsa*.

Orationes non enunciatiuæ, in quibus non est verum,vel falsum secundum Aristotelem non spectant ad logicam, quæ solum

lum curat de scientia, & de veritate, ac falsitate, sed spectant ad rhetores, & poetas, ideo illis relictis, agimus solum de enunciatiuis.

Quid sit enunciatio, seu propositio. Cap. XXXII.

DEfinitur enunciatio ab Aristotele primo Peri hermenias cap.4. *Oratio significans verum, vel falsum*: & primo Prior. cap. primo *oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo*. Ratio huius duplicis definitionis est, quia Aristoteles in lib. Prior. agit de enunciatione, in quantum ex illa constat syllogismus: ad constructionem autem syllogismi, & ad eius essentiam solũ attendi debet, an propositiones sint affirmatiuæ, vel negatiuæ: vtrum autem sint veræ, vel falsæ, attendi non debet, ideoque syllogismi, qui proponuntur ab Aristotele tanquam exempla cæterorum: constant ex propositionibus falsis, qualis est hic: *Omne A est B; omne C est A; ergo omne C est B*. E contra in libris Perihermenias agit de propositione in ordine ad scientiam, & demonstrationem, ad quã maximè refert quod propositiones sint veræ, cum scientia conclusionis acquiri non possit nisi per præmissas veras.

Licet enunciatio confundi soleat cum

propoſitione,tamen apud Ariſtotelē ſolet differre per hoc,quod enunciatio eſt oratio affirmatiua, vel negatiua ſecundum ſe: propoſitio eſt talis oratio, in quantum ponitur in ſyllogiſmo tanquam pręmiſſa. Simile eſt diſcrimen inter nomen, & terminum. Nomē enim eſt vox ſignificatiua ſecundum ſe:terminus verò eſt talis vox, in quantum ex eo componitur propoſitio, ſeu præmiſſa ſyllogiſmi; ideo enunciatio tum ſolum fit actu propoſitio, & nomen fit actu terminus,cum ex ijs componitur ſyllogiſmus.

Diſtinguit etiam Ariſtoteles primo Prior cap.primo propositionem dialecticam à demonſtratiua per hoc, quod propoſitio dialectica eſt interrogatio, ſeu ſumptio vtriuſque partis contradictionis. Interrogat enim dialecticus *homo eſt riſibilis nec ne?* & quæcumque pars concedatur à reſpondente illam ſumit, et ex ea conſtruit ſyllogiſmum. E contra propoſitio demonſtratiua eſt ſumptio vnius tantum partis contradictionis. Neque enim qui demonſtrat interrogat an homo ſit riſibilis,ſed id aſſumit tanquam certum, & addens aliam propoſitionem facit ſyllogiſmum Ratio diuerſitatis ſumitur ex diuerſo fine dialectici, ac demonſtrantis. Dialectica non habet pro fine proximo veritatem, ſed ſolum inſtruit intellectum

ad

ad disputandum in vtramque partem, vt ingenium exerceatur, ac disponatur ad inueniendas rationes pro quacumque re; ideo dialecticus non curat de veritate propositionum, sed solum de apparentia, & assumit illam partem contradictionis, quę respondenti videtur vera, & arguit ex illa. At demonstrans habet pro fine veritatem, ideoque non assumit illam partem, quæ videtur vera respondenti, sed illam, quæ vera est, & arguit ex illa ad demonstrandam conclusionem.

De materia, & forma propositionis.
Caput. XXXIV.

SIcut in domo, vel templo materia sunt lapides, ligna, & alia huiusmodi, forma verò est ordinatio materię, per quā alii lapides ponuntur supra, alij infra, &c; sic materia propositionis sunt termini qui in propositione componuntur, aut diuiduntur, forma verò est copula, in quantum ita terminos disponit, vt iste sit prędicatum, ille subiectum. Ideo cum in duabus propositionibus sunt ijdem termini, sed diuerso modo dispositi, vt accidit in istis: *omnis homo est risibilis*; *omne risibile est homo*, tales propositiones differunt non materia, sed forma.

Triplex assignatur materia; necessaria, impossi-

impossibilis,seu remota, & contingens. Materia necessaria est cum prædicatum inest,seu conuenit necessario subiecto, ita vt non possit non conuenire;ex.gr. in his propositionibus;*homo est animal, est rationalis,est risibilis* &c. materia est necessaria, quia prædicata rationalis,animalis,& risibilis conueniunt homini necessario, cum homo non possit non esse animal &c. In materia necessaria omnes propositiones affirmatiuæ sunt veræ, omnes negatiuæ sunt falsæ,vt patet in exemplis allatis.

Materia impossibilis est,cum prædicatū necessario repugnat subiecto, ita vt non possit conuenire; ex.gr.in hac propositione *omnis homo est lapis* est materia impossibilis,quia repugnat homini esse lapidem. In materia impossibili omnes propositiones negatiæ sunt verę,omnes affirmatiuæ sunt falsæ.

Materia contingens est, cum prædicato potest subiectum conuenire,vel non conuenire, vt *homo est albus*;nam homo potest esse albus,vel non esse albus. In materia contingenti omnes particulares solent esse veræ,omnes vniuersales falsæ. Ratione formę seu dispositionis terminorum propositiones diuiduntur in naturales,seu directas,& innaturales,seu indirectas. Naturales sunt, in quibus termini disponuntur,sicut postulant disponi, hoc est ita

vt

vt id quod significat ad modnm formæ sit prędicatum, id quod significat ad modum subiecti, sit subiectum; & etiam ita vt vniuersalius sit prædicatum, minus vniuersale sit subiectum. Innaturales sunt, in quibus termini disponuntur aliter, ac postulant disponi, hoc est ita vt magis vniuersale sit subiectum, minus vniuersale prædicatum; vel etiam vt forma sit subiectum, subiectum autem talis formæ sit prędicatum; ex. gr hęc propositio *homo est albus* est naturalis: e contra hęc alia propositio, *aliquod album est homo* est innaturalis, quia *album* quod significat formam sit subiectum; homo qui est subiectum albedinis, sit prędicatum. Similiter hęc propositio *homo est animal* est naturalis, quia prędicatum est vniuersalius subiecto: hęc alia *aliquod animal est homo*, est innaturalis ex opposita ratione.

Collige hanc propositionem *aliquod animal est rationale* esse partim naturalem, partim innaturalem: est naturalis quia rationale quod est quasi forma, prędicatur de subiecto: est autem innaturalis, quia rationale, quod est minus vniuersale, prędicatur de magis vniuersali.

De Quantitate propositionis Caput. XXXV.

QVantitas in rebus materialibus est extensio partium, in propositione extensio subiecti.

Ratione quantitatis propositio diuiditur in vniuersalem, & particularem, indefinitam, & singularem. Vniuersalis est, in qua subiectum est terminus communis, & sumitur pro omnibus inferioribus; vt cum dico *omnis homo est animal: nullus homo est equus*.

Particularis est, in qua subiectum est terminus communis, & sumitur pro aliquo tantum ex inferioribus; vt cum dico *aliquis homo est albus*.

Indefinita est, in qua subiectum est terminus communis, & non additur vllum signum determinans, quod sumatur pro omnibus, vel pro aliquo tantum inferiori: vt cum dicitur *homo est albus*. Propositiones indefinitę in materia necessaria, vel impossibili æquiualent vniuersalibus: ita hęc propositio *homo est animal*, ęquiualet isti *omnis homo est animal*; hęc alia propositio *homo non est equus*, ęquiualet vniuersali negatiuę. In materia contingenti ęquiualent particularibus; ex. gr. hęc propositio *homo non est iustus*, ęquiualet huic *aliquis*

quis homo non est iustus. Propositio singularis est,in qua subiectũ est terminus singularis;ex.gr. *Petrus currit*.

Sicut dantur syncategoremata media inter vniuersalia, & particularia, cuiusmodi sunt numeri,*duo,tria* &c. ita dantur propositiones medię, in quibus dantur notę numerales pręposita subiecto, vt cum dicitur *decem homines currunt*, & quo numerus est maior, eo magis propositiones participant de vniuersali, vt dictum est cap.21.

De *Qualitate propositionis*. *Caput.* XXXVI.

QValitas non accidentalis, sed essentialis propositionis, atque eiusdem essentialis differentia est, per quam propositio est affirmatiua, vel negatiua. Vocatur qualitas, quia interogationi *qualis est propositio*, respondetur *est affirmatiua*, *vel negatiua*. Dicitur qualitas essentialis, quia non est accidens propositionis, eo pacto, quo albedo ex.gr. est accidens hominis', ita vt ille homo, qui est albus, potuerit non esse albus, sed est differentia essentialis propositionis, eo pacto, quo rationalitas,& irrationalitas sunt differentiæ essentiales animalis.Sicut enim illud animal, quod est rationale, non potest

non esse rationale; sic illa propositio, quę est affirmatiua, non potest non esse affirmatiua eiusdem prædicati de eodem subiecto.

Propositio affirmatiua, seu affirmatio definitur ab Aristotele cap. 4. *enunciatio alicuius de aliquo*: hoc est enunciatio, per quam prædicatum componitur cum subiecto. Propositio negatiua definitur *enunciatio alicuius ab aliquo*, seu per quam prædicatum diuiditur à subiecto.

Sicut animal rationale est nobilius, quam irrationale, ita propositio affirmatiua est nobilior, quam negatiua. Ratio est, quia propositio negatiua minus nos facit scire res, quam affirmatiua. Per negatiuam enim tantum cognoscimus quid res non sit: per affirmatiuam autem cognoscimus quid sit res

Addit Aristoteles affirmationē esse priorem negatione. Ratio est, quia intellectus non potest negare ex. gr. hominem de lapide, nisi sciat aliqualiter, quid sit homo, & quid lapis. Ideo negatio semper fundatur in aliqua affirmatione.

De Vnitate Propositionis.
CAP. XXXVII.

QVia vnitas est proprietas entis, sicut cætera entia, sic etiam propositio suam

suam habet vnitatem, sed non omnes propositiones habent vnitatem eiusdem rationis. Quemadmodum enim tabula potest esse vel simplex seu simpliciter vna, vel composita, seu vna per coniunctionem, sic propositio. Tabula simpliciter vna nō intelligitur illa, quæ nullo pacto constat ex partibus, cum talis tabula non detur, sed intelligitur illa, quæ est omnino homogenea, hoc est eiusdem rationis, & non habet partes coniunctas aliquo glutine, vel clauis: si verò sint plures tabulę non coniunctæ aliquo glutine, tunc non faciunt unam tabulam, neque simpliciter, neque compositione, seu coniunctione. Proportionaliter propositio simplex non est illa, quæ nullo pacto componitur ex partibus, cum quælibet propositio constet ex prædicato, & subiecto; sed intelligitur illa, quæ constat ex vno prędicato, & vno subiecto: propositio verò composita est, in qua sunt plura prędicata, & plura subiecta, quę connexione quasi glutine fiant vnum.

Propositio simplex definitur ab Aristotele capit. 4. *in qua enunciatur vnum de vno*: vt cum dicò *Petrus est homo*. Propositio composita definitur ab eodem, *in qua enunciantur plura, quæ coniunctione fiant vnum*, vt cum dico, *Petrus est diues, & doctus*, quę fiunt vnum per coniunctionem

nem &c. Cum verò enunciantur plura, quę neque coniunctione fiunt unum, ex. gr. cum dico *Petrus est diues*, *Petrus est doctus*, tunc nullo modo fit vna propositio, sed absolutè, & simpliciter sunt plures propositiones.

Propositio composita diuiditur iuxta diuersum modum coniunctionis in disiunctiuam, conditionalem, causalem, & copulatiuam. Disiunctiua est *in qua plures propositiones disiunguntur, quod fit per particulam vel*, vt cum dicitur *Petrus, vel Paulus currit*. Conditionata, seu hypothetica est, *in qua plures propositiones coniunguntur cum dependentia vnius ab altera, quæ relinquitur suspensa; quod fit per particulam si*, vt cum dicitur, *si cras pluet, tyberis exundabit*. Propositio, quę relinquitur suspensa dicitur, *conditio*, siue hypothesis: propositio, quę pendet à propositione suspensa, vocatur conditionatum; ex. gr. in exemplo proposito, *si cras pluet* est conditio, *Tyberis exundabit*, est conditionatum.

Propositio causalis est, *in qua coniunguntur plures propositiones cum dependentia vnius ab altera, quæ non relinquitur suspensa, quod fit per particulam quia*, vt cum dicitur *quia cras pluet tyberis exundabit.*

Propositio copulatiua est *in qua plures propositiones coniunguntur sine dependentia*

unius ab alia, quod fit per particulam, &, vt cum dico *Petrus currit, & Paulus quiescit*.

Propositio simplex solet appellari categorica, hoc est prędicatiua; composita solet vocari hypothetica. Licet enim, nomen hypotheticę strictè sumptum conueniat solum conditionali, tamen latè sumptum applicatur omni propositioni compositę.

De Contradictione.

Cap. XXXVIII.

Contradictio definitur ab eodem Aristotele cap. 4 *affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, respectu eiusdem, in eodem sensu, & in ijsdem omnino circunstantiis*. Vt igitur duę propositiones sint contradictorię requiritur primo ut affirment, & negent idem prędicatum de eodem subiecto, ut contingit in istis, *Petrus currit, Petrus non currit*; si verò varietur prædicatum, aut subiectum, non sunt contradictoriæ, ut accidit in istis *Petrus currit, Petrus non volat*. Requiritur secundo, ut affirmetur, & negetur idem respectu eiusdem, ut accidit in istis, *musca est maior quam formica: musca non est maior formica*. E contra istæ duæ propositiones *musca est maior formica: musca non est maior elephanto*, non sunt contradictoriæ, quia affir-

affirmatur maioritas respectu formicæ, negatur maioritas respectu elephanti.

Tertio requiritur, ut prædicatum, & subiectum sumantur in eodem sensu, & non æquiuocè. Ideo non sunt contradictoriæ istę propositiones, *canis est animal latrabile: canis non est animal latrabile*, si nomen canis sumatur in prima propositione pro cane terrestri, in secunda pro cœlesti constellatione.

Quarto demum requiritur, ut affirmetur, & negetur idem de eodē pro iisdem circunstantiis temporis, loci &c. Ideo non sunt contradictoriæ istæ propositiones: *Petrus studet Romæ: Petrus non studet Bononiæ: Petrus studet duabus horis, Petrus non studet tribus horis*, quia affirmatur, & negatur studium pro diuerso tempore, aut loco.

Duę propositiones contradictorię non possunt esse simul verę, quia est primum principium euidentissimum, in quo fundantur omnes scientię, & omnes humani discursus, *non potest idem esse, ac non esse: non potest idem esse album, & non esse album*: nec possunt simul esse falsę, quia est etiam euidentissimum illud principium *quodlibet vel est, vel non est*, atque adeo non potest esse simul falsum, & quod sit, & quod non sit. Duę igitur contradictorię nec possunt simul concedi, nec simul negari,

negari, ſed qui concedit unam, debet alteram negare, qui negat unam, debet alteram concedere. Ad vitandas tamen fallacias debet attendi diligenter, quando proponuntur duę propoſitiones ut contradictorię, atque adeo tanquam nec ſimul concedibiles, nec ſimul negabiles, an verè ſint contradictorie, ita ut in ijs ſeruentur regulę ſupradictę: ſi enim non ſeruentur,poterunt ſimul concedi, vel ſimul negari.

Aduerte aliud eſſe propoſitiones contradictorias,aliud prędicata.Prędicata cōtradictoria ſunt,in quibus idē affirmatur, &negatur:ex. gr. eſſe hominem, & non eſſe hominem, ſunt prędicata contradictoria. Prędicata contradictoria non poſſunt ſimul verificari, vel falſificari de eodem ſubiecto: ex. gr. de eodem Petro non poteſt verificari quod ſit homo, & non ſit homo: de duobus ſubiectis poſſunt ſimul verificari,vel falſificari:ex. gr. ſimul eſt verum quod *Petrus ſit homo, & lapis non ſit homo*, ſimul eſt falſum quod *equus ſit homo*,& *Petrus non ſit homo*.

Eſt axioma commune, quod inter prędicata contradictoria non detur medium, cum detur medium inter prędicata oppoſita relatiuè contrariè, & priuatiuè Medium eſt duplex poſitiuum, & negatiuum. Poſitiuum eſt, *quod participat utrum-*

trumque extremum : ex. gr. inter calidissimum, & frigidissimum datur medium positiuum, nimirum tepidum, quod participat calorem & frigus. Medium negatiuum est, *quod caret vtroque extremo*. Inter prędicata contradictoria, qualia sunt *esse*, & *non esse*; *esse album*, & *non esse album*, neque datur medium positiuum, quod simul sit, & non sit, neque medium negatiuum, quod neque sit, neque non sit. At verò inter prędicata opposita relatiuè, contrariè, & priuatiuè datur medium saltem negatiuum: ex. gr. inter Patrem & Filium datur Spiritus Sanctus, qui neque est Pater, neque est Filius: inter album, & nigrum datur rubrum, quod neque est nigrum, neque album: inter lucidum, & tenebrosum datur angelus, qui neque est lucidus, neque tenebrosus.

Aduertendum est igitur diligenter, quando formantur aliquę propositiones disiunctiuę de prędicatis oppositis, an talia prędicata sint contradictoria: si enim sunt contradictoria negari non possunt; si verò non sint contradictoria sæpe debebunt negari: ex. gr. est neganda hęc propositio; *quodlibet vel mouetur, vel quiescit*, quia ens immobile, qualis est Deus, neque mouetur, neque quiescit propriè. Quies enim propria est *priuatio motus in subiecto mobili*; sed Deus non

est mobilis ; ergo in Deo non datur qui es propriè.

Propositiones singulares eo ipso quod differunt qualitate, ita vt vna sit affirmatiua, altera negatiua eiusdem prędicati de eodem subiecto, sunt contradictorię. Propositiones verò non singulares non eo ipso, quod differunt qualitate, sunt contradictorię. Ita hę propositiones, *homo currit*, *homo non currit* non sunt contradictorię, sed vtraque est vera. Requiritur ergo ulterius, vt differant quantitate, ut iam explicabitur.

De Oppositione propositionum. *Cap. XXXIX.*

OPpositio est *duarum propositionum habentium idem prædicatum, & subiectum secundum quantitatem, vel qualitatem differentia*. Duę conditiones requiruntur ad oppositionem. Prima est vt habeant idem prędicatum, & subiectum. Si enim prędicatum, aut subiectum sit diuersum, propositiones non erunt oppositę: ex. gr. istę *omnis homo est risibilis*; *nullus equus est risibilis* non sunt oppositę, quia habent diuersum subiectum. Secunda est ut differant quantitate, vel qualitate, vel utraque. Oppositio propositionum de subiecto communi quadruplex est. Propositiones enim singulares capaces sunt tantum

oppositionis contradictoriç. Prima est contradictoria, secunda contraria, tertia subcontraria, quarta subalterna.

Contradictoria est *per quam duæ propositiones de eodem prædicato, ac subiecto differunt quantitate,&qualitate,* ita vt vna sit affirmatiua, altera negatiua, una sit vniuersalis, altera particularis: ex. gr. istç duç propositiones; *omnis homo est iustus; aliquis homo non est iustus* sunt contradictoriç; & similiter istç *nullus homo est iustus; aliquis homo est iustus.* Propositiones contradictoriç nec possunt esse simul veræ, nec simul falsç ideoque nec possunt simul concedi, nec simul negari.

Contraria est *per quam duæ propositiones uniuersales differunt in sola qualitate;* ex. gr. *omnis homo est iustus, nullus homo est iustus* sunt propositiones contrariç. Propositiones contrariç non possunt simul esse verç, atque adeo concedi non possunt simul, possunt esse simul falsç, ideoque negari possunt simul.

Subcontraria est *per quam duæ propositiones particulares differunt in sola qualitate;* ex. g. *aliquis homo est iustus; aliquis homo non est iustus.* Possunt simul esse verç, ideoque possunt simul concedi; non possunt simul esse falsç, ideoque non possunt simul negari.



Omnis Homo eſt Iuſtus	Contrariæ	Nullus Homo eſt Iuſtus
SVBALTERNÆ	CONTRA DICTORIÆ / CONTRA DICTORIÆ	SVBALTERNÆ
Aliquis Homo eſt Iuſtus	Subcontrariæ	Aliquis Homo nō eſt Iuſtus

Subalterna est *per quam duæ propositiones eiusdem qualitatis differunt in quantitate*, ex. gr. *omnis homo est iustus; aliquis homo est iustus*. Possunt esse simul verę, & simul falsę, et si vniuersalis est vera, etiam particularis est vera; si verò particularis est falsa, etiam uniuersalis est falsa.

Exempla harum propositionum apposita figura exibebit.

Aduerte quod in materia de propositionibus nomine propositionis affirmatiuę uniuersalis intelligitur distributiua, nomine particularis affirmatiuę intelligitur determinata. Ideo istę duę propositiones; *omnes Apostoli sunt duodecim, aliqui Apostoli non sunt duodecim*; non snnt contradictorię, sed vtraque est uera, quia uniuersalis non est distributiua, sed collectiua.

Collige maximam oppositionem esse contradictoriam. Nam maxima oppositio est, per quam duo se inuicem excludunt, ita ut exclusio unius sit inclusio alterius, ergo &c.

Secunda oppositio est contraria. Cum enim duę contrarię non possint simul esse uerę se inuicem excludunt; cum possint simul esse falsę non ita se excludunt, ut exclusio unius sit inclusio alterius, ergo, &c.

Tertia & non ita propria est subcontra-

traria. Cum enim subcoutrariæ possint esse simul verę nō se inuicem excludunt, cum non possint esse simul falsæ, exclusio vnius est inclusio alterius, ideoque participant aliquid de oppositis.

Quarta demum, & impropriijssima est subalterna. Cum enim subalternæ possint esse simul verę, & simul falsę, non participant veram rationem oppositionis, cum neque se inuicem excludant, neque exclusio vnius est inclusio alterius Opponūntur ergo solum relatiuè, sicut magnum, & paruum.

De Aequipollentia. Cap. XXXX.

Æquipollentia est duarum propositionum ęquiualentia in significādo. Sicut enim duę monetę dicuntur ęquiualentes, quando idem valent; sic duę propositiones dicuntur ęquiualentes, quando idem significant.

Ad cognoscendum quando propositiones æquipolleant, traduntur aliquæ regulę explicantes quomodo propositiones oppositę reddantur aequiualentes.

Prima, & fundamentalis regula est: negatio hoc est particula *non* est malignantis naturę, hoc est inuertit, & mutat quantitatem, & qualitatem, cui præponitur; nam si præponatur quātitati vniuersali, mutat

illam

illam in particularem: proportionaliter si proponatur quantitati affirmatiuę, mutat illam in negatiuam; si negatiuę mutat illam in affirmatiuam. Ex. gr. *nullus* est signum vniuersale negatiuum. Si igitur præponatur *non*, & dicatur *non nullus*, euadit particulare affirmatiuum, & idem significat *ac aliqui*; idem dic de cœteris.

In hac regula fundantur alię tres regulę explicatę hoc versiculo.

Præ contradic, post contra, præ postque sub alter.

Prima regula est *præ contradic*, hoc est una contradictoria euadit æquipollens alteri præponendo negationem propositioni: ex. gr. hæc propositio *nullus homo currit*, si præponam *non*, & dicam *nonnullus homo currit*, æquipollet suæ contradictoriæ, quæ est *aliquis homo currit.* Idem enim significat *nonnullus* ac *aliquis*.

Secunda regula pro contrariis, & subcontrariis est *post contra*: hoc est vna contraria vel subcontraria fit æquipollens alteri, præponendo negationem subiecto, & illam anteponendo soli copulæ: ex. gr. *omnis homo currit* postponendo negationem copulæ, & dicendo *omnis homo non currit* æquipollet contrariæ, & idem significat atque hæc *nullus homo currit*.

Tertia pro subalternis est *præ postque subalter*, hoc est subalternæ redduntur

ęqui-

æquipollentes,præponendo negationem semel copulæ, semel toti propositioni; ex. gr. hæc propositio *omnis homo currit*, dicendo *non omnis homo non currit*, redditur æquipolens suæ subalternæ, quæ est *aliquis homo currit*.

Quæres an propositiones infinitæ æquipolleant purè negatiuis?

Respondeo, quod cum prædicatum est aliqua actualis existentia,nō æquipollent, seu infinitetur subiectum, seu infinitetur prædicatum: exemp. gr. hæc propositio negatiua *Petrus non currit actu* non ęquipollet huic, in qua infinitatur prędicatum *Petrus est actu non currens*. Si enim Petrus non existeret,vera esset propositio hæc negatiua, *Petrus non currit actu*: at falsa esset infinita *Petrus est actu non currens*: nam per hanc affirmatur quod actu existat.Similiter propositio negatiua *Petrus non currit actu* non æquiualet huic infinitę ex parte subiecti *non Petrus currit actu*: nam in prima negatur, quod Petrus currat actu, in secunda affirmatur quod currat actu aliquid distinctum à Petro, ideoque si nihil curreret, vera esset negatiua *Petrus non currit actu*, ac falsa esset infinita *non Petrus currit actu*.

Cum tamen prędicatum non est aliqua actualis existentia, tunc propositio negatiua æquiualet infinitæ ex parte prędi-

cati, at non æquiualet infinitæ ex parte subiecti; ex. g hęc propositio *nullus homo est equus*, æquiualet huic *omnis homo est non equus*: at non æquiualet isti alteri infinitę ex parte subiecti *omnis non homo est equus*: nam negatiua est vera, infinita est falsa, quia leo est non homo, & tamen non est equus.

De Conuersione. Cap. XLI.

CONuersio est *vnius propositionis ad alteram per extremorum transpositionem. necessaria consequentia*. Duæ conditiones requiruntur ad conuersionem. Prima est, vt prædicatum fiat subiectum, & subiectum fiat prędicatum. Secunda est, vt facta tali transpositione consequentia sequatur necessario, ita vt concesso antecedenti, non possit negari consequentia. Propositio antecedēs vocatur cōuersa propositio consequens vocatur cōuertēs.

Conuersio propositionum constantium ex terminis communibus est triplex: simplex, per accidēs, & per cōtrapositionem. Simplex est in qua retinetur quantitas propositionis, ita vt si conuersa erat vniuersalis, etiam conuertens sit vniuersalis, si conuersa erat particularis, etiam conuertens sit particularis. Simpliciter conuertuntur solum vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua. Exemplum vni

uerſalis negatiuæ eſt *nullus homo eſt equus ; ergo nullus equus eſt homo.* Exemplum particularis affirmatiuæ eſt *aliquis homo eſt animal ; ergo aliquod animal eſt homo.*

Conuerſio per accidens eſt, in qua mutatur quantitas, ita vt ex vniuerſali inferatur particularis, vel è conuerſo. Per accidens conuertuntur omnes vniuerſales. Exemplum vniuerſalis affirmatiuæ eſt *omnis homo eſt animal ; ergo aliquod animal eſt homo.* Exemplum negatiuæ eſt: *nullus homo eſt equus ; ergo aliquis equus non eſt homo.*

Conuerſio per contrapoſitionem eſt, in qua retinetur quantitas, ſed infinitantur extrema, prædicatum nimirum, & ſubiectum. Per contrapoſitionem conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua. Exemplum vniuerſalis affirmatiuæ eſt *omnis homo eſt animal ; ergo omne non animal eſt non homo.* Exemplum particularis negatiuę eſt *aliquod animal non eſt homo ; ergo aliquis non homo non eſt non animal.*

Iſtæ regulæ continentur iſtis quatuor verſibus.

Aſſerit A, negat E, ſunt vniuerſaliter ambæ.
Aſſerit I, negat O, ſunt particulariter ambæ.
Simpliciter feci, conuertitur Eua per acci;
Aſto per contra, ſic fit conuerſio tota.

Senſus eſt: vocalis A ſignificat vniuer-
ſalem

ſalem affirmatiuam; vocalis E ſignificat vniuerſalem negatiuam; vocalis I ſignificat particularem negatiuam. Vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua ſignificatæ vocalibus E & I dictionis *Feci* conuertuntur ſimpliciter. Vocales A, E, hoc eſt vniuerſalis affirmatiua, & negatiua ſignificatæ per *Eūa* conuertuntur per accidens. Vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua ſignificatæ per A, O dictionis *Aſto* cōuertũtur per cõtrapoſitionẽ.

Obijcies: iſta propoſitio *nullus ſenex erit puer* eſt vniuerſalis negatiua, & tamen non poteſt conuerti ſimpliciter in hanc; *ergo nullus puer erit ſenex*; ergo non omnis propoſitio vniuerſalis negatiua conuertitur ſimpliciter.

Reſpondeo quod poteſt conuerti tranſponendo integrum prædicatum. Integrum autem prædicatum non eſt *puer*, ſed *futurus puer*: ſenſus enim propoſitionis eſt *nullus ſenex eſt futurus puer*; & valet conuerſio ſimplex; *ergo nullus futurus puer eſt ſenex*. Idem contingit in hac propoſitione *nullus puer fuit ſenex*: conuertitur enim; *ergo nullus qui fuit ſenex eſt puer*.

De Propositionibus disiunctiuis, & copulatiuis. Cap. XLII.

EGimus de propositionibus simplicibus: iam breuiter agendum est de compositis.

Propositio copulatiua comparatur ad disiunctiuam, sicut vniuersalis ad particularem; ideo propositio vniuersalis per descensum resoluitur in propositionem copulatiuam, particularis in disiunctiuam, vt dictum est cap. 26. Sicut ergo ad veritatem propositionis vniuersalis requiritur, vt prædicatum conueniat singulis inferioribus seorsim, ad veritatem autem particularis sufficit, quod prædicatum conueniat vni tantum, sic ad veritatem propositionis copulatiuæ ex parte subiecti requiritur, vt prædicatum conueniat singulis copulatis seorsim; ad veritatem disiunctiuæ sufficit, vt conueniat vni: ex. gr. vt sit vera hæc propositio copulatiua *Petrus, & Paulus currunt*, vterque debet currere; vt autem sit vera hæc propositio disiunctiua *Petrus, vel Paulus currit*, sufficit quod cursus conueniat vni, & ita eo ipso, quod Petrus currit, licet Paulus non currat, propositio est vera. Ideo est axioma commune: *ad veritatem disiunctiuæ sufficit, quod verificetur vna pars: ad veritatem copulati-*

uæ verificari debent omnes partes.

Quæres an disiunctiua sit vera, cum verificatur vtraque pars; ex. gr. an hæc propositio verificetur *Petrus vel est diues, vel est doctus*, si sit simul diues, & doctus.

Respondeo esse veram, nisi aliunde constet, quod ex mente proferentis subintelligitur *tantum*; & sensus est *Petrus vel est solum diues, & non doctus, vel est solum doctus, & non diues*. Explicatur exemplo preceptorum. Præceptum enim disiunctiuum regulariter impletur faciendo vtrumque: ex. gr. præceptum illud vt mulieres in purificatione offerrent domino par turturum, aut duos pullos columbarum, implebatur à muliere, etiamsi offerret simul turtures, & columbas. At verò si princeps preciperet Oeconomo, vt donaret alicui vel prædium, vel palatium principis, profecto non impleretur dando vtrumque.

Quia propositio copulatiua habet quantitatem vniuersalem, disiunctiua particularem, possunt statim inferri regulæ oppositionum. Duæ copulatiuæ, atque adeo vniuersales differentes qualitate, sunt contrariæ, & non possunt esse simul veræ, possunt esse simul falsæ. Duæ disiunctiuæ, atque adeo particulares differentes qualitate sunt subcontrariæ, & possunt esse simul veræ, sed non simul falsæ. Copulati-

ua, & disiunctiua, atque adeo differentes quantitate, si differant etiam qualitate, sunt contradictoriæ, & neque possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Copulatiuæ, & disiunctiuæ si sint eiusdem qualitatis sunt subalternæ, & ideo si copulatiua est vera, etiam disiunctiua est vera, & è contra. Exempla sequens figura monstrabit.

Quia ad veritatem disiunctiuæ requiritur, vt verificetur vna pars, possumus ex falsitate vnius partis inferre veritatem alterius, & ita concludit hoc argumentum *Petrus vel est diues, vel est doctus; non est diues; ergo est doctus*, nec concessis præmissis potest negari consequentia. E contra quia sufficit veritas vnius partis, ineptè ex veritate vnius, infertur veritas alterius partis. Ideo ineptum est argumentum *Petrus vel est diues, vel est doctus; sed est diues; ergo est doctus. Similiter Petrus vel est, vel non est; sed est; ergo non est.*

De Propositione conditionali, & causali. Caput XLIII.

PRopositio conditionalis alia est connexiua, alia puræ concomitantiæ. Connexiua est, *in qua affirmatur connexio inter conditionem, & obiectum conditionatum, seu sit connexio causæ cum effectu, seu connexio effectus cum causa*: ex.gr. cum Martha dice-

dicebat Christo; *si fuisses hic non fuisset mortuus frater meus*, affirmabat connexionem inter præsentiam Christi, & non mortem Lazari tanquam effectum præsentię Christi. Conditionales saltem per modum coniunctiuum habent suam veritatem, vel falsitatem etiam cum non impletur conditio. Ita hæc propositio S. Augustini; *si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset*, habet suam veritatem, etiamsi impleta non fuerit conditio quæ tamen veritas sæpe est nota soli Deo.

Conditionalis connexiua est copulatiua ex parte obiecti conditionati, quia copulat duas propositiones, per quas affirmat quod obiectũ cõditionatũ daretur, & quod esset connexum cum conditione: ex. gr. Martha affirmabat, quod si Christus adfuisset & Lazarus non fuisset mortuus, & præsentia Christi fuisset causa cur non moreretur. Et quia vt dictum est cap. 42. vt contradicatur propositioni copulatiuæ debent disiungi quæ copulabantur, ideo vt contradicatur conditionatæ *si Christus adfuisset, Lazarus non fuisset mortuus*, debet dici *si Christus adfuisset, vel Lazarus non fuisset mortuus, vèl præsentia Christi nõn fuisset causa cur non moreretur*. Hoc autem fit præponendo negationem toti propositioni, ac dicendo *non si Christus adfuisset, Lazarus non fuisset mortuus*: quæ propositio

æquiualet disiunctiuæ explicatæ. Condi-ditionalis connexiua alia affirmat essentialem connexionem inter conditionem, & conditionatum; vt cum dicitur *si Petrus est prædestinatus, saluabitur*: repugnat enim, quod Petrus simul sit prædestinatus, & non saluetur: alia affirmat connexionem solum contingentem; vt *si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset*; & tamen poterat Stephanus non orare, & adhuc Ecclesia Paulum habere.

Cōditionales puræ concomitantię sunt, *in quibus non affirmatur quod conditio habeat connexionem cum obiecto conditionato*; vt cum aliquis dicit, *si Papa vigilat Turca dormit*. Neque enim affirmo, quod vigilia Papæ habeat vllam connexionem cum dormitione Turcę.

Existimo in intellectu dari non posse conditionatas purę concomitantiæ. Ratio est, quia intellectus non potest alligare affirmationem obiecti alicui conditioni impertinenti, ita vt siue sit, siue non sit talis conditio, obiectum debeat eodem prorsus modo se habere; sed talis est conditio concomitans; ergo non potest affirmatio obiecti conditionati alligari conditioni purè concomitanti. Tales ergo propositiones cum vocaliter proponuntur, sunt ludicræ, & ad risum excitandum; veluti cum quis dicit, vox blitri habet ma-

magnam virtutem. Si quis enim illam profert, & simul lapidem iaciat in canem, canis statim fugiet. Sic cum dicitur *si Papa vigilat, Turca dormit*: si propositio verè sit conditionata, debet subintelligi, *si Papa vigilat, & datur alia causa dormitionis Turcæ, Turca dormit.*

Ex propositionibus conditionalibus duo modi argumentandi sunt vsitatissimi. Primus est ex positione, seu purificatione conditionis, seu antecedentis ad positionem conditionati, seu consequentis; ex. gr. *si Petrus est homo, est animal; sed Petrus est homo; ergo est animal.*

Secundus est ex destructione, seu contradictione consequentis, hoc est conditionati, ad destructionem, seu contradictionem antecedentis, hoc est conditionis; ex. gr. *si Iudas fuisset prædestinatus, fuisset saluatus; sed Iudas non fuit saluatus; ergo non fuit prædestinatus.* Similiter *si daretur infinitum pars esset æqualis toti; consequens est absurdum; ergo & antecedens.*

Notandum est autem, quod sicut à positione absoluta antecedentis valet argumentum ad positionem absolutam consequentis, sic à positione conditionata antecedentis valet argumentum ad positionem conditionatam consequentis. Ex. gr. valet hoc argumentum: *si est homo, est animal; si est rationale est homo; ergo si est ratio-*

nale est animal. Similiter à destructione conditionata cõsequentis valet argumentum ad destructionem conditionatam antecedentis; ex. gr. *si est homo, est animal, sed si est lapis non est animal; ergo si est lapis non est homo*. Isti duo modi, & quasi figuræ argumentandi possunt multipliciter variari mutando quantitatem, & qualitatem tum antecedentis, tum consequentis; sed quia concludunt omnes eodem modo, non est immorandum.

Quoad propositiones causales proportionaliter ad dicta de conditionalibus assero, quod illis contradicatur, preponendo negationem toti propositioni: ex gr. huic propositioni *quia cras pluet, Tyberis exundabit*, contradicitur dicendo, *non quia cras pluet Tyberis exundabit*. Sensus autem est *vel cras non pluet, vel Tyberis non exundabit, vel pluuia non erit causa exundationis*.

Addo, quod etiam causales aliquando significant causam essentialiter connexam cum effectu; vt cum dicitur, *quia Deus voluit creauit mundum*: aliquando causam connexam contingenter, vt *quia Stephanus orauit, Paulus est conuersus*: oratio enim Stephani potuit non exaudiri, atque adeo connexa fuit contingenter cum conuersione Pauli.

De Propositionibus exponibilibus. *Caput XLIV.*

PRopositiones exponibiles sunt *quæ indigent expositione, vt penetretur earum vis, & significatio*. Illæ verò propositiones, per quas exponuntur, vocantur exponentes. Vsitatissimæ sunt exclusiuę, exceptiuę, & reduplicatiuæ. Exclusiuę sunt *per quas vel alia subiecta excluduntur à prædicato, vel alia prædicata saltem eiusdem generis excluduntur à subiecto*, quæ exclusio fit per particulas *tantum, dumtaxat, solum, &c.* quæ idcirco vocantur signa exclusiua. Exemplum exclusiuarum ex parte subiecti est, *solus Deus est æternus*; excluduntur enim à prædicato *æterni* alia subiecta, quę non sunt Deus. Exemplum exclusiuarum ex parte prædicati est, *Petrus est nequam tantum*, excluduntur enim à Petro prędicata furis, latronis, astuti, & aliarum qualitatum similium.

Cauendum est ne confundantur exclusiuę ex parte prædicati cum exclusiuis ex parte subiecti. Sæpe enim vna exclusiua est vera, altera falsa. Ex. gr. si Petrus nullam aliam facultatem didicerit, quam Logicam, vera erit exclusiua ex parte prædicati, *Petrus est Logicus tantum*: at falsa erit exclusiua ex parte subiecti *tantum Pe-*

trus est Logicus, quia sunt alij Logici præter Petrum.

Propositiones exclusiuæ ex parte subiecti sunt vel affirmatiuæ signi, & copulæ, vel negatiuæ signi, & copulæ, vel affirmatiuæ signi, & negatiuę copulæ, vel negatiuæ signi, & affirmatiuę copulæ.

Exemplum affirmatiuæ simul signi, & copulæ est, *tantum Deus est æternus*: exponitur per istam copulatiuam *Deus est æternus, & nihil aliud est æternum*: contradicitur per hanc disiunctiuam *vel Deus non est æternus, vel aliquid aliud est æternum*.

Exemplum negatiuæ signi, & copulæ est, *non tantum Deus non est mortalis*: exponitur per hanc *Deus non est mortalis, & etiam aliquid aliud non est mortale*; contradicitur per hanc *vel Deus est mortalis, vel nihil aliud non est mortale*.

Exemplum affirmatiuæ signi, & negatiuę copulæ est: *tantum Deus non incepit*; exponitur per hanc *Deus non incepit, & omnia alia inceperunt*: contradicitur per hanc *vel Deus incepit, vel aliquid aliud non incepit*.

Exemplum negatiuæ de signo, & affirmatiuæ de copula est *non tantum Deus est intellectiuus*: exponitur per hanc *Deus est intellectiuus, & aliquid aliud est intellectiuum*: contradicitur per hanc *vel Deus non est intellectiuus, vel nihil aliud est intel-*

lectiuum. Eodem pacto quiuis poterit facile exponere exclusiuas ex parte prædicati ; ex. gr. hęc propositio *Petrus est Logicus tantum*, exponitur per hanc *Petrus est Logicus, & nullam aliam facultatem callet*.

Propositio exceptiua est, *per quam aliquid inferius subiecto, & sub illo contentum excipitur à participatione prædicati*, quod fit per particulas *præter, nisi, &c.* quæ idcirco vocantur exceptiuę. Exemplum est : *omnes homines præter Christum fuerunt peccabiles*. In hac propositione Christus, qui est terminus contentus sub homine, excipitur à prędicato peccabilis. Exponitur *Christus non est peccabilis, & omnes alij homines sunt peccabiles*. Contradicitur *vel Christus est peccabilis, vel aliquis alius homo non est peccabilis*. Propositio ergo exclusiua ex parte subiecti per hoc differt ab exceptiua, quod per exceptiuam excluditur à prędicato aliquid contentum in subiecto : ita in exemplo posito excluditur Christus, qui cum sit homo, continetur in homine, quod est subiectum: at in exclusiua excluduntur alia, quę non continentur in subiecto ; ex. gr. per hanc propositionem *tantum homo est risibilis* excluduntur à participatione prædicati quę non continentur in homine.

Propositio reduplicatiua est, *in qua*

præ-

prædicatum enunciatur de subiecto in quantum est tale, quod fit per particulas *prout*, *in quantum*, *quatenus*, *&c.* quę idcirco dicuntur reduplicatiuę; ex. gr. cum dicitur *homo quatenus homo est capax felicitatis.* Porro tales reduplicatiuę non semper habent eamdem significationem, ac plerumque significant vnum ex his duobus. Primo significant, quod prædicatum sit de essentia subiecti, vt cum dico *homo in quantum homo est rationalis* significo quod rationalitas est homini essentialis; & ideo illa propositio exponitur, *homo est rationalis, & rationalitas est de essentia hominis.* Secundo significant, quod forma importata per subiectum est ratio cur illi conueniat prędicatum. Ex. gr. hęc compositio *homo quatenus homo est risibilis*, exponitur per hanc, *homo est risibilis, & esse risibilem conuenit homini ratione naturæ humanæ.* Similiter hęc propositio *Christus est mortuus, quatenus homo* significat quod mors conuenit Christo ratione naturę humanæ.

Aduerte, quod in propositione reduplicatio est semper pars prędicati, nunquam est pars subiecti. Ratio est quia significat modum quo prędicatum conuenit subiecto; ergo est pars prædicati, & spectat ad illud.

Propositio specificatiua est, *per quam prædicatum conuenit subiecto, sed non in quan-*

quantum est tale; & hęc propositio opponitur reduplicatiuæ: ex. gr. *album est dulce specificatiuè*, quia non est dulce in quantum est album, neque ratione albedinis, sed ratione subiecti communis.

Ad propositiones exponibiles reducuntur falsificantes se ipsas, de quibus dicetur quęstione 60. Logicæ.

De Propositionibus Modalibus. Caput XLV.

PRopositiones aliæ dicuntur modales, alię de inesse. Modales sunt, *in quibus explicatur modus, quo prædicatum inest, aut non inest subiecto*. De inesse sunt, *in quibus talis modus non explicatur*: ex. gr. hęc propositio *homo est animal*, est propositio de inesse: hęc alia, *homo est animal necessario*, est propositio modalis.

Quatuor sunt modi, necessarium, impossibile, possibile, & contingens. Propositio, quę modificatur, vocatur dictum. Dictum verò potest proferri dupliciter. Primo per modum indicatiuum, addendo deinde modum aduerbialiter; vt cum dico *homo est animal necessario*; secundo per modum infinitum, addendo modum nominaliter tanquam prædicatum; vt cum dico *necesse est hominem esse animal*. Propositiones eumdem habent sensum, seu modus pro-

proferatur aduerbialiter, seu nominaliter; ex. gr. idem est dicere, *homo est animal necessario*, ac *necesse est hominem esse animal*. Excipitur modus contingentis. Neque enim idem significat *Petrus currit contingenter*, ac *contingens est Petrum currere*; nam in prima asseritur, quod currit actu, secus in secunda.

Explicanda sunt aliqua de materia, quantitate, qualitate, oppositione, & equipollentia propositionum modalium.

Quoad materiam omnes modales sunt in materia necessaria, vel impossibili. Ratio est, quia quod est possibile, necessario est possibile, & non potest non esse possibile; ergo propositio, per quam affirmatur *possibile est Petrum currere*, est in materia necessaria. Quod non est possibile necessario, non est possibile; ergo propositio, qua affirmatur *Deum currere non est possibile* est in materia impossibili, cum prędicatum necessario repugnet subiecto. Idem dic de reliquis modis, vt ex se patet, & alibi demonstrabitur.

Quoad quantitatem, dicta, seu propositiones modificatę possunt esse vniuersales, vel particulares, vel indefinitę, vel singulares, vt ex se constat. Ex.gr. in hac propositione; *necesse est omnem hominem esse animal*; dictum est vniuersale affirmatiuum. Ex modis duo, nimirum necessarium,

rium, & impossibile dicuntur vniuersales. Ratio est, quia si addantur propositionibus indefinitis, illas faciunt vniuersales. Ita si hæc propositio *necesse est hominem esse animal*, est vera, est etiam vera hęc vniuersalis *omnis homo est animal.* Idem dic de impossibili. Contingens est modus particularis, quia si modificat propositionem indefinitam verificare solet particularem, vt patet in hac *contingens est hominem esse album*. Possibile est modus indefinitus, quia si addatur propositioni indefinitæ non semper reddit illam vniuersalem, nec semper particularem, sed id pendet ex materia propositionis modificatæ.

Quoad qualitatem modorum *necessarium* est modus affirmatiuus, quia si modificet propositionem affirmatiuam relinquit illam affirmatiuam. Impossibile est modus negatiuus, quia si modificat affirmatiuam, reddit illam negatiuam: ex. gr. cum dico *impossibile est Deum moueri*, redditur vera hæc negatiua *Deus non mouetur*.

Quoad qualitatem propositionum modalium quędam sunt affirmatiuæ dicti, & modi; ex. gr. *impossibile est Petrum currere*: quædam negatiuę vtriusque, ex. gr. *non est possibile Deum non esse*: quędam affirmatiuę modi, negatiuæ dicti, vt *necesse est Deum non incipere*. Absolutè tamen sunt affirmatiuæ, cum modus affirmatur, licet

dictum

dictum negetur. Ita hęc propositio *necesse est Deum non incipere*, est affirmatiua de dicto negatiuo. Absolutè sunt negatiuę, cum modus negatur, licet dictum affirmetur. Ratio est, quia prędicatum principale est modus; sed qualitas pendet ab affirmatione, vel negatione prędicati principalis; ergo &c.

Quoad oppositionem modalium, vt illis contradicatur dictum non debet mutari, sed solum debet mutari qualitas modi. Ita contradictoria istius *Deum non incipere est necesse*, est hęc alia *Deum non incipere non est necesse*.

Quoad oppositionem modorum: modus impossibilis opponitur tribus reliquis, sed non eodem pacto. Cum modo possibili habet oppositionem contradictoriam, quia inter possibile, & impossibile non datur medium positiuum, cum idem non possit esse simul possibile, & impossibile: nec datur medium negatiuum, quia quodlibet vel est possibile, vel impossibile. Cum modis necessarij, & contingentis opponitur contrariè, quia licet idem non possit esse simul necessarium, & impossibile, potest tamen idem esse nec necessarium, nec impossibile, sed contingens: & similiter licet idem non possit esse simul contingens & impossibile, potest nec esse contingens, nec impossibile, sed necessarium. Pos-

Poſſibile comparatur ad neceſſarium, & contingens ſicut genus ad ſpeciem, & ſicut animal ad hominem, equum &c: ſi quidem omne neceſſarium eſt poſſibile, non omne poſſibile eſt neceſſarium. Neceſſarium, & contingens comparantur ſicut duę ſpecies oppoſitæ ſub eodem genere poſſibilis, ex. gr. ſicut rationale, & irrationale ſub genere animalis.

Quoad æquipollentiam optima regula eſt vt attendatur ſenſus. Quis enim non videat ęquipollere iſtas propoſitiones *neceſſe eſt Deum non moueri*: *impoſſibile eſt Deum moueri*.

TRACTATVS TERTIVS DE SYLLOGISMO.

Quid ſit Syllogiſmus. Cap. XLVI.

SYllogiſmus eſt præcipua argumentationis ſpecies, ad quam reliquę reducuntur tanquam argumentationes imperfectę ad perfectam. Definitur ab Ariſtotele primo prior. cap. primo: *Oratio in qua quibuſdam poſitis alterum quid à poſitis neceſſe eſt contingere*,

re, eo quòd hæc sint. Sensus est quòd Syllogismus est oratio composita ex pluribus propositionibus, in qua ex præmissis sequitur necessario, & infallibiliter conclusio distincta à pręmissis ratione dispositionis, ita vt semper sequatur, cum datur talis dispositio propositionum, & terminorum.

Collige primo, quod sicut ad essentiam propositionis non refert quod sit vera, vel falsa, vnde æquè est propositio hęc *Deus est trinus*, quę est de fide, & hęc alia *Deus non est trinus*, quę est hęretica: & sicut ad essentiam rotundi nihil refert quod sit aurum, vel argentum, dummodo habeat rotunditatem; sic ad essentiam syllogismi nihil refert, quod constet ex propositionibus veris, vel falsis, dummodo sint ita dispositę, vt ex ijs conclusio sequatur necessario, ita vt pręmissis concessis non possit negari consequentia. Ideo hic, *omne A est B; omne C est A; ergo omne C est B* est optimus syllogismus, licet omnes propositiones sint falsæ.

Collige secundo ad syllogismum non sufficere, quod conclusio sequatur necessario ex pręmissis, sed requiri, vt sequatur ex dispositione pręmissarum, & terminorum, quæ dispositio est forma syllogismi. Vt hoc intelligatur aduerte proprietates posse conuenire alicui rei tripliciter.

citer: primo ratione ſolius formę; ſecundo ratione ſolius materiæ; tertio ratione vtriuſque. Tunc aliqua proprietas conuenit ratione ſolius materiæ, quando conuenit tali materię, quamcumque formam habeat: ex. gr. globo aureo conuenit ponderare centum libras ratione auri, quod eſt materia; non ratione rotunditatis, quia tale aurum in quamcumque figuram conformetur, ſemper ponderabit centum libras.

Tunc proprietas conuenit ratione ſolius formę, quando conuenit tali formę in quacumque materia; ex. gr. proprietas habendi centrum conuenit auro rotundo ratione ſolius rotunditatis, quia rotunditas in quacumque ponatur materia ſemper habet centrum.

Tunc proprietas conuenit ratione vtriuſque, quando nec conuenit formę in quacumque materia, nec materiæ in quacumque forma: ex. gr. proprietas ſecandi conuenit ferrę non ratione ſolius ferri, quia ferrum non ſecabit, ſi ſit rotundum, neque ratione ſolius figurę dentatę, quia lignum dentatum non ſecabit, ſed ratione ferri, quod eſt materia, & ratione figurę dentatę, quę eſt forma.

Iam in caſu noſtro concluſio debet ſequi ratione ſolius formæ ſyllogiſticę, hoc eſt ratione ſolius diſpoſitionis premiſſa-

missarum, & terminorum, ita vt posita tali dispositione, conclusio necessario sequatur semper in quacumque materia, eo pacto, quo posita rotunditate, semper sequitur centrum. Si verò posita dispositione aliquando conclusio sequitur, aliquando non sequitur, non est syllogismus: ex. gr. argumentum ex puris affirmatiuis in secunda figura, etiam quando conclusio sequitur, non est syllogismus, quia non sequitur semper.

Collige tertio differentiam consequentiæ formalis à materiali. Consequentia formalis est, quę sequitur ratione formæ: consequentia materialis est, quę sequitur ratione materię solius: ex gr. in hac conuersione; *omnis homo est risibilis; ergo omne risibile est homo* consequentia est solum materialis, quia non omnes vniuersales affirmatiuę ita possunt conuerti.

Collige quarto non esse syllogismum, cum consequentia infertur per conuersionem, dicendo ex. gr. *aliquis homo est animal; ergo aliquod animal est homo*. Ratio est, quia in syllogismo debet inferri aliquid aliud à pręmissis; at verò quod infertur in conuersione propriè non est aliud, sed idem.

De

De materia, & forma syllogismi. *Caput XLVII.*

SIcut materia domus sunt lapides, & ligna, ita materia syllogismi sunt propositiones, & termini. Propositiones sunt materia proxima, & immediata, quia syllogismus componitur proximè, & immediatè ex propositionibus. Termini sunt materia remota, & mediata, quia prius ex terminis debent componi propositiones, deinde ex propositionibus syllogismus.

Propositiones in syllogismo simplici debent esse tres, nec plures, nec pauciores: conclusio nimirum, quę infertur per particulam *ergo* vel aliam æquiualentem; maior, hoc est illa præmissa, quæ quia continet maius extremum, debet poni primo loco; & minor, hoc est illa præmissa, quę quia continet minus extremum exigit poni secundo loco. Sicut autem propositio, quę infertur etiamsi ponatur primo loco, semper est conclusio, sic illa propositio, quę continet maius extremum semper est maior, etiamsi ponatur secundo loco.

Termini in syllogismo simplici debent esse solum tres; nimirum prædicatum conclusionis, subiectum conclusionis, & me-

medius terminus, hoc eſt terminus, qui non ponitur in concluſione, & ponitur in vtraque præmiſſa. Medius terminus definitur terminus, cuius enunciatio de alijs duobus in prẹmiſſis eſt ratio, cur illi inuicem enuncientur in concluſione: ex. gr. in hoc ſyllogiſmo: *omne rationale eſt riſibile; omnis homo eſt rationalis; ergo omnis homo eſt riſibilis*; tres ſunt termini, hoc eſt *riſibile*, quod eſt prædicatum concluſionis; *homo* qui eſt ſubiectum concluſionis, & *rationale*, quod eſt medius terminus, quia ponitur in vtraque prẹmiſſa, & non ponitur in concluſione, & in præmiſſis ita enunciatur de homine, & riſibili, vt ſit ratio, cur in concluſione enuncientur inter ſe. Singuli tres termini replicantur bis, & ita implent ſex loca trium propoſitionum, cum in quacumque propoſitione duo ſint loca, alter prædicati, alter ſubiecti.

Prædicatum concluſionis regulariter eſt maius extremum. Ratio eſt, quia vt dixi capite quarto in propoſitione maius extremum eſt prẹdicatum. Excipiuntur modi indirecti, in quibus prẹdicatum concluſionis eſt minus extremum, ſubiectum eſt maius extremum. Ratio eſt, quia ſubiectum concluſionis prẹdicatur de medio; ergo connaturaliter exigit prædicari de prẹdicato concluſionis, quod

quod continetur ſub medio; ergo licet oppoſitum contingat innaturaliter, adhuc habet pręeminentiã, ratione cuius dicitur maius extremum. Ideo in modis indirectis maior eſt in qua ponitur ſubiectum concluſionis.

Quęres, poteſt ne dari ſyllogiſmus conſtans ex pluribus propoſitionibus, ac terminis, quam tribus.

Reſpondeo ſyllogiſmum compoſitum, hoc eſt reſolubilem in plures ſyllogiſmos poſſe conſtare ex quatuor, quinque, & pluribus in infinitũm propositionibus, ac terminis, ita vt conclusio ſequatur neceſſario. Exemplum ſit: *omne rationale eſt riſibile; omnis homo eſt rationalis; omne admiratiuum eſt homo; ergo omne admiratiuum eſt riſibile.* Hic ſyllogiſmus conſtat ex quatuor terminis, & propoſitionibus, & tamen concludit neceſſario ex vi formę, ſed eſt ſyllogiſmus compoſitus, ac reſolubilis in duos. Primus eſt: *omne rationale eſt riſibile; omnis homo eſt rationalis; ergo omnis homo eſt riſibilis.* Secundus eſt: *omnis homo eſt riſibilis: omne admiratiuum eſt homo; ergo omne admiratiuum eſt riſibile.* Ariſtoteles dum dicit ſyllogiſmum conſtare ex tribus tantum propoſitionibus, ac terminis, loquitur de ſimplici, & clariſſimo, ad quem cum reducuntur compoſiti, concludunt clarius, & manifeſtius.

Sicut forma in domo est dispositio, per quam materia, hoc est ligna, lapides &c. disponuntur ita, vt resultet ædificium aptum ad habitandum, sic forma syllogismi *est dispositio terminorũ, ac propositionum, ex qua conclusio sequitur infallibiliter*. Forma igitur complectitur figuram, & modũ. Figura est *dispositio terminorum secundum subiectionem, & prædicationem*. Modus est *dispositio propositionum secũdum quantitatem, & qualitatem*.

De Figuris Syllogismi. Cap. XXXXVIII.

FIgura est *dispositio trium terminorum secundum subiectionem, & prædicationem, ex qua necessario, & per se sequatur conclusio*. Tot ergo sunt possibiles figurę, quot sunt possibiles modi, quibus dicti tres termini possunt disponi, ita vt conclusio sequatur necessario, & per se; sed tales modi sunt solum tres; vel enim medius terminus in vna præmissa subijcitur, & in alia prædicatur, vel in vtraque prędicatur, vel in vtraque subiicitur, ergo tres tantum sunt figurę nec plures, nec pauciores.

Prima est, *in qua medius terminus semel prædicatur, semel subijcitur*. Exemplum sit: *Omne rationale est risibile; omnis homo est rationa-*

tionalis; ergo omnis homo est risibilis. Rationale est medius terminus, & in maiori est subiectum, in minori prædicatum.

Prima figura potest concludere vel directè, & naturaliter, vel indirectè, & innaturaliter. Tum concludit directè, & naturaliter, *quando extrema in conclusione occupant eamdem sedem, quam occupant in præmissis*, ita vt prędicatum couclusionis sit etiam prædicatum in prçmissis, subiectum conclusionis sit etiam in præmissis subiectum: ex. gr. in syllogismo posito conclusio est directa, quia *risibile* quod est prędicatũ conclusionis, etiam in maiori est prędicatnm, *homo* etiam in minori est subiectum.

Tum concludit indirectè, *quando extrema in conclusione habent oppositam sedem, ac habeant in præmissis*, ita vt prędicatum conclusionis in prçmissis sit subiectum, subiectũ conclusionis in prçmissis sit prędicatum. Exemplum sit: *omne rationale est animal; omnis homo est rationalis; ergo aliquod animal est homo.* Conclusio est indirecta, quia *animal*, quod in conclusione est subiectum, in minori est prædicatum &c.

Secunda figura est, *in qua medius terminus prædicatur in vtraque præmissa*. Exemplum potest esse; *omnis homo est risibilis; nullus equus est risibilis; ergo nullus equus est homo.* *Risibile* quod est medius terminus, prædicatur in vtraque prçmissa.

Secunda figura semper concludit partim directè, partim indirectè. Concludit directè ex parte subiecti; concludit indirectè ex parte prædicati. Ratio est, quia, cum medius terminus occupet vtrumque locum prędicati, reliquæ sunt solum duę sedes subiecti; ergo subiectum conclusionis debet etiam esse in prçmissis subiectum & poni directè, prędicatum conclusionis in prçmissis non potest esse prædicatum, & sic nec potest poni directè.

Tertia figura est, in *qua medius terminus in vtraque præmissa subijcitur*. Exemplum sit *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale; homo*, qui est medius terminus vtraque vice subiicitur.

Tertia figura semper concludit directè ex parte prædicati, indirectè ex parte subiecti, quia medius terminus relinquit vacuas duas sedes prędicati; nullam subiecti.

Galenus apud Auerroem docuit modos indirectos constituere figuram diuersam à modis directis, atque adeo dari quatuor figuras. Fundamentum est, quia tum est diuersa figura, cum datur diuersa dispositio medii cum extremis; sed in modis indirectis datur diuersa dispositio medii cum extremis: nam in directis medius terminus subiicitur prædicato con-

conclusionis, & prædicatur de subiecto conclusionis; in indirectis subijcitur subiecto conclusionis, & prædicatur de prędicato conclusionis, vt patet in exemplis allatis; ergo dantur quatuor figurę.

Respondeo negando maiorē. Vt enim patet ex definitione figuræ, non sufficit, quod sit diuersa dispositio, sed requiritur vt concludat per se, hoc est plerumque, etiamsi non fiat reductio ad aliam figuram: at modi indirecti per se, & plerumque non concludunt; ex.gr. *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo aliquod risibile est homo* per se, & plerumque non concludit talem conclusionem, sed conclusionem in Barbara, quæ est summè naturalis; nempe ergo *omnis homo est risibilis*: deinde verò per conuersionem concluditur; *ergo aliquod risibile est homo*. E conuerso secunda, & tertia figura concludunt per se, & plerunque, etiam non facta reductione ad primam figuram. Quis enim proposito hoc argumento; *omnis homo est risibilis; nullus equus est risibilis; ergo nullus equus est homo* non statim concedat consequentiam, etiamsi nesciat quod reducatur ad primam figuram: fit enim reductio vt concludant maiori euidentia, & perfectione.

Collige à fortiori non esse quartam figuram, cum solum trasponuntur pręmis-

 sę,

ſæ,proferendo prius minorem, in qua eſt minus extremum,deinde maiorem. Ratio eſt, quia tunc non ponitur diuerſa diſpoſitio medij cum extremis; ergo non fit noua figura. Abſurdum porro eſt dicere, quod ſolum variando ordinem,quo proferuntur eædem propoſitiones,varietur figura; alioquin ſi concluſio poneretur primo loco,eſſet quinta figura,ſi poneretnr ſecundo, eſſet ſexta &c.

De Modis Syllogiſmi. Cap. XXXXIX.

QVia modus eſt *diſpoſitio propoſitionum ſecundum quantitatem;* & *qualitatem*, tot ſunt poſſibiles modi in vnaquaque figura, quot ſunt poſſibiles variationes in quantitate, & qualitate. Et quia in prima figura cum concludit directè ſunt poſſibiles ſexdecim cõbinationes, alię ſexdecim cum concludit indirectè: alię ſexdecim in ſecunda figura:aliæ ſexdecim in tertia; ſequitur quod computando omnes, ſint poſſibiles ſexaginta quatuor cõbinationes partim vtiles,partim inutiles.

Quod autem in quacumque figura ſint poſſibiles ſexdecim combinationes patet; nam ex quantitate ſunt poſſibiles ſolum quatuor. *P*rima eſt ſi vtraque pręmiſſa ſit vniuerſalis: ſecunda ſi vtraque ſit particularis: tertia ſi maior ſit vniuerſalis minor particularis: quarta ſi maior ſit par-

particnlaris minor vniuersalis.

Singulæ ex istis combinationibus quadruupliciter variantur per qualitatem. Prima variatio est,si vtraqne sit affirmatiua ; secunda si vtraque negatiua ; tertia si maior affirmatiua,minor negatiua; quarta si maior negatiua , minor affirmatiua ; ergo quatuor multiplicando per quatuor in vnaquaque figura possibiles sunt sexdecim solum combinationes , & modi. Exempla sexaginta quatuor modorum sequens tabula ostendet.

Ex sexaginta quatuor modis nouem decim tantum sunt vtiles , hoc est tales, vt ex illis sequatur necessario aliqua conclusio , reliqui quadraginta quinque sunt inutiles ita vt nulla ex ijs sequatur conclusio. Vtiles explicantur his versibus.

Barbara,Celarent,Darij,Ferio,Baralipton
Celantes,Dabitis,Fapesmo,Frisesomorum
Cesare,Camestres,Festino,Barocco,Darapti
Felapton,Disamis,Datisi,Broccardo,Ferison

Memoria tenenda est significatio quatuor vocalium A, E, I, O , contenta his versibus.

Asserit A negat E:*sunt vniuersaliter ambæ*
Asserit,I negat O:sunt particulariter ambæ

Nam A significat vniuersalem affirmatiuam. E vniuersalem negatiuam. *I* particularem affirmatiuam:O particularem negatiuam.

Singulæ dictiones significant singulos modos. Vocalis primæ syllabæ significat quantitatem, & qualitatem maioris : vocalis secundę syllabæ quantitatē, & qualitatem minoris : vocalis tertiæ syllabæ quantitatem, & qualitatem consequentię: alię sillabæ, quæ adduntur, sunt mera complementa carminum, ac nihil significant ; ex.gr. in barbara tria A significant tres esse propositiones vniuersales affirmatiuas, & ita argumentum in barbara est syllogismus directus primę figuræ constans ex tribus vniuersalibus affirmatiuis : argumentum in celarent est syllogismus constans maiori vniuersali negatiua, minori vniuersali affirmatiua, & conclusione vniuersali negatiua. Celarēt igitur est syllogismus directus primę figurę; ex.gr. *nullū rationale est equus ; omnis homo est rationalis ergo nullus homo est equus*.

Exempla aliorum modorum videri possunt in tabula supra posita Ex decem, & nouē modis nouē contenti primis duobus versibus spectant ad primam figuram; quatuor primi sunt directi, quinque reliqui indirecti: Cesare, Camestres, Festino, & Barocco spectant ad secundam figuram; reliqui sex ad tertiam.

Quod omnes decem & nouem modi concludant necessario demostratur primo à posteriori Tunc aliqui modi cōcludunt ne-

necessario, cum nunquam per illos ex præmissis veris infertur conclusio falsa: indicium enim fallaciæ in modo argumentandi est, cum ex vero sequitur falsum; sed nunquam in decem, & nouem modis ex præmissis veris sequitur conclusio falsa, & à tempore Aristotelis vsque ad nos per annos plusquam bis mille nullus talis casus inuentus est; ergo omnes decem, & nouem modi concludunt necessario.

Demonstratur etiam à posteriori, quod quadraginta quinque reliqui non concludant. Omnis enim modus argumentandi, in quo ex præmissis simul veris sequitur aliquando falsa conclusio, est fallax, & inutilis, quia falsum sequi non potest necessario ex vero, licet verum sequatur aliquando ex falso: sed omnes quadraginta quinque modi sunt tales, vt aliquando ex præmissis simul veris sequatur conclusio falsa, vt videre est in exemplis allatis in tabula: ergo omnes quadraginta quinque sunt inutiles.

Vt vtrumque demonstretur à priori, quatuor facit Aristoteles. Primo proponit duo principia regulatiua omniũ syllogismorum, quę vocantur *Dictum de omni, dictum de nullo*. Secundo per hæc principia ostendit concludere quatuor primos modos primę figuræ. Tertio probat quin-

decim reliquos reduci ad illos quatuor, atque adeo concludere. Quarto demum ostendit quadraginta quinque esse inutiles

Ostenditur primos quatuor directos modos necessario, & perfectè concludere. Cap. L.

PRimum principium *dictum de omni* est affirmatiuum. Sensus est: *quod affirmatur vniuersaliter distributiuè de aliquo subiecto, potest etiam affirmari de eo, quod continetur in tali subiecto, eo pacto quo continetur*; sed per syllogismum in Barbara prędicatum conclusionis affirmatur vniuersaliter de medio termino, dicendo ex. gr. *omne rationale est risibile*; in minori afferitur quod subiectum conclusionis continetur, vniuersaliter in medio termino, dicendo *omnis homo est rationalis*; ergo sequitur euidenter quod prędicatum conclusionis affirmetur vniuersaliter de subiecto conclusionis, dicendo; *ergo omnis homo est risibilis*.

Similiter in Darij prędicatum conclusionis affirmatur vniuersaliter de medio, dicendo, *omne rationale est risibile*; in minori afferitur, quod subiectum conclusionis continetur particulariter in medio, dicendo *aliquod animal est rationale*; ergo sequitur quod prædicatum conclusionis affirmetur particulariter de subiecto, dicen-

cendo; *ergo aliquod animal est risibile*.

Secundum principium est *dictum de nullo*. Sensus est, *quod negatur vniuersaliter de aliquo subiecto negari debet de eo, quod continetur in tali subiecto, eo pacto quo cōtinetur*; sed per syllogismum in *Celarent* prædicatum conclusionis negatur vniuersaliter de medio, dicendo ex. gr. *nullum binnibile est risibile*; in minori asseritur quod subiectum conclusionis continetur vniuersaliter in medio dicendo, *omnis equus est binnibilis*; ergo sequitur, quod prædicatum conclusionis negetur vniuersaliter de subiecto conclusionis, dicendo, *ergo nullus equus est risibilis*. In *Ferio* quia prędicatum conclusionis negatur vniuersaliter de medio, dicendo, *nullus equus est risibilis*; & in minori asseritur quod subiectum conclusionis continetur particulariter in medio, dicendo, *aliquod animal est equus* sequitur conclusio, in qua prædicatum conclusionis negatur particulariter de subiecto, dicendo; *ergo aliquod animal non est risibile*.

Ex istis duobus principijs colliguntur tres regulę principales, in quibus fundantur omnes reliquę, quas tradam capite 52.

Prima est; medius terminus saltem in aliqua premissa sumi debet vniuersaliter distributiuè; alioquin syllogismi non-

nituntur dicto de omni, dicto de nullo.

Secunda est: nullus terminus, qui non fuit distributus in præmissis debet distribui in conclusione; alioquin sumetur vniuersalius in conclusione, quam in præmissis.

Tertia est: aliqua præmissa debet esse affirmatiua: nam ex puris negatiuis nihil sequitur Ratio est, quia saltem præmissa, in qua asseritur, quod subiectum conclusionis continetur in medio, debet esse affirmatiua; ex eo enim quod aliquid affirmetur, aut negetur de medio potest affirmari, aut negari de contentis sub medio: de exclusis autem à medio non eo ipso potest affirmari, vel negari.

Nec solum isti quatuor modi sunt necessarij, sed etiam perfecti. Syllogismus enim perfectus definitur ab Aristotele primo prior cap. primo *qui nulla alia propositione indiget præter præmissas assumptas, vt euidentissimè appareat quod necessario concludit*. Ex. gr; hic syllogismus in Barbara. *Omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis, ergo est risibilis* est perfectus syllogismus, quia vt manifestum sit, quod concludit, non debet addi alia propositio. Idem dic de tribus reliquis.

Syllogismus imperfectus definitur ibidem: *qui vt appareat euidenter perfectissima euidentia quod concludit, necessario indiget a-*

liqua

liqua alia propositione, quæ sequitur necessario ex præmissis, sed nondum est posita in syllogismo. Omnes quindecim reliqui modi sunt imperfecti, vt iam patebit.

Ostenditur per reductionem ostensiuam modos imperfectos concludere. Cap. LI.

DVplex est reductio, qua ostenditur modos imperfectos concludere. Prima vocatur ostensiua, seu conuersiua, de qua capite presenti. Secunda dicitur reductio ad impossibile, de qua capite sequenti.

Reductio ostensiua, seu conuersiua est *per quam addendo aliquam propositionem vnam, aut plures, quæ sequitur immediatè ex præmissis per conuersionem, vel per modum directum, fit manifestum, quod conclusio sequatur necessario.*

Omnes quindecim modi, exceptis Barocco, & Broccardo reduci possunt ostensiuè. Vt autem dignoscantur ad quos modos perfectos debeant reduci, & quo pacto fieri debeat reductio duæ sunt regulæ.

Prima est: omnes modi reducuntur ad eum modum, à cuius prima littera incipiunt. Ex. gr. Baralipton reducitur ad Barbara: Celantes, Cesare, Camestres ad Celarent.

Se-

Secunda regula continetur his versibus:

Simpliciter verti vult S. P vero per acci
M vult transponi:C per impossibile duci

Notandę sunt quatuor consonantes S. P.M.C.Nã S.significat propositionẽ significatam per vocalem pręcedentem debere conuerti simpliciter:ex.gr.in Celantes,& Dabitis;quia littera S sequitur post tertiã vocalem,significat quod conclusio denotata per vocalem illam debet conuerti simpliciter. Ita argumentum in Celantes est *nullum rationale est binnibile ; omnis homo est rationalis ;* ergo *nullum binnibile est homo.* Conuertendo simpliciter conclusionem, & dicendo, *ergo nullus homo est binnibilis ; ergo nullum binnibile est homo.* Facta erit reductio,& ostensum quod conclusio sequitur euidenter in Celarent per conuersionem.Idem dic de Dabitis.

Littera P. significat propositionem significatam per vocalem præcedentem debere conuerti per accidens: ex. gr. vt Baralipton reducatur ad Barbara conuerti debet per accidens conclusio, & facta erit reductio.

Littera M significat præmissus debere transponi ita vt maior fiat minor, & minor fiat maior.Ita ad reductionem Fapesmo, & Frisesomorum, Camestres, Disamis&c.transponi debent præmissæ.

De-

Demum littera C in medio dictionis, quæ inuenitur in Barocco, & Broccardo significat modos illos non posse reduci ostensiuè, sed solum per impossibile.

Hinc habetur quomodo singuli modi debeant reduci. In Baralipton ex quatuor consonantibus est solum P ante tertiam vocalem: ideo sufficit conuertere per accidens conclusionem, & erit facta reductio. In Celantes, & Dabitis est solũ S post tertiam vocalem; & ideò sufficit conuertere conclusionem simpliciter.

In Fapesmo post primam vocalem est P, & ideo maior debet conuerti per accidens: post secundam vocalem est S: ideo minor debet conuerti simpliciter. Additur littera M: ideo præmissę debent transponi ex. gr. *omnis homo est animal; nullus equus est homo: ergo aliquod animal non est equus*, reducitur in Ferio dicendo *nullus homo est equus; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est equus*.

In Frisesomorum est duplex S, alterum post primam, alterum post secundam vocalem: ideo debet conuerti simpliciter maior, & minor, & propter M premissę debent transponi.

In Cesare, & Festino est vnicum S post primam vocalem: ideo conuertendo simpliciter maiorem, facta erit reductio.

In Camestres datur duplex S, alterum

post

post secundam,alterum post tertiam vocalem;ideo conuerti debet simpliciter minor,& conclusio ; & propter M debent transponi præmissæ.

In Darapti,& Felapton est P post secundam vocalem , & ideo minor debet conuerti per accidens.

In Datisi,& Ferison est vnicum S post secundam vocalem: ideo minor conuerti debet simpliciter.

Demum in Disamis est duplex S, alterum post primam,alterum post tertiam vocalem; ideo maior,& conclusio debent conuerti simpliciter,& propter M transponendę sunt pręmissę.

Ostenditur per reductionem ad impossibile modos imperfectos concludere. Caput. *LII.*

REductio ad impossibile fundatur in hoc principio,seu regula bonę consequentiæ. Tunc aliqua conclusio euidenter est bona,& necessaria, cum ex opposito,seu cōtradictorio cōsequentis sequitur euidenter oppositum,seu contradictorium antecedentis , hoc est alicuius præmissę ; ex qua infertur. Ratio est , quia tunc qui negat consequentiam non potest concedere omnes pręmissas , quia sibi contradicat:ergo qui concedit omnes præmissas

non

non potest negare consequentiam, quin sibi contradicat; ergo consequentia sequitur necessario ex præmissis, atque adeo est bona, nec potest negari, concessis præmissis.

Reductio ergo ad impossibile est *per quam ostenditur quod ex opposito, seu contradictorio consequentis sequitur euidenter oppositum, seu contradictorium antecedentis, hoc est alicuius præmissæ*, atque adeo negans consequentiam non potest concedere vtramque pręmissam; eo enim ipso sequitur, quod concedens vtramque præmissam nō potest negare consequentiam.

Barocco, & Broccardo reduci non possunt ostensiuè, & per conuersionem. Ratio est quia duæ ex tribus eorum propositionibus sunt particulares negatiuæ, atque adeo conuerti non possunt nisi per contrapositionem, quę conuersio non est ad rem; tertia verò propositio est vniuersalis affirmatiua, quę conuerti non potest nisi per accidens in particularem affirmatiuam: facta autem tali conuersione vtraque præmissa erit particularis, & ex puris particularibus nihil sequitur, vt dicetur cap. 53. Reducuntur ergo solum per impossibile ad Barbara, à cuius prima littera incipiunt.

Barocco reducitur ostendendo quod ex maiori, & contradictorio conclusionis

nis sequitur in Barbara contradictorium minoris, atque adeo quod negans consequentiam non potest concedere vtramque premissam, & concedens vtramque premissam non potest negare consequentiam. Sit ex. gr. hic syllogismus in Barocco: *Omnis homo est animal; aliquod intellectiuum non est animal; ergo aliquod intellectiuum non est homo*: sumo eamdem maiorem, *omnis homo est animal*: addo contradictorium conclusionis, *omne intellectiuum est homo*; infertur in Barbara, *ergo mne intellectiuum est animal*, quę est contradictoria minoris, *aliquod intellectiuum non est animal*.

Eodem pacto reliqui modi secundę figurę reducuntur per impossibile ad aliquem modum primę figurę, sed non ad illum, à cuius prima littera incipiunt.

Regula reductionis ad impossibile secundæ figuræ continetur hoc versu.

Stat maior; trahit oppositum de sede minorem.

Sensus est: retinetur eadem maior: cōtradictorium conclusionis fit minor, & infertur contradictorium minoris.

Pro Broccardo, & aliis modis tertię figurę regula est.

Stat minor, oppositum transit maioris ad ędem.

Sensus est: contradictorium conclusionis

nis fit maior, retinetur eadem minor, & infertur contradictorium maioris: ex. gr. *aliquod animal non est homo; omne animal est sensitiuum: ergo aliquod sensitiuum non est homo*: reducitur ad Barbara faciendo contradictorium conclusionis maiorem, ac retinendo eamdem minorem, & inferendo contradictoriā maioris, ac dicendo *omne sensitiuum est homo; omne animal est sensitiuum; ergo omne animal est homo*: quę propositio est contradictoria maioris: *aliquod animal non est homo*.

Pro modis indirectis regula est:

Maiorem oppositum pellit, maiorque minorem.

Excipe Celantes, in quo contraria res est

Nam minor opposito cedit, maiorque minori


Sensus est: contradictoria cōsequentiæ, fit maior: maior euadit minor, & infertur contradictoria minoris saltem mediatè, & per conuersionem: ex. gr. *omnis homo est animal; omne rationale est homo; ergo aliquod animal est rationale*: reducitur ad celarent *Nullum animal est rationale; omnis homo est animal; ergo nullus homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est homo*, quæ est contradictoria minoris: *omne rationale est homo*.

Celantes reducitur modo opposito. Minor enim fit maior, contradictorium conclusionis fit minor, & infertur contradi-

ctorium

ctoriũ maioris: ex gr. *nullus homo est equus, omne rationale est homo; ergo nullus equus est rationalis*; reducitur ad Darij *omne rationale est homo; aliquis equus est rationalis; ergo aliquis equus est homo; ergo aliquis homo est equus*: quæ est contradictoria maioris: *nullus homo est equus*.

Aristoteles primo prior. cap. 6. reducit etiam Darii, & Ferio ad Barbara; & Celarent: Nam isti duo modi per impossibile reducuntur ad Cesare siquidem ex contradictoria conclusionis Darij, & Ferio, adiunctá maiori, sequitur in Cesare contradictoria minoris eorumdem Darij, & Ferio; sed Cesare reducitur ostensiuè ad Celarent: ergo Darij, & Ferio reducuntur mediatè ad Celarent; sed Celarent reduci potest ad Barbara, sumendo loco maioris propositionem infinitam æquiualentem: ex. gr. *Nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*: Si dicatur, *omne rationale est non hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est non hinnibilis*, reducitur ad Barbara; ergo omnes decem, & octo modi reduci possunt ad Barbara.



De

De Regulis Syllogismorum. Cap. LII.

QVędam regulę sunt communes omnibus figuris, alię particulares singularum. Communes sunt sex.

Prima est: medius terminus saltem in vna præmissa sumi debet vniuersaliter distributiuè distributione completa. Rationem attuli cap. 50. Vt autem sciatur an sumatur distributiuè, duæ sunt regulę traditæ cap. 21. Prima est: subiectum distribuitur in omni, & sola vniuersali. Secunda est prædicatum distribuitur in omni, & sola negatiua. Contra hanc regulam præter alia multa peccant omnia argumenta in secunda figura ex puris affirmatiuis: ex. gr. *omnis homo est animal; omnis equus est animal; ergo omnis equus est homo*: *Animal* enim, quod est medius terminus neque distribuitur in maiori, neque in minori, cum vtraque sit affirmatiua. Contra eamdem peccat, *omne animal fuit in Arca Noe; meus canis est animal; ergo meus canis fuit in arca Noe*. Nam *animal* in maiori distribuitur solum incompletè.

Secunda regula est: terminus qui non fuit distributus in pręmissis, nec debet distribui in conclusione. Rationem attuli capite 50. Contra hanc regulam peccant modi directi primę figuræ, in quibus minor est negatiua: ex. gr. *omnis homo est animal*;

mal; nullus equus est homo; ergo nullus equus est animal. Nam *animal,* quod non distribuitur in maiori affirmatiua, in qua est prędicatum, cum prædicatum distribuatur in sola negatiua, distribuitur in conclusione negatiua, in qua est prædicatum.

Tertia regula est: ex puris negatiuis nil sequitur, nisi syllogismus reducatur ad conditionalem. Rationem attuli eodem cap. 50. Ideo non concludit hoc argumentum; *nullus homo est equus; nullum hinnibile est homo; ergo nullum hinnibile est equus* Concludit tamen hoc aliud, *nulla res non actu alba disgregat actu visum; nulla res, quæ cœli ambitu continetur, est actu alba; ergo nulla res, quæ Cœli ambitu continetur, disgregat actu visum.* Maior non æquiualet huic *Omne actu album disgregat actu visum*, quia hæc affirmatiua esset falsa, si nullum album existeret; illa verò negatiua esset vera. Concludit ergo, quia reducitur ad hunc syllogismum conditionatum, *quodlibet si non est actu album, non disgregat actu visum; sed quodlibet si cœli ambitu continetur, non est actu album; ergo quodlibet si cœli ambitu continetur, non disgregat actu visum*; in quo syllogismo à positione conditionata antecedentis arguitur ad positionem conditionatam consequentis.

Quarta regula est: ex puris particularibus nihil sequitur; quia eo ipso vel medius ter-

terminus non distribuitur, vel distribuitur in conclusione aliquis terminus non distributus in præmissis. Exemplũ sit *aliquod animal est homo; aliquod irrationale est animal; ergo aliquod irrationale est homo*

Quinta regula pro conclusione est; conclusio sequitur debiliorem partem; hoc est si vna præmissa sit particularis, etiam conclusio debet esse particularis, si vna præmissa sit negatiua, etiam conclusio debet esse negatiua.

Sexta regula est: medius terminus nunquam ponitur in conclusione. Quatuor postremæ regulæ continentur his versibus.

Partibus ex puris sequitur nil, siue negatis:

Si qua præit partis sequitur conclusio partis.

Si qua negata præit conclusio sitque negata.

Lex generalis erit, medium concludere nescit.

Pro prima figura duæ sunt regulæ. Prima est: ex maiori particulari non sequitur conclusio directa: ex. gr. *aliquod animal est homo; omnis equus est animal; ergo aliquis equus est homo.*

Secunda est: ex maiori negatiua non sequitur conclusio directa: ex. gr. *omnis homo est animal; nullus equus est homo; ergo nullus equus est animal.* Pro

Pro ſecunda figura, prima regula eſt: ex puris affirmatiuis nil ſequitur. Exemplum allatum eſt ſupra, cum eſt tradita prima regula vniuerſalis.

Secunda eſt: ex maiori particulari nil ſequitur; ex. gr. *aliquod animal eſt homo; nullus equus eſt homo; ergo aliquis equus non eſt animal.*

Pro tertia figura prima regula eſt: concluſio ſemper debet eſſe particularis: ex gr. *omnis homo eſt animal; omnis homo eſt intellectualis; ergo aliquod intellectuale eſt animal*, & non ſequetur, *ergo omne intellectuale eſt animal.* Nam eo ipſo *intellectuale* diſtribuitur in concluſione, cum non diſtributum fuerit in premiſſis.

Secunda eſt: ex minori negatiua nihil ſequitur; ex. gr. *omnis homo eſt animal: nullus homo eſt equus; ergo nullus equus eſt animal.*

Oſtenditur ex Regulis quadraginta quinque modos eſſe inutiles.

Caput LIV.

DEmonſtro id ſic: omnes modi, qui peccant contra aliquam ex allatis regulis ſunt inutiles; ſed omnes quadraginta quinque vltra decem, & nouem contentos quatuor verſibus peccant contra aliquam ex regulis allatis; ergo quadragin-

draginta quinque sunt inutiles. Probatur minor, & primo domonstratur quod in prima figura ex sexdecim possibilibus, duodecim vltra quatuor peccant, & non concludunt directè. Nam in quantitate purè vniuersali si vtraque præmissa sit vniuersalis affirmatiua, est *Barbara*: si vtraque præmissa sit negatiua nihil sequitur, quia ex puris negatiuis nihil sequitur: si maior sit affirmatiua, minor negatiua, non sequitur conclusio directa, quia ex minori negatiua in prima figura non sequitur conclusio directa: si maior sit negatiua, minor affirmatiua est Celarent.

Si vtraque premissa est particularis, omnes quatuor modi sunt inutiles, quia ex puris particularibus nihil sequitur.

Si maior sit vniuersalis, minor sit particularis, si vtraque affirmatiua, est Darij; si vtraque negatiua, nihil sequitur; si maior affirmatiua, minor negatiua, nihil sequitur propter minorem negatiuam; si maior negatiua, minor affirmatiua, est Ferio.

Demum si maior sit particularis, minor vniuersalis omnes quatuor modi sunt inutiles, quia ex maiori particulari non sequitur conclusio directa; ergo ex sexdecim modis directis, Barbara, Celarent, Darij, & Ferio sunt vtiles, alij duodecim peccant contra aliquam regulam.

In modis indirectis si ambæ præmissæ

sint vniuersales, si vtraque sit affirmatiua, est Baralipton: si vtraque negatiua nihil sequitur: si maior affirmatiua, minor negatiua, est Fapesmo: si maior negatiua, minor affirmatiua, est Celantes.

Si vtraque sit particularis, omnes quatuor modi sunt inutiles, quia ex puris particularibus nihil sequitur.

Si maior sit vniuersalis, minor particularis, si vtraque affirmatiua est Dabitis; si vtraque negatiua, nihil sequitur; si maior affirmatiua, minor negatiua nihil sequitur, quia subiectum minoris, quod in minori particulari non distribuitur, distribuitur in conclusione negatiua, in qua esset prædicatum; si maior negatiua, minor affirmatiua, idem est vitium.

Demum si maior sit particularis, minor vniuersalis, si vtraque affirmatiua, nihil sequitur, quia medius terminus nec distribuitur in maiori particulari, in qua est subiectum, nec in minori affirmatiua, in qua est prędicatum; si vtraque negatiua nihil sequitur; si maior affirmatiua, minor negatiua, est Frisesomorum; si maior negatiua, minor affirmatiua, medius terminus non distribuitur in vlla præmissa; ergo ex sexdecim indirectis Baralipton, & alii quatuor concludunt, vndecim reliqui peccant contra aliquam regulam.

In secunda figura in vtraque præmissa vni-

vniuerſali,ſi vtraque ſit affirmatiua, vel vtraque negatiua nihil ſequitur, quia in ſecunda figura neque ſequitur concluſio ex puris affirmatiuis, neque ex puris negatiuis: ſi maior ſit affirmatiua, minor negatiua, eſt Cameſtres: ſi maior negatiua minor affirmatiua, eſt Ceſare.

Si vtraque pręmiſſa ſit particularis omnes quatuor modi ſunt inutiles, quia ex puris particularibus nihil ſequitur.

Si maior ſit vniuerſalis, minor particularis, ſeu vtraque ſit affirmatiua, ſeu vtraque negatiua, nihil ſequitur; ſi maior affirmatiua, minor negatiua eſt Baroco; ſi maior negatiua, minor affirmatiua eſt Feſtino. Demum ſi maior ſit particularis, minor vniuerſalis omnes quatuor modi ſunt inutiles, quia in ſecunda figura nihil ſequitur ex maiori particulari.

In tertia figura in vtraque pręmiſſa vniuerſali ſi vtraque eſt affirmatiua, eſt Darapti; ſi vtraque negatiua, nihil ſequitur; ſi maior affirmatiua, minor negatiua, nihil ſequitur propter minorem negatiuam; ſi maior negatiua, minor affirmatiua eſt Felapton. Si vtraque pręmiſſa ſit particularis omnes quatuor modi ſunt inutiles. Si maior ſit vniuerſalis, minor ſit particularis, ſi vtraque affirmatiua eſt Dabitis; ſi vtraque negatiua, nihil ſequitur; ſi maior affirmatiua, minor negatiua, nihil ſequitur

propter minorem negatiuam:si maior negatiua,minor affirmatiua est Ferison. Denique si maior est particularis,minor vniuersalis, si vtraque est affirmatiua est Disamis:si vtraque negatiua nihil sequitur; si maior affirmatiua, minor negatiua nihil sequitur ex minori negatiua: si maior negatiua minor affirmatiua est Broccardo;ergo in tertia figura ex sexdecim modis omnes decem vltra sex enumeratos sunt inutiles;ergo ex sexaginta quatuor modis possibilibus soli nouemdecim sunt vtiles,alii quadraginta quinque sunt inutiles, quod erat propositum demonstrandum.

Comparatio figurarum,& modorum. Caput. LV.

INter figuras præstantissima est prima concludens directè ex pluribus. Primo quia est clarior,& euidentior cœteris, & per illam aliæ perficiuntur, & clarificantur. Secundo quia est sufficientissima ad probandas omnes conclusiones, singulares,& vniuersales,affirmatiuas, & negatiuas,cum secunda figura non possit probare vllam affirmatiuam, tertia non possit probare vllam vniuersalem. Tertio quia habet perfectam rectitudinem, & naturalitatem,cum aliæ semper habeant aliquam inna-

innaturalitatem in eo termino, qui non potest occupare eamdem sedem in præmissis. Quarto quia medius terminus etiã positione est medius inter maius, & minus extremum; est enim vno extremo minor, quia illi subiicitur, & est maior altero, quia de illo prædicatur.

Secundum locum obtinet secunda figura, quę pręstat tertiæ pręcipuè ex eo, quia possunt per illam probari conclusiones vniuersales, atque adeo scientificæ, cum per tertiam probentur solę particulares, quæ non sunt scientificę.

Tertium locum obtinet tertia figura. Quartũ videntur occupare modi indirecti, quia non concludunt per se, vt dictum est cap. 48.

Ex modis perfectissimus est Barbara, nam nulli cedit euidentia, & omnes vincit pręstantia conclusionis, quam probat. Vniuersalis enim affirmatiua est conclusio maximè scientifica, ideoque omnes scientiæ, ac præsertim mathematicę fere semper argumentantur in Barbara. Sed sicut vniuersalis affirmatiua est perfectissima, ita est difficillima probatu, cum probetur per vnicum modum; facillima impugnatu, cum impugnetur per omnes modos negatiuos, qui sunt tredecim.

Secundus est Celarent, qui probat clarissimè vniuersalem negatiuam, quæ se-

cundum locum obtinet inter cōclusiones scientificas:& huic affines suntCamestres, & Cesare. Conclusio vniuersalis negatiua probatur per quatuor modos, impugnatur per omnes sex affirmatiuos.

Tertius est Darii probans particularem affirmatiuam, quæ probari potest sex modis,& impugnari per quatuor concludentes vniuersaliter negatiuè.

Quartus est Ferio probans particularē negatiuam, quę probatur per tredecim modos,impugnatur per vnicum Barbara.

Ex modis aliqui probant plures, aliqui pauciores conclusiones. Barbara probat tres solum,nimirum vniuersalem affirmatiuam, & particularem eius subalternatam, & alteram particularem affirmatiuam,in quam istę conuertuntur. Celarent, Celantes, Cesare, & Camestres probant quatuor conclusiones, vniuersalem negatiuam, & particularem illius subalternatam, & prӕterea vniuersalem, & particularem negatiuas,in quas fit conuersio.

Darii,& alii modi affirmatiui particulares duas probant conclusiones, nempè particularem affirmatiuam, & eius conuersam.

Ferio,& particulares negatiui probant vnicam conclusionem, cum particularis negatiua non conuertatur.

De

De syllogismo expositorio, & eius reductione. Caput. *LVI.*

SYllogismus expositorius est qui constat ex omnibus terminis, vel saltem ex medio singulari; ex. gr. *Petrus currit; Petrus est filius Francisci; ergo filius Francisci currit.* Vocatur expositorius, tum quia singularia sunt exposita sensibus, tum quia sicut propositiones de terminis communibus resoluuntur, & exponuntur per propositiones de terminis singularibus, sic syllogismus de terminis communibus exponitur per syllogismum de singularibus.

Vt tradam regulas, primo explicandum quo pacto conuertantur propositiones singulares.

Dico primo: cum vterque terminus est singularis, tam affirmatiuæ, quam negatiuæ conuertuntur in aliam singularem: ex gr. *Petrus non est filius Francisci; ergo filius Francisci non est Petrus.*

Dico secundo: cum prædicatum est terminus communis, singulares affirmatiuæ conuertuntur in solam particularem, negatiuæ in vniuersalem, & particularem: ex. gr. hęc affirmatiua: *Petrus est animal,* conuertitur in hanc; *ergo aliquod animal est Petrus*; hæc negatiua *Petrus non est equus* conuertitur in istas duas *ergo nullus equus*

est Petrus:ergo aliquis equus non est Petrus.

In syllogismo expositorio sunt tres figuræ;in prima etiam modi indirecti. Cum vterque terminus est singularis, & non potest sumi nisi vniuersaliter, in singulis figuris sunt tres tantum modi vtiles. Primus cum vtraque præmissa est affirmatiua:secundus cum maior affirmatiua,minor negatiua:tertius cum maior negatiua, minor affirmatiua:quartus est inutilis,cum vtraque præmissa est negatiua.

Cum verò terminus singularis potest sumi modo vniuersaliter,modo particulariter,tum totidem sunt modi in syllogismo expositorio, quot in communi,& eadē regulæ.

Quæres quid est terminum singularem sumi vniuersaliter, vel particulariter? Respondeo sumi vniuersaliter est sumi pro omni,quod est illud; sumi particulariter est sumi pro aliquo tantum, quod est illud:ex.gr. cum dico: *hic Deus est pater;* terminus singularis *hic Deus* sumitur particulariter tantum, hoc est non pro omni persona,quę est Deus, sed pro aliqua tantum.Sensus enim est *aliqua persona,quæ est hic Deus,est Pater.* E conuerso cum dico *hic Deus creauit mundum*, sumo hunc Deū vniuersaliter,& sensus est: *omnis persona,quæ est hic Deus,creauit mundum*. Termini singulares creati semper sumuntur

vni-

vniuersaliter; soli termini diuini propter mysterium Trinitatis aliquando sumuntur particulariter.

Collige primo solutionem sophismatum contra mysterium Trinitatis. Hoc argumentum; *Pater est hic Deus; Filius non est Pater; ergo filius non est hic Deus*, non concludit, quia Deus in conclusione sumitur, vniuersaliter, in maiori particulariter, cum sensus maioris sit, *Pater est aliqua persona, quæ est hic Deus*: sensus conclusionis sit *filius nulla est persona, quæ sit hic Deus*. Hoc argumentum. *Hic Deus est Pater; hic idem Deus est filius, ergo filius est Pater*; non concludit, quia medium, hoc est *hic Deus* in nulla præmissa sumitur vniuersaliter. Sensus enim præmissarum est: *aliqua persona, quæ est hic Deus, est Pater; aliqua persona quæ est hic Deus est filius*; ex puris autem particularibus nihil sequitur. Idem dic de aliis argumentis hereticorum: peccant enim omnia contra regulas Aristotelis.

Collige secundo etiam syllogismum expositorium niti principiis *dictum de omni, dictum de nullo*, hoc est, quod affirmatur, aut negatur vniuersaliter de aliquo singulari, affirmari etiam debet, aut negari de omni, quod est illud. Idcirco etiam syllogismus expositorius reducitur ad communem.

De reductione aliarum argumentationum. Caput. LVII.

PRIMA argumentationis species post syllogismum est inductio. Definitur *oratio, in qua ex singularibus, vel inferioribus pluribus, aut vno tantum infertur aliquid vniuersale, vel superius.*

Inductio duplex est; alia quę fundatur in sola apprehensione terminorum; alia, quæ fundatur in experientia. Prima est, *per quam ad hoc vt intellectus cognoscat prædicatum conuenire vni, vel pluribus singularibus, sufficit quod apprehendat tale prædicatum, & talia singularia, etiamsi nullam faciat experientiam*: ex. gr. cum ego probo hoc principium, *omne totum est maius sua parte*, ex eo quod hoc totum est maius, & hoc aliud est maius &c, facio inductionem fundatam in sola apprehensione terminorum, quia terminis apprehensis vt possibilibus, & nulla facta experientia, cognosco quod hoc totum est maius sua parte. Talis inductio vocatur metaphysica, & mathematica, quia omnia principia vniuersalia metaphysica, & mathematica ex terminis nota colliguntur per hanc inductionem. Sicut enim apprehensio vniuersalis abstrahitur ab apprehensione singularium; sic propositio vniuersalis colligitur ex

pro-

propositione singularium.

Inductio fundata in sola apprehensione potest reduci ad syllogismum, sed non necessario reducitur actu. Potest reduci, quia potest fieri hic syllogismus: *prædicatum quod conuenit alicui singulari in quantum est tale, conuenit omnibus, quæ sunt talia; sed maius sua parte conuenit huic toti in quantum est totum; ergo conuenit omnibus totis, atque adeo omne totum est maius sua parte:* sed non necessario reducitur actu; alioquin de ea maiori vniuersali *prædicatum, quod conuenit alicui in quantum est tale* &c. redit difficultas; nam colligitur per inductionem sine syllogismo fundato in alia propositione vniuersali, de qua rediret argumentũ, & procederetur in infinitum. Nititur inductio illo principio, in quãtum intellectus non potest illi contradicere, eo pacto, quo syllogismus nititur *dicto de omni, dicto de nullo*, in quantum intellectus non potest illis contradicere.

Collige, quod sicuti syllogismus fundatur in *dicto de omni, dicto de nullo*, sic inductio fundatur in *dicto de vno, quatenus tali, & negato de vno quatenus tali*. Sicut enim intellectus syllogizans, ex eo, quod aliquid dicatur de omni, infert, quod dici debet de contentis in illo; sic intellectus inducens, ex eo, quod aliquid dicatur de vno quatenus tali, infert, quod dici debet

de omnibus continentibus talem rationē. Ideo inductio est veluti syllogismus inuersus: syllogismus est veluti inductio inuersa.

Inductio, quæ fundatur in experientia, est *per quam vt intellectus cognoscat prædicatum cõuenire singularibus vni, vel pluribus, non sufficit apprehensio, sed requiritur experientia*: ex.gr. cum probo quod omnis ignis est calidus ex eo, quod hic ignis est calidus, hic alius ignis est calidus &c, non sufficit quod apprehendam, aut videam istos ignes, sed debeo calorem experiri per tactum: vt probem quod omnis canis est latrabilis, non sufficit, quod videam canes singulares, sed debeo latratum experiri per auditum. Hęc inductio vocatur physica, quia in illa fundātur omnia principia vniuersalia physicę.

Inductio experimentalis reducitur necessario, & actu ad syllogismum, in quantum subintelligitur principiū, quo addito fit syllogismus. Hoc autem principium, quod colligitur per inductionem metaphysicam est: quotiescunque aliquod prædicatum conuenit singulis conuenientibus in aliqua ratione, de quibus per longum tempus facta est experientia, & non est indicium, quod conueniat ex mero accidente, conuenit etiam omnibus, de quibus non est facta experientia, atque adeo

adeo est naturale subiecto; sed *esse calidum* conuenit omnibus ignibus, de quibus facta est experientia per longum tempus; ergo conuenit absolutè omnibus ignibus, & est naturale igni.

Quod autem talis syllogismus debeat actu fieri ab intellectu, probatur, quia alioquin non apparet quomodo ex iis, quę experitur, possit inferre idem prædicatum de aliis, de quibus non fecit experientiã. Quomodo enim concludit: *hic ignis est calidus; hic alius est calidus; ergo omnes sunt calidi.*

Dices: concludit, quia subintelligitur, *& sic de reliquis*. Sed contra, quia cum dicitur, *& sic de reliquis*, vel intelligitur solum de iis, de quibus facta est experientia, & redit difficultas: quo enim pacto infero tale prædicatum de alijs, quę non sum expertus: vel intelligitur etiam de reliquis, quæ non sum expertus, & quęro, quo pacto ex ijs, quæ sum expertus, infero, quod etiam alia eodem pacto se habent, nisi habeo in mente illud principium insitum nobis à natura.

Tertia species argumentationis est enthymema, quod sumitur dupliciter. Primo pro syllogismo truncato, & definitur *oratio, in qua posita vna præmissa, altera verò omissa, & subintellecta, festinata infertur conclusio*; vt cum dico *Petrus est homo; ergo*

est

est animal; subintelligitur *omnis homo est animal*. Reducitur ad syllogismum, addendo propositionem omissam. In mente non datur hoc enthymema, quia intellectus vt inferat conclusioné, debet habere vtramque præmissam.

Secundo sumitur enthymema ab Aristole primo Rhetor. caput. 2. pro syllogismo rhetorico, siue morali. Definiri potest *oratio, in qua quibusdam positis alterum quid ex ÿs, quæ posita sunt, non necessario, sed verisimiliter accidit, eo quod hæc sint*; ex. gr. *pleræque matres amant filios; hæc est mater; ergo hæc amat filios*: conclusio sequitur ex premissis non necessario, cum in aliquibus casibus fallat, eo quod quædam matres non ament filios, sed verisimiliter, & plerumque. Hic syllogismus non potest perfectè reduci ad syllogismum logicum, cum non possit fieri maior vniuersalis dicendo *omnes matres amant filios*. Reducitur igitur imperfectè in quantum *plerumque* idem significat, ac *quasi sempèr*, & *pleræque matres* idem significat, ac *fere omnes*: sed ly *quasi* tollit perfectionem syllogismi. Similiter hic syllogismus non nititur dicto de omni, & de nullo, sed *dicto de fere omni*, ac *dicto de fere nullo*. Vocatur autem syllogismus rhetoricus, moralis, & politicus, quia in rebus rhetoricis, moralibus, & politicis solemus argumētari non ex propo-

poſitionibus vniuerſalibus,ſed ex iis, quæ plerumque contingunt.

Quarta ſpecies argumentationis eſt exemplum,quod ab Ariſtotele loco citato vocatur inductio rhetorica. Definitur autem *oratio,in qua ex pluribus ſingularibus infertur aliquid quaſi vniuerſale*; ex gr. *hæc mater amat filios;hæc alia amat*; *ergo pleræque matres amant.* Sicut autem ſyllogiſmus rhetoricus eſt ſyllogiſmus imperfectus, quia procedit ex maiori non vniuerſali, ſed quaſi vniuerſali, ita inductio rhetorica eſt inductio imperfecta, quia procedit non ex omnibus, ſed ex quaſi omnibus ſingularibus, & infert concluſionem non vniuerſalem,ſed quaſi vniuerſalem. Ratio autem eſt, quia matres licet habeant inclinationem ad amandum,tamen amant liberè,ideoque aliquando non amant. At ſingularia,de quibus fit inductio perfecta, non ſolum habent inclinationem, ſed etiã neceſſitatem ad prędicatum; ex. gr.ignis habet neceſſitatem ad calorem, ideoque ſemper eſt calidus;& ſic fieri poteſt inductio,non ſolum ex fere omnibus, ſed etiã ex omnibus,quę experimur, ſecluſo miraculo,& poteſt fieri concluſio vniuerſalis.Exemplum reducitur ad ſyllogiſmum proportionaliter ſicut inductio.

Quinta ſpecies argumentationis eſt paritas. Definiri poteſt *oratio, in qua ex eo,*

quod

quod aliquod prædicatũ conuenit vni, infertur quod conueniat etiam alteri, in quo videtur valere eadem ratio: ex g. *Cœlum lunæ est incorruptibile; ergo etiam solis*: videtur enim esse eadem ratio vtriusque. Quando paritas desumitur ex aliquo simili, in quo sit eadem ratio necessario connexa cum prędicato, tum reducitur ad inductionem: possumus enim inferre consequentiam vniuersalem: *ergo omne tale habet idem prædicatum*. Quando paritas desumitur ex aliquo simili, in quo sit eadem ratio non necessario, sed plerumque connexa cum prædicato, argumentũ reducitur ad exemplum: siquidem potest inferri consequentia quasi vniuersalis; *ergo pleraque talia habent idem prędicatum*: ex. gr. *hæc mater magis amauit filium, quam fratrem; ergo etiam hæc alia magis amauit filium, quam fratrem*: potest enim inferri; ergo plerumque matres magis amant filios, quam fratres, quia amor naturaliter descendit. Quando paritas desumitur ex aliquo nõ plerumque, sed raro connexo cum prædicato, tum argumentum est captiosum, & sophisticum: ex. gr. sophisticum est hoc argumentum. *hæc mater magis amauit fratrem, quam filium; ergo etiam hæc alia*: nam raro, & contra inclinationem naturę accidit, vt mater magis amet fratres, quam filios.

Sexta species argumentationis est conuersio

uerſio. Reducitur ad ſyllogiſmum in quantum eſt oratio,in qua poſito antecedente ſequitur neceſſario conſequens,licet non perfectè diſtinctum ab antecedente,per quod deficit à perfectione ſyllogiſmi,vt dictum eſt cap.46.

Syllogiſmus conditionatus, cuius regulas tradidi cap. 43. perfectè participat definitioné,& rationem ſyllogiſmi. Quare ſyllogiſmus in genere diuiditur in abſolutum, & conditionatum tanquam in ſuas ſpecies.

De cōditionato ſufficiunt duæ regulæ ibi poſitæ. De abſoluto requiritur accuratior diſtinctio figurarum,& modorum, vt ſeparentur modi vtiles ab inutilibus. Addo plerumque ſyllogiſmos abſolutos poſſe reduci ad conditionatos:ex. gr. hic ſyllogiſmus in Barbara *omne rationale eſt riſibile; omnis homo eſt rationalis; ergo omnis homo eſt riſibilis*; æquiualet huic conditionato; *omne intelligibile ſi eſt rationale eſt riſibile;omne intelligibile ſi eſt homo eſt rationalis;ergo omne intelligibile ſi eſt homo eſt riſibile*:in quo ex poſitione cōditionata antecedentis arguitur ad poſitionem conditionatam conſequentis. Idem dic proportionaliter de reliquis.

De Syllogiſmo ſophiſtico, & de fallacijs. Caput. LVIII.

SYllogiſmus ſophiſticus definitur ab Ariſtotele primo Elenchorum capit. 5. *qui videtur procedere ex præmiſſis probabilibus, & veris, nec ſunt: vel videtur concludere, & non concludit.* Procedens ex præmiſſis, quę videntur verę, & probabiles, & non ſunt, eſt ſophiſma ex parte materiæ, & hæc diſſoluere ſpectat ad ſcientias, & facultates agentes de iis materiis: qui videntur concludere, & non concludunt ſunt ſophiſmata ex parte formæ, & hæc diſſoluere ſpectat ad logicam, quæ agit de forma ſyllogiſmi. Et quidem fallacias fundatas in ęquiuocatione, vel analogia; in variatione ſuppoſitionis; in ampliatione, ſtatu, & reſtrictione; in diminutione, alienatione, ac remotione; in apparenti contradictione; in confuſione oppoſitionum; in non penetrata vi propoſitionum copulatiuarum, diſiunctiuarum, conditionalium, cauſalium, exponibilium, modalium; in non ſeruatis regulis ſyllogiſmorum; & alias plures diſſoluimus ſuis locis. Proponendæ remanent, vel potius indicandę tredecim fallacię, quarum ſex ſunt in dictione, ſeptem extra dictionem.

Primę tres conſiſtentes in dictionibus, seu

seu vocibus valde affines sunt fallaciæ ęquiuocationis, amphibologię, & variationis accentus, vel dypthongi. Exemplum ęquiuocationis est: *omnis canis latrat; aliqua constellatio est canis; ergo aliqua constellatio latrat*.

Exemplum amphibologiæ consistentis in diuerso sensu est, *omnes episcopi sunt sacerdotes; isti equi sunt episcopi; ergo isti equi sunt sacerdotes*.

Exemplum variationis accentus, seu dypthongi est; *omnia leuissima feruntur sursum; hoc marmor est leuissimum; ergo hoc marmor fertur sursum*.

Soluuntur vno verbo negando consequentiam, & detegendo ęquiuocationem, vel amphibologiam, vel variationem accentus, aut dypthongi.

Quarta, & quinta fallacia est compositionis, ac diuisionis. Fallacia compositionis est, in qua ex eo, quod aliqua prædicata conueniant subiecto diuisim, hoc est vnum sine alio, infertur quod possint conuenire coniunctim; ex. gr. *omnis sedens potest ambulare; Petrus est sedens; ergo potest simul sedere, & ambulare*.

Fallacia diuisionis est, per quam ex eo, quod aliqua prædicata non possint subiecto conuenire coniunctim, infertur quod neque diuisim; ex. gr. *impossibile est vigilantem dormire; Petrus vigilat; ergo impossibile est*

est Petrum dormire. Soluuntur distinguendo sensum compositum,& diuisum.
Sexta vocatur fallacia figurę dictionis,& est in qua propter similitudinem dictionũ significantium diuersa,arguitur ac si significarent idem;exm. gr. *quidquid emisti, comedisti; emisti carnes crudas; ergo comedisti carnes crudas*: ly *quidquid* significat substantiam rei emptæ, non verò qualitatem crudi,& cocti,& tamen arguitur ac si significaret,quod emisti,comedisti cum ea qualitate, quam habebat dum emeres.

Prima extra dictionem est fallacia accidentis,cum ex eo, quod aliquod prædicatum conueniat subiecto ratione accidentis,arguitur,quod illi conueniat secundum se;vel ex eo,quod conueniat secundum se,arguitur quod conueniat ratione accidentis; ex. gr. *album est concretum accidentale;Petrus est albus; ergo Petrus est concretum accidentale*. Ex eo quod album sit concretum accidentale prout sumitur cũ albedine, arguitur quod Petrus secundum se sit concretum accidentale. E conuerso cum dicitur,*Petrus est in peccato mortali;cognosco hunc,quem video, esse Petrum; ergo cognosco hunc,quem video esse in peccato mortali*: ex eo quod cognoscam Petrum secundum se,arguitur, quod cognoscam illum secundum accidens peccati mortalis.

Se-

Secunda eſt fallacia à *ſecundum quid ad ſimpliciter*, de qua egi cap. 29.

Tertia ex ignoratione elenchi, ſeu cõtradictionis, cum inferũtur tanquam contradictoria quæ non ſunt, & de hac egi cap. 28.

Quarta eſt fallacia antecedentis, & conſequentis, cum infertur conſequens non ſeruando leges conſequentię, ex. gr. *omnis homo eſt animal; ergo omne animal eſt homo*. Vniuerſalis enim affirmatiua conuertitur ſimpliciter, cum poſſit conuerti ſolum per accidens.

Quinta eſt, fallacia petitionis principii, cũ petitur in præmiſſis vt cõcedatur principium quæſtionis, hoc eſt id, de quo eſt controuerſia, cum debeat probari.

Sexta eſt cum aſſumitur cauſa partialis alicuius effectus ac ſi eſſet totalis: ex. gr. *ideo Petrus videt ſe ipſum, quia habet ante oculos ſpeculum; ſed etiam cæcus habet ante oculos ſpeculum; ergo etiam cæcus videt ſe ipſum*. Ratio adæquata, & totalis, cur Petrus videat ſe ipſum, non eſt, quia habet ante oculos ſpeculum, ſed etiam quia habet potentiam viſiuam expeditam, oculos apertos, ſpeculum illuminatum &c.

Vltima eſt ſecundum plures interrogationes vt vnam: vt dum queritur *homo, & equus ſuntne riſibiles an non*? & inſtatur

ſtatur, vt vel concedatur abſolutè propoſitio, vel negetur; & tamen debent diſtingui reſponſiones *homo eſt riſibilis, equus non eſt riſibilis*. Hęc ſufficiat indicaſſe: nam. ſunt explicata in mea explanatione operum Ariſtotelis, lib 1. &. 2. Elenchorum.



QVAE-

QVAESTIONES PROOEMIALES AD PHILOSOPHIAM ET SCIENTIAS

Explicatur ordo diſputandorum.



RADITVRI quęſtiones logicas, phyſicas, ac metaphyſicas præmittendas duximus quæſtiones procemiales non ſolum ad logicam, ſed ad omnes ſcientias. Quia igitur res cognoſci non poſſunt perfectè, niſi per ſuam cauſam prę ſertim ſpecificatiuã; cauſa autem ſpecificatiua actuum, & habituum intentionalium eſt obiectum, natura ſcientiarum cognoſci debet per earum obiecta. Rurſus quia obiecta ſpecie diuerſa ſunt penè innumerabilia, adeoque ſpecificant innumerabiles actus, atque habitus cognoſcitiuos ſpecie diuerſos, ex quorum multitudine inordinata ſequeretur confuſio, neceſſaria fuit aliqua diuiſio ar-

tificialis,per quam tum habitus, tum obiecta distribuerentur in certas classes, ideoque facta fuit à sapientibus celebris illa diuisio facultatum in physicam, mathematicam,metaphysicam, & logicam His præmissis in quatuor primis quæstionibus, quæst.5.procedimus ad examinandum, an allata diuisio sit bona, & fundata in rerũ natura; an quatuor facultatibus correspondeant quatuor abstractiones diuersę quo pacto tum ipsis, tum logicæ practicę sint assignanda obiecta attributionis, materialia, & formalia;quis inter illas detur ordo tum inuentionis, tum doctrinæ, tum dignitatis,tum certitudinis;an omnes aliæ scientiæ speculatiuæ,& artes, seu scientię practicæ subordinentur primis quatuor, ita vt quędam sint propriè subalternatæ, quędam non,ex qua occasione explicamus scientias physico-mathematicas subalternatas partim physicæ, partim mathematicæ.

Iam quia hactenus supposuimus diuisionem actuum,& habituum in speculatiuos, & practicos,quæst.10.incipimus agere de tali diuisione,ac primo querimus,vtrum quædam veritates obiectiuæ sint speculatiuæ,quædam practicæ;deinde proponimus definitionem cognitionis practicæ, ac speculatiuę, ex eaque deducimus definitionem habitus practici,ac speculatiui,expli-

cantes

cantes etiam, quo pacto actus practici, ac speculatiui differant ex obiecto, vel ex modo tendendi; quinam actus sint vltimò practici, ac directiui ad operandum; quid sit speculatio, & consultatio; quomodo differant, & quos actus includant; an cognitio speculatiua sit nobilior practica; vtrum ad executionem requiratur imperiũ rationis consequens imperium voluntatis; ac deinde descendimus ad examinandum, an quatuor facultates primariæ sint speculatiuę, vel practicę, vel partim speculatiuę, partim practicæ.

Demum quia supposuimus, quatuor facultates esse scientias, scientia verò est virtus intellectus, quæst. 15. incipimus agere de virtutibus intellectus, ac præmissa, & explicata definitione virtutis intellectualis, eiusque diuisione in quinque virtutes, hoc est intellectum, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem, quarum primæ tres sunt speculatiuæ, duæ sequentes sunt practicę, quærimus, an primę tres virtutes, intellectus, scientia, & sapientia sint habitus speciales, quid sint, & quomodo differant inter se; deinde de duabus virtutibus, practicis, prudentia nimirum, & arte, examinamus quid sint, quo pacto differant inter se; quomodo prudentia differat à scientia morali; & vniuersim quo pacto in artibus pars theorica differat à parte pra-

ctica:cur prudentia,sit vnica,princeps, & architectonica omnium artium,artes verò sint plures,ac penè innumerabiles;quomodo prudentia monastica,œconomica, & politica coalescant in vnam prudentiam; an artes benè diuidantur in actiuas,& factiuas,rationales,& irrationales, atque aliqua exp icamus circa artes rationales. Descendimus deinde ad examinandū, an quatuor facultates speculatiuæ primariȩ sint scientiȩ subalternantes, ac virtutes intellectus; an logica practica etiam secundum partem topicam, & sophisticam sit virtus,scientia,& ars;vtrum logica benè diuidatur in naturalem, & artificialē, docentem,& vtentem an, & quomodo sit necessaria ad reliquas scientias; ac demū ex omnibus disputatis inferentes definitionem logicæ, quæ definitio secundum Aristotelem est vltimus fructus disputationis,ac demonstrationis,quæstiones proœmiales concludimus.

Vtrum cognitio perfecta debeat esse per causam rei.
Quæstio I.

VIdetur quod non, primo quia Deus cognoscit perfectissimè seipsum; sed non per causam,cum causam non habeat; ergo,

ergo res potest cognosci perfectè & non per causam. Beati etiã cognoscunt Deum perfectè per visionem beatificam, & non per causam.
2. Si dicatur, quod cognitio perfecta rei habentis causam debet esse per causam, non autem cognitio rei carentis causa, contra est, quia cognitio intuitiua entis causati est valde perfecta: ex gr. cognitio intuitiua, qua angelus cognoscit hominem in se ipso penetrans intimè eius essentiam, & naturam, est valde perfecta, & perfectior quacunque cognitione non intuitiua; sed cognitio intuitiua cognoscit rẽ per se ipsam, & non per causam; ergo cognitio perfecta non debet esse per causã.
3. A priori entia: præsertim spiritualia, vt angeli, cum sint perfectè intelligibilia, possunt perfectè manifestare se ipsa, totam suam essentiam, & omnes proprietates, sed si se manifestent perfectè, cognoscuntur perfectè ab intellectu proportionato, & non per causam; ergo cognitio perfecta non debet esse per causam.
4. Si per causam res perfectè cognoscerentur, deberent per causam solui omnes quæstiones ad illas pertinentes, præsertim illæ quatuor, ad quas cæteræ reducuntur: *an sit, quid sit, qualis sit, propter quid sit*, cognitio quippe non soluens omnes quęstiones non quietat intellectum, adeoque non

estperfecta;sed per causã soluitur sola quę stio *propter quid res sit*,quę sola est quęstio causę,aliæ quęstiones non soluuntur; ergo res non perfectè cognoscuntur per causã.
5. Deberent res cognosci per omnes causas etiam per primam causam, vt perfectè cognoscerentur;sed hoc est falsum: nam nihil cogitantes de Deo, qui est prima causa, possumus perfectè cognoscere veritates præsertim mathematicas; ergo. Addo quod cognitio cognoscens res per omnes causas videtur non esse cognitio humana,quę possit acquiri in hac vita mortali,sed diuina,vel angelica.

Respondeo manifestum esse à priori,& à posteriori, omnem cognitionem cognoscentem rem,& non per causam seu rationẽ ipsius rei, esse imperfectam;solam autẽ cognitionem cognoscentem rem per causam posse esse perfectam. A priori probatur, quia perfecta cognitio nihil est aliud, quam perfecta repræsentatio rei cognitę: repręsentatio verò rei cognitæ tunc solũ est perfecta,cũ per talẽ repræsentationem res ita ponitur in mente,sicut est à parte rei. Ad hocautẽ vt res ita ponatur in mẽte,sicut est à parte rei, requiritur, vt id quod est ratio,& causa, propter quam res ponitur à parte rei secundũ esse reale, sit ratio & causa,propter quã res cognoscitur & ponitur in mente secundũ esse intentionale

nale cogniti;ergo ad perfectam cognitionem requiritur, vt cognoscat rem per causam,& rationem,propter quam est; cognitio verò cognoscens causam per effectum est imperfecta,quia per illam res est in mente modo contrario,& inuerso, ac sit à parte rei. Cum enim causa sit ratio, cur effectus sit à parte rei, effectus est ratio,cur causa sit in mente. Cognitio similiter,qua res habens causam cognoscitur & non per causam, est imperfecta, quia causa,quę est ratio cur res sit à parte rei, non est ratio,cur sit in mente.

Allata ratio à priori confirmatur à posteriori. Nam cognitio relinquens intellectum inquietum,& curiosum,est imperfecta,cognitio verò quietatiua,& ablatiua curiositatis est perfecta: inquietudo enim oritur ex eo, quod intellectus habens cognitionem imperfectam non satiatur, sed aspirat ad perfectam; curiositas etiam, qua intellectus quęrit *cur*,quærit cognitionem causæ tamquam satiatiuam, adeoque perfectiuam cognitionis;sed cognitio, qua ita cognoscimus effectum, vt ignoremus causam, relinquit intellectum inquietum, & curiosum circa causam rei; cognitio, qua cognoscimus causam,sed per effectum,relinquit intellectum inquietum de ipso modo cognoscendi causam: è conuerso cum cogno-

ſcimus effectum per cauſam eo ipſo quietamur,& ſatisfit curioſitati;ergo cognitio cognoſcens rem,& non per cauſam, ſemper eſt imperfecta; ſola cognitio cognoſcens rem per cauſam poteſt eſſe perfecta. Ideò ſapienter Ariſtoteles primo poſteriorum textu quinto ad ſcientiam , hoc eſt ad cognitionem perfectam rei,requirit vt ſit per cauſam .

Ad 1. In reſolutione quæſtionis dictum eſt,quod vt res perfectè cognoſcatur debet cognoſci per cauſam,vel per ratioñe, propter quam res eſt . Quia igitur nulla creatura eſt ſibi ſufficiens ratio eſſendi , ſed habet eſſe à cauſa diſtincta, ideo vt creaturæ perfectè cognoſcantur, debent cognoſci per cauſam diſtinctam . E conuerſo quia Deus eſt ſibi ſufficiens ratio eſſendi,ita vt non habeat eſſe ab vlla cauſa,ideo vt perfectè cognoscatur debet cognosci per se ipsum , non autem per causam . Cognitio igitur,qua Deus cognoscit seipsum per seipsum , & per suã eſſentiam tanquam per adæquatum obiectum formale,eſt perfectiſſima , quia cognoscit Deum propter rationem , propter quam Deus eſt, quę ratio eſt diuina eſſentia. Ex eadem ratione eſt perfecta viſio beatifica, qua Deus cognoscitur in se per suam eſſentiam tanquam per obiectum formale .

Ad 2.

Ad 2. Cognitio intuitiua entis incausati est perfecta, quia cognoscit propter se ipsum quod est propter se ipsum. At cognitio intuitiua entis causati est imperfecta, quia cognoscit propter se ipsum quod non est propter seipsum, sed propter causam distinctam. Talis autem imperfectio patet etiam à posteriori. Nam intuitio entis causati inquietat intellectum, & excitat curiositatem ad quærendam eius causam. Si verò per intuitionem entis causati cognoscatur ipsius causa, inquietatur intellectus propter modum cognoscendi, quo causa cognoscitur per effectũ, atque adeo modo inuerso, & excitatur desiderium cognoscendi causam aliter. Falsum est igitur quod cognitio intuitiua, qua Angelus cognoscit hominem per seipsum, sit perfectior non intuitiua hominis. Cognitio enim, qua cognoscitur homo per omnes causas, & presertim per diuinam essentiam, quæ est causa adequatissima hominis, est multo perfectior cognitione intuitiua hominis.

Ad 3. Solum ens incausatum potest manifestare se ipsum manifestatione perfecta: at omnis manifestatio, qua ens causatum manifestat se ipsum, est aliqualiter imperfecta, ideoque inquietatiua & excitatiua curiositatis, qua queratur causa, propter quam est.

Ad 4. Per causam possunt solui omnes quæstiones circa rem, vt Aristoteles docet, & probat initio secundi posteriorum. Cum enim causa sit ratio, cur res sit, cur habeat talẽ essentiam, prædicata, proprietates, & alia accidentia, potest hæc omnia manifestare, & sic satisfacere quæstionibus, *an sit, quid sit, qualis sit, & propter quid sit*. Addo cum Aristotele, quod nulli quęstioni potest satisfieri perfectè, causa non cognita. Intellectus enim dum nescit, cur res sit, cur habeat talem essentiã, & prędicata, cur tales proprietates, & accidentia, semper remanet inquietus. Ideo cecinit ille.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas quia nimirum felicitas consistit in cognitione primę causę, quæ sola est quietatiua intellectus, & sufficiens ad soluendas omnes quęstiones, & satisfaciendum omni curiositati. Notat etiam Aristoteles loco citato secundi posteriorum, quod omnis quęstio, & inquisitio, seu speculatiua, seu practica est quęstio causæ. Ita cum quęro *an Deus sit*, quæro aliquam causam, aut medium terminum, qui possit in me causare hanc cognitionem, *ergo Deus existit*: cum quęro *quid sit homo*, quęro aliquas apprehensiones prædicatorum, quę causent in me cognitionem definitiuam hominis: cum ęgrotus consultat de recuperanda sanita-

ſanitate,quęrit aliquam cauſam poſitam in ſua poteſtate,quæ poſſit cauſare recuperationem ſanitatis. Inquiſitiones ſpeculatiuæ,ac practicæ differunt ſolum in hoc, quod per ſpeculatiuas quęrimus cauſam, per quam obiectum merè cognoſcamus; per practicas verò quęrimus cauſam, per quam non ſolum cognoſcamus, ſed efficiamus.

Ad 5. Concedo, quod vt res perfectè cognoſcantur,debent cognoſci per omnes cauſas,etiam per primam cauſam, quę eſt Deus. Falſum proinde eſt, quod veritates etiam mathematicas omnino perfectè cognoſcamus nihil cogitantes de Deo.Cum enim omnes veritates etiam mathematicę habeant Deum pro primo principio, & vltimo fine,& ordinentur ad manifeſtandam aliquam diuinam perfectionem, non poſſunt omnino perfectè cognoſci præſcindendo à Deo; ſicut ſerra vel gladius, nō poſſunt perfectè cognoſci, pręſcindendo à fine,ad quem ordinantur. Dum opponitur,quod cognitio cognoſcens rem per omnes cauſas modo explicato, non videtur eſſe cognitio humana: dico quod quia perfectum eſt regula ſui,& imperfecti,eo pacto,quo ſecundum Ariſtotelem rectum eſt regula ſui & obliqui, definiri debet cognitio omnino perfecta, quia illa cognita,ſeu ſit humana & moraliter poſ-

ſibilis,ſeu non,facilè deinde per ipſam intelligitur cognitio non omnino perfecta. Ita mathematici definiunt circulum perfectum, lineam perfectè rectam, angulum perfectè rectum, ſeu poſſint moraliter dari,ſeu non,quia intellecto circulo perfecto facile deinde intelligitur minus perfectus Sic ergo nos deſcribimus cognitionem omnino perfectam, quia per illam minus perfecta ſtatim intelligitur. Hinc verò ſoluitur quod contra Ariſtotelem obiicitur, quod in libris poſteriorum videatur deſcribere ſcientiam quandam idealem,qualis in homine vix dari poteſt. Dicendum enim quod deſcribit ſcientiam omnino perfectam, per quam alia minus perfecta ſtatim innoteſcit. Cognitio igitur perfecta, quam deſcripſimus, datur primo in Deo; datùr proportionaliter in Angelis,& in hominibus; & in his eſt magis,vel minus perfecta, prout magis aut minus degenerat ab illa perfectiſſima.

Vtrum cauſę cognitionis ſint potentia, & obiectum.
Quæſtio II.

VIdetur quod non: 1. quia quod purè recipit aliquid nihil ad id influendo,

do,non est causa actiua illius,sed ad summum purè passiua;sed potentia cognoscitiua purè recipit cognitionem,nihil ad illam influendo;ergo potentia cognoscitiua non est causa actiua cognitionis.

2. Quod nihil est, vel si est aliquid, non est sufficienter applicatum ad causandum, non causat; sed obiectum cognitionis sæpe non est,nec potest esse, vt cum cognoscimus impossibilia,ex.gr.alterum Deum; sępe licet possit esse,de facto non est, vt cum intelligimus alterum mundum, & antichrystum;sæpe licet sit, non est sufficienter applicatum,vt cum cogitamus de rebus quę sunt in India,& aliis regionibus distantissimis;ergo obiectum plerumque non est causa cognitionis.

3. Cognitio diuina nec à potentia causatur,nec ab obiecto, cum sit omnino incausata: cognitio angelica de rebus materialibus non causatur ab obiecto materiali, cum secundum doctrinam Sancti Augustini materialia non habeant vim agendi in spiritualia; ergo vniuersaliter cognitio non causatur à potentia, & ab obiecto.

Resp.quod omnis cognitio vel causatur à potentia, & obiecto,vel est à potentia & obiecto,siue à cognoscente, & cognito. Ratio à priori est, quia omnis cognitio saltem creata est expressio,& imitatio,

atque imago vitalis obiecti. In quantum igitur est vitalis, procedit à cognoscente. Implicat enim cognoscentem viuere per aliquid, quod ab ipso non est, sed purè illud recipit ab alio, merè passiuè se habendo, vt dicetur etiam in libris de anima. In quantum verò cognitio est expressio, imitatio, & imago obiecti, procedit ab obiecto. Illud enim, quod ita requiritur ad effectum, vt assimilet sibi talem effectum, requiritur tanquam causa actiua effectus; cum assimilare sibi effectum sit maximè proprium causę actiuę; sed obiectum requiritur ad cognitionem, vt assimilet illā sibi; ergo obiectum est causa actiua & exemplaris cognitionis: actiua, quidem, quia assimilat cognitionem sibi; exemplaris autem, quia exemplar est, *ad cuius imitationem aliquid fit*, sicut è conuerso imago definitur ab Aristotele, *cuius generatio per imitationem fit*; sed generatio cognitionis fit per imitationem obiecti; ergo cognitio creata est imago obiecti: & è conuerso obiectum est exemplar cognitionis, cum imago & exemplar sint correlatiua.

Confirmatur, & explicatur à posteriori inductione, qua constat omnem cognitionem procedere ab obiecto, tanquam à patre, & à potentia, in qua etiam recipitur, tanquam à matre. Ita visio alicuius coloris procedit à potentia visiua, à qua etiā reci-

recipitur,tanquam à matre, & ab obiecto illuminato,tanquam à patre. Idem dic de aliis sensationibus,& cognitionibus, tum imaginatiuis,tum etiam intellectiuis.

Hinc est vt cognitio intellectiua vocetur conceptus mentis,& intellectio, qua quis intelligit se ipsum,sit quasi filius intelligentis, vt docet Sanctus Augustinus in libris de Trinitate, quem sequuntur communiter Theologi. Ratio,cur nomen conceptus,& quasi filii tribuatur soli cognitioni intellectiuæ,non autem cognitioni sensuum, & actibus voluntatis est quia filius producitur ad hunc finem, vt perfectè repræsentet, & exprimat patrem suum,non solum in exteriori apparentia, & figura,sed etiã in natura,& essentia; sed sola intellectio,qua quis intelligit seipsũ, producitur ad hunc finem,vt exprimat intelligentem,non solum in exteriori apparentia, sed etiam in natura & essentia, quam essẽtiam penetrat solus intellectus: cognitiones verò sensuum & imaginationis producuntur,vt exprimant obiectum solum secundum exteriorem apparentiam;actus voluntatis, cum supponant obiectum cognitum, & repræsentatum per cognitionem non producuntur, vt obiectum repręsentent, sed solum vt coniungant,& vniant cum obiecto; ergo sola cognitio intellectiua,qua quis intelligit se

ipsum, est quasi filius intelligentis. Intellectio tamen creata in hoc differt ab intellectione producta increata, quod intellectio producta increata, seu Verbum diuinum propriè est filius patris intelligentis, & producentis; intellectio verò creata non est propriè filius, sed quasi filius. Ratio est, quia filius non solum debet produci ad hunc finem, vt exprimat patrem suum, sed debet in productione accipere naturam & essentiam patris; sed in diuinis intellectio producta, seu Verbum accipit eandem numero naturam, & essentiam patris; ergo propriè est filius, & eius productio est generatio, hoc est *origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ*. At intellectio creata, qua homo, vel Angelus intelligit se ipsũ, est accidens, atque adeo non accipit eandem essentiam, & naturam cum intelligente, ideoque non est filius, sed quasi filius intelligentis. Spiritus Sanctus non est filius, quia licet in productione accipiat naturam producentis, non producitur ad hunc finem, vt perfectè repræsentet intelligentem, cum supponat illum perfectè repræsentatum per Verbum; duæ autem productiones ordinatæ ad repræsentationem eiusdem sunt superfluę; sed producitur ad finem vniendi. Non est igitur filius, nec imago producentis, nec productio

ductio Spiritus Sancti est generatio, quia generatio est *origo in similitudinem naturę*, hoc est *ordinata ad hunc finem, vt exprimat producentem*.

Ad 1. Iam dictum est, quod potentia intellectiua est causa actiua cognitionis, vtpote actus vitalis.

Ad 2 Obiectum cognitionis semper est actu in se ipso, vel in aliquo sui, in quo etiam sufficienter applicatur ad cognitionem causandam. Impossibile igitur, ex. gr. alter Deus est in aliquo possibili & actuali tanquam in obiecto formali mouente ad cognoscendum alterum Deum: idemque dic de purè possibili, & futuro. Obiectum enim, quod actu est, habet vim mouendi intellectum, non solum ad cognoscendum se ipsum, sed etiam ad cognoscendum quod non est, nec potest esse, vt dicetur in quæstione de impossibili. Obiectum quod est distans, & non sufficienter applicatū, vt quæ suntin India, est præsens, & sufficienter applicatum in obiecto formali mouente ad cognoscendum obiectum distans. Addo, quod sicut plerumque entia causant sibi simile in esse reali, non per se ipsa, sed per semen sui; sic plerumque causant cognitionem sibi similem in esse intentionali, non per se ipsa, sed per speciē sui, quæ species est quasi semen obiecti, ordinatum ad illud propagandum

secun-


ſecundum eſſe intentionale, ſicut ſemen lactucæ ex gr. ordinatur ad lactucam propagandam ſecundum eſſe reale.

In hoc autem eſt mirabilis conuenientia inter inclinationem & modum, quo entia propagant ſe ſecundum eſſe reale, & ſecundum intentionale. Primo enim ſicut omnia appetunt eſſe reale, & realem conſeruationem, vt patet ex eo, quod omnia ſe tuentur à contrariis quantum poſſunt; ſic omnia appetunt eſſe intentionale, ſeu cognoſci, vt patet inductione vniuerſaliſſima. Nam Deus producit mundum, & cuncta operatur propter ſuam gloriam, hoc eſt vt cognoſcatur, & innoteſcat, cum gloria *ſit clara notitia de aliquo*: angeli & homines naturaliter appetunt famam, & gloriam, ac magnam exiſtimant miſeriam, ſi nemo de iis cogitet: entia rationis expertia faciunt quantum poſſunt, vt innoteſcant, manifeſtando ſe oculis per colores, auribus per ſonos, tactui per qualitates tangibiles; ea verò, quę parum cognoſcuntur, vix ſunt, & videntur non eſſe. Ex hac inclinatione, quam habent entia ad hoc vt ſint, & cognoſcantur, colligitur primo, quod tum eſſe, tum cognoſci eſt bonum. Bonum enim definitur ab Ariſt. primo Ethic: & primo Rhetoricorum, *quod omnia appetunt, vel appeterent, ſi haberent intellectum*. Secundo infertur, quod

omnia

omnia entia sunt vera, cum habeant vim manifestandi se intellectui per cognitionem verã. Tertio quod ea sunt perfectiora, quæ magis appetunt cognosci. Cum enim talis inclinatio sit proprietas entis, quo maior est inclinatio, eo maior est entitas. Ex quo sequitur vlterius opera virtutis esse maximè entia & valdè perfecta, quia naturaliter appetimus, vt nostra bona opera sint maximè nota. Sequitur è conuerso quod peccata sint nihil, vel penè nihil, quia qui male agit odit lucem, & qui peccat naturaliter optat, vt nemo sciat peccatum suum, ne Deus quidem, & propria conscientia, si fieri posset, ac vellet, vt in propria conscientia, & in omnibus rebus aboleretur memoria criminis sui. Demum quod magis spectat ad rem præsentem, entia incorruptibilia, vt angeli quia semper possunt conseruare illud esse, quod habent non producunt sibi simile: neque enim sicut equus generat equum, sic angelus generat angelum; entia corruptibilia & mortalia solent producere sibi simile in specie, vt quando ipsa sunt interitura, conseruentur in effectu sibi simili. Sicut igitur solent producere simile secundum esse reale per semen mole minimum, virtute maximum; sic solent producere simile secundum esse intentionale per speciem, quę est veluti semen obiecti.

Ad 3. Licet cognitio diuina non causetur à potentia, & obiecto, tamen est à cognoscente, & cognito. Est enim idem cum essentia diuina, quæ est cognoscens & est obiectum formale cognitum; sed essentia diuina est à se; ergo cognitio diuina est à cognoscente, & ab obiecto cognito. Hanc perfectionem diuinę essentiæ, per quam est à se, imitantur quantum possunt viuentia creata, quæ habent à se ipsis actus vitales, & non merè passiuè ab obiecto; licet imitentur imperfectè, in quantum essentia diuina est adæquatissimè à se, ideoque est perfectissimè viuens, immo est ipsa vita perfectissima: viuentia verò creata ita habent actus vitales à se, vt habeant etiam ab alio, hoc est, ab obiecto distincto, ideoque sunt viuentia minus perfecta, & infinitè distantia à supremo gradu vitæ, qui est in solo Deo. Ad id, quod dicitur de cognitione angelica, quę non causatur ab obiectis materialibus, respondeo quod causatur à speciebus inditis à Deo, quę vicem gerunt obiectorum.



Vtrum causa specificatiua cognitionis sit potentia vel obiectum. Quæstio III.

1 Videtur quod specificatiuum cognitionis neque sit potentia, neque obectum, neque vlla causa extrinseca cognitionis. Specificatiuũ enim vniuscuiusque rei est illud, per quod talis res formaliter constituitur in sua specie; sed vnaquęque res formaliter constituitur in sua specie, non per causas extrinsecas, sed per sua prædicata intrinseca, hoc est per genus & differentiam, præsertim verò per differentiam vltimam: ex. gr. homo constituitur in specie hominis per hoc, quod sit animal rationale, ac pręsertim per rationalitatem, quæ est vltima differentia, non verò per suum patrem, & alias causas extrinsecas; ergo specificatiuum cognitionis sunt prædicata intrinseca cognitionis, non autem potentia, & obiectũ, quæ sunt causę extrinsecæ.

2. Si dicatur quod quæritur specificatiuum extrinsecum, hoc est illud, à quo cognitio accipit suam essentiam specificam, tamquam ab aliquo extrinseco; videtur quod omnes causæ extrinsecę cognitionis, & cuiuscumque rei ęquè specificent illam, cum omnes ęquè concurrant

ad

ad dandam rei essentiam specificam ; ex. gr. quod omnes causæ extrinsecæ hominis specificent hominem, cum omnes concurrant ad dandam homini essentiam homini: quod potentia & obiectum æquè specificent cognitionem ex eadem ratione.
3. Si dicatur quod specificatiuum proprium cognitionis sit quod illi tribuit vltimam differentiam specificam, adhuc videtur, quod cognitio æquè specificetur à potentia, ac ab obiecto. Potentia enim visiua exem. gr. tribuit cognitioni albedinis prędicatum visionis, albedo tribuit prędicatum expressiui albedinis, sed æquè prędicatum visiui est differentia expressiui albedinis, ac prędicatum expressiui albedinis sit differentia visiui, cum vtrumque possit esse sine altero; in visione siquidem nigredinis datur prædicatum visiui sine prædicato expressiui albedinis; in intellectione albedinis datur prædicatum expressiui albedinis sine prędicato visiui: ergo æquè potentia, ac obiectum tribuit vltimam differentiam, ac proinde æquè specificant cognitionem.
4. Causa specificatiua rei non potest esse imperfectior effectu specificato, sed omnia obiecta sensuum, & imaginationis, ac multa obiecta intellectus sunt imperfectiora actibus harum potentiarum: obiecta enim sensibilia, vt pote accidentia non vitalia sunt

sunt imperfectiora actibus vitalibus sentiendi, & imaginandi; accidentia etiam materialia, quę contemplatur intellectus, sunt imperfectiora actibus intellectus, qui sunt spirituales; ergo plura obiecta non possunt esse specificatiua cognitionis.

5. Non potest explicari, vtrum cognitiones, & alii actus intentionales specificentur à suis obiectis modo quodam speciali ac magis propriè, quam res aliæ specificentur à suis causis: vtrum etiam accidentia non intentionalia habeant suum specificatiuum; vtrum specificari propriè competat solis accidentibus, an etiam substantiis; vtrum substantię specificentur ab accidentibus, an solum accidentia à substantiis; ergo hęc doctrina de causa specificatiua est vndique implicata.

6. Cognitio diuina non specificatur à potentia, nec ab obiecto; ergo cognitio vniuersaliter non debet specificari à potentia, & obiecto.

Respondeo posse nos loqui de specificatiuo intrinseco, & extrinseco, ac rursus de specificatiuo extrinseco communi, & proprio. Specificatiuum intrinsecum est id, per quod res formaliter, & intrinsecè constituitur in sua specie: & quia vnaquæque res formaliter constituitur in sua specie per sua prædicata essentialia; ideò omnia

omnia prædicata eſſentialia intrinsecè specificant rem: homo exem. gr. intrinsecè specificatur per hoc quod ſit ſubſtantia corporea, vegetabilis, ſenſitiua, rationalis. Quia tamen res magis propriè conſtituitur in ſua specie per id, per quod vltimò determinatur ad talem speciē, hoc eſt per vltimam differentiam, ideo propriè ſpecificatiuum intrinſecum eſt vltima differentia, ex. gr. propriè specificatiuum intrinsecum hominis eſt rationalitas. Ex hoc patet, quod cognitio nec à potentia nec ab obiecto specificatur intrinſecè, sed ſolum à ſuis prædicatis, ac præſertim ab vltima differentia. Verum quia quodlibet ens creatum accipit ſpeciem, & eſſentiam, ac omnia predicata intrinſeca ab aliqua causa extrinſeca, hinc eſt, vt quodlibet ens creatum habeat etiam extrinſecum ſpecificatiuum, & extrinſecè ſpecificetur à cauſa, à qua accipit ſpeciem, & eſſentiam. Et quia ſpecificatiuum prius eſt etiam principalius; cauſa autem extrinſeca vtpote dans prædicata intrinſeca eſt ſpecificatiuum prius; ideo ſpecificatiuum extrinſecum eſt ſpecificatiuū principalius, quod ſolum vocatur ſpecificatiuum ſimpliciter; ac proinde cum abſolutè quęritur ſpecificatiuum, quæritur ſpecificatiuum extrinſecum. Rurſus quia, vt dictum eſt, res magis propriè conſtituitur in ſpecie per vltimam

timã differentiã quam per prædicata communia,& generica,illud extrinsecum,quod tribuit rei vltimam differentiã, in ea sibi effectum assimilans,magis propriè specificat rem, quam quod tribuit prædicata generica,assimilans sibi effectum in genericis prædicatis; ideoque licet ad generandum hominem concurrat homo & sol, vt docet Aristoteles 2. phys. tamen potius homo,quam sol specificat hominem,quia homo generans tribuit homini genito vltimam differentiam rationalis, in eaque sibi effectum assimilat; sol autem assimilat hominem sibi solum in prędicato generico corporis, ideoque non tam specificat, quam genereizat hominem productum. Ex hoc concluditur, quod obiectum specificat cognitiones,& alios actus intentionales tanquam tribuens illis vltimam differentiam specificam:potentia verò non tam specificat,quam genereizat vtpote tribuens sola prædicata generica. Ratio est, quia cum videmus albedinem exem. gr. potentia visiua assimilat sibi visionem in prædicatis vitalis,visiui &c,quæ sunt prędicata generica,& communia pluribus visionibus albi, nigri, rubri, &c. obiectum verò,nimirum albedo tribuit visioni prædicatum differentiale, quod est determinatio visionis ocularis ad hoc vt sit expressio albedinis. Et confirmatur, quia sicut

ſicut cum ſol,& ſemen lactucę producunt lactucam,ſol concurrit vt cauſa vniuerſalis,ac genereizans,ſemen vt cauſa particularis,& ſpecificans;ſic cũ potentia viſiua, & ſpecies albedinis,quę eſt veluti ſemen albedinis,producunt viſionem albedinis, seu albedinem in eſſe intentionali,potentia viſiua concurrit vt causa vniuersalis, ac genereizans viſionem, species verò albedinis vt causa particularis, & specificans. Nec obſtat quod obiiciebatur in tertio argumento, quod ſicut prædicatum viſiui tributum à potentia eſt indifferens ad viſionem albi,& nigri,quæ specie differunt, ideoque eſt prædicatum genericum,ſic prædicatum expreſſiui albedinis tributum ab obiecto eſt prædicatum indifferens ad hoc,vt conueniat expreſſioni viſiuę,vel imaginatiuę,vel intellectiuæ albedinis, quę ſunt expreſſiones ſpecie differentes, ideoque pariter eſt prædicatum genericum;ergo tam potentia,quam obiectum tribuunt cognitioni prædicata ſolum generica,ac proinde non magis obiectum ſpecificat,quam potentia. Dicendum enim,quod cum obiectum concurrat ad actum potentię vt determinatiuum potentiæ,& vt illi applicatum,& vnitum,tribuit actui non prædicatum expreſſiui obiecti vtcunque, quod eſt prędicatum genericum, ſed prędicatiuum determinatiui

actus

actus talis potentię ad hoc vt exprimat tale obiectũ, quod est prædicatum differentiale, & vltima differentia cognitionis: ex. gr. albedo tribuit visioni non prædicatum expressiui albedinis vtcumque, sed prędicatum determinatiui visionis ad hoc vt exprimat albedinem, quod prędicatum cum non possit conuenire actui imaginationis, & intellectus, est vltima differentia visionis.

Verum, vt aduertit Caietanus prima parte quęst. 77. art. 3. specificatio hęc, qua effectus accipit prędicata essentialia, & vltimam differentiam à causa, communis est omnibus entibus causatis. At potētię, habitus, & actus intentionales magis propriè specificantur ab obiectis, quam cæteri effectus à suis causis: exem. gr. cognitio albedinis magis propriè specificatur ab albedine, quam homo genitus specificatur à suo patre. Quare explicanda est illa propriissima specificatio, qua actus, habitus, & potentiæ intentionales specificantur ab obiectis.

Dicendum ea propriè specificari, quę secundum suam essentiam ita commensurantur, & adaptantur alicui extrinseco, vt non possint definiri, nisi per illud, tanquam per regulam, & mensuram priorem. Explicari potest inductione exemplorum desumptorum tum ex rebus artificialibus,

tum ex naturalibus. Veſtimenta & arma propriè in ſuo eſſe artificiali ſpecificantur à membris,quæ debent ipſis veſtiri, & armari. Ex. gr. calceus ſpecificatur à pede: eſſentia enim calcei ita adaptatur,& commenſuratur pedi, vt calceus definiri non poſſit,niſi per pedem,tamquam per id, cui veſtiendo commenſuratur,& adaptatur, & qui calceum cognoſceret non vt adaptatum,& commenſuratum pedi, eſſentiam calcei non penetraret:pileus ſpecificatur à capite:idemque dic de cęteris veſtimentis, & armis:ex.gr. de galea, quæ definiri non poteſt niſi vt adaptata capiti muniendo;de lorica,&c. E conuerſo membra, quia non ſpecificantur à veſtimentis,vel armis, definiri poſſunt præſcindendo ab ipſis, eô pacto,quo definitur caput,nihil cogitando de pileo,vel galea;definitur pes,nihil cogitando de calceo. Similiter inſtrumenta artificialia definiri non poſſunt,niſi per opus,ad quod ordinãtur, ideoque ſpecificãtur ab opere ſuo: ex.gr. ſerra non poteſt definiri,niſi per opus ſecandi, & qui ſerram videt,& neſcit, quod ſit inſtrumentum ad ſecandum, eſſentiam ſerræ non percipit:idemque valet de malleo,gladio, tormentis bellicis,&c. Imagines etiam artificiales, vt ſtatuę, picturæ,ſpecificantur ab exemplari: ideoque qui videt ſtatuam alicuius animalis,& non cogitat, quod eſt

eius

eius imago illi commensurata, & adaptata, sed solum contemplatur ipsius figuram, statuę naturam non percipit. Exemplaria è conuerso non specificantur à suis imaginibus, ac proindè non est necesse, vt ad hominem definiendum cogitemus de hominis imagine.

Iam ex artificialibus descendendo ad naturalia, omnia accidentia vtpotè entis entia sunt veluti vestimenta, arma, vel ornamenta suarum substantiarum, illas perficientia, munientia, & ornantia: ideo specificantur à suis substantiis, & subiectis, & tam est impossibile definire accidentia, & non per substantiam, quam definire vestimenta, & non per membra, calceum, & non per pedem. Ideo Aristoteles, & ex eo Sanctus Thomas, ac Scotus sæpè docent, accidentia definiri debere per suum proprium subiectum, tamquam per specificatiuum. Omnes cognitiones sunt imagines naturales suorum obiectorum, ac proindè ab obiectis specificantur, & tam est impossibile definire cognitiones, & non per obiecta, quam definire imaginem hominis, & non per hominem. Actus etiam appetitiui creati, & cœteri actus intentionales, licet non sint imagines obiectorum, commensurantur suis obiectis, vt ex se patet, ideoque specificantur

tur ab obiectis. Creaturæ omnes videntur esse imagines, aut vestigia ordinata ad representandam diuinam essentiam secundum varios gradus, ideoque diuina essentia est primum specificatiuum omnium creaturarum, quę proindè definiri non possunt definitione omninò perfecta, nisi per diuinam essentiam; sicut non possunt omninò perfectè cognosci, nisi per diuinam essentiam, tamquam per primam causam, vt dictum est quęst. prima, ad quintum. Demum sicut serra, quia est instrumentum secandi, specificatur ab actu secandi, sic potentia, & habitus, quia sunt instrumenta suorum actuum, ex.gr. intellectus est instrumentum intelligendi, potentia visiua instrumentum videndi, specificantur à suis actibus; & quia actus specificantur ab obiectis, potentię, habitus, & actus intentionales vltimò specificantur ab obiectis, ita vt non possint definiri, nisi per obiecta. Tales porrò definitiones, in quibus res specificatę definiuntur per sua extrinseca specificatiua, vocantur à Scoto in prædicabilibus definitiones per additamentum, quia in iis vltra prædicata essentialia rerum definitarum, debet addi specificatiuum extrinsecum. Ex.gr. definitio, qua accidens definitur *ens in alio*, est per additamentum, quia vltra essentiam accidentis, quę est *esse in alio*, ponitur ly,

aliud, quod non est essentia accidentis: idemque proportionaliter dic de definitione, qua creatura definitur *ens ab alio*. E conuersso definitiones, quibus substantia definitur *ens per se*, Deus *ens a se*, sunt definitiones sine additamento, quia nihil in eis ponitur extrinsecum.

Demum debet aduerti, quod specificatiuum proprium, & per se semper est diuersæ rationis à re specificata. Ratio est, quia cum duo sunt eiusdem rationis, vnũ nõ ita specificatur ab alio, vt debeat definiri per illud: exemp. gr. quia ego, & meus pater sumus eiusdem rationis, ego non debeo definiri per meum patrem: at cum sunt diuersæ rationis, potest vnius essentia ita commensurari, & adaptari alteri, vt non possit definiri, nisi per illud, vt constat in exemplo calcei respectu pedis, & in cæteris exemplis allatis.

Ad 1. 2. & 3. Iam dictum est cognitionem intrinsecè specificari à suis prędicatis essentialibus, extrinsecè ab obiecto, à quo accipit differentiam specificam: à potentia verò non tam specificari, quam genereizari, cum ab ea accipiat prędicata generica.

Ad 4. Causa specificatiua adæquata non potest esse imperfectior effectu specificato; at causa specificatiua inadæquata potest esse imperfectior effectu spe-

cificato. Obiecta sensibilia sunt causa specificatiua inadęquata cognitionum sensitiuarum, cum cognitiones sensitiuæ, vtpotè accidentia substantię sensitiuæ, specificentur etiam à suis substantiis; ergo licet obiecta sensibilia sint imperfectiora actibus sensitiuis, possunt illos specificare secundum rationem imaginis similis obiectis sensibilibus, secundum quam rationem præcisè non sunt perfectiores obiectis, licet illa excedant secundum rationes vitalis &c, secundum quas specificantur à suis substantiis. Idem proportionaliter dic de obiectis specificatiuis actuum imaginationis, & intellectus.

Ad 5. Iam dictum est, quod actus intentionales specificantur ab obiectis modo quodam speciali; dictum est etiam, quod omnia accidentia specificantur à suis substantiis, seu subiectis, licet accidentia intentionalia non solum specificentur à subiectis, sed etiam ab obiectis; dictum est, quod substantiæ createę, cum sint imagines, aut vestigia diuinæ essentiæ, specificantur à diuina essentia. Solum igitur remanet satisfaciendum ad quartum, & vltimum quęsitum, vtrum substantiæ specificentur ab accidentibus. Ad quod respondeo negatiuè. Sicut enim membra non specificantur à suis vestimentis, & armis, sed specificant sua vestimenta, & arma,

ma.,

ma, sic substantię non specificantur à suis accidentibus,sed specificant sua accidentia. Ex.gr.homo non specificatur à sua felicitate,sed illam specificat,vtpotè subiectum,cui felicitas adaptatur, sicut pileus adaptatur capiti,finis *qui* adaptatur fini *cui* fundamentali,ac principaliori. Nec obstat, quod aliquando substantiæ definiantur per accidentia,sicut homo, cum definitur *animal rationale* definitur per accidentia sentiendi,& discurrendi. Tales enim definitiones sunt à posteriori. Sicut enim potest pes describi per calceum, dicendo quod est, cui adaptatur talis calceus,in qua ipsa definitione apparet pedē non specificari à calceo,sed calceum specificare;sic nos,quibus pro statu huius vitæ accidentia sunt manifestiora substantiis, describimus substantias per accidentia dicendo ex.gr.*substantia hominis est, cui adaptantur operationes sentiendi,& discurrendi*,in qua ipsa definitione apparet substantiam hominis specificare tales operationes,non autem ab ipsis specificari.

Ad 6.Diuina cognitio,ac essentia propriè non specificatur,quia non est in vlla specie,vel genere, sed continet in se omnes species,& omnia genera, vt dicetur in quæstionibus de analogia entis. *Addo*, quod licet cognitio diuina non specificetur à potentia,& obiecto,adhuc est à co-

gnoſcente,& cognito, vt dictum eſt quęſt 2.ad.3:eſſe autem à cognoſcente, & cognito eſt quaſi ſpecificari, ſecluſis imperfectionibus. Demum cognitio diuina ſicut non cauſatur,ſed eſt prima cauſa,ita non ſpecificatur, ſed eſt primum ſpecificatiuum, nec eſt imago, sed primum exemplar omnium obiectorum creatorum. Neque enim cognitio diuina fit ad imitationem obiectorum creatorum, in quo conſiſtit ratio imaginis, ſed omnia obiecta creata fiunt ad imitationem diuinæ cognitionis,& eſſentiæ,continentis illa perfectè ſecundum eſſe reale, & intentionale,in quo conſiſtit ratio perfectiſſimi exemplaris.

Vtrum neceſſaria ſit aliqua diuiſio artificialis habituum, ac ſcientiarum. Quæſtio IV.

VIdetur non eſſe: 1.quia quæ ſunt diuiſa naturaliter non eſt neceſſe, vt diuidantur artificialiter;ſed actus, habitus, & ſcientiæ ſunt diuiſa naturaliter;obiecta enim diſtincta ſpecificāt actus,habitus, & ſcientias diſtinctas:ex.gr.ſicut cœlum diſtinguitur à terra,ſic ſpecificat ſcientiam de cœlo diſtinctam à ſcientia de terra:ergo non eſt neceſſaria vlla diuiſio artificialis habituum,ac ſcientiarum.

2.Na-

2. Natura non deficit in necessarijs; sed si vltra diuisionem naturalem scientiarum, & habituum esset necessaria aliqua alia diuisio artificialis, natura defecisset in necessariis; ergo non est necessaria diuisio artificialis.

Respondeo scientias, habitus, & actus secundum diuisionem naturalem esse planè innumerabiles, ac tot, quot obiecta sunt in mundo, ac etiam plures. Vnumquodque enim obiectum specie differens specificat actum specie differentem: ex. gr. quia color albus, niger, ruber specie differunt, specificant visiones albi, nigri, & rubri specie differentes: quod est proportionaliter dicendum de sonis, saporibus, & cœteris obiectis sensibilibus, immo etiam de intelligibilibus; homo enim, & equus, & alia animalia specie differentia specificant intellectiones hominis, equi, & aliorum animalium specie differentes; sed actus specie differentes relinquunt habitus, & quasi semina sui specie differentia, sicut herbæ, & plantæ specie differentes relinquunt semina specie differentia; ergo à primo ad vltimum quot in mundo sunt obiecta specie diuersa, tot in intellectu specificare possunt habitus, actus, ac scientias specie diuersas.

Addidi plures etiā posse dari in intellectu, actus & habitus specie diuersos, quam

in mundo sint species rerum. Patet primò; quia idem obiectum cognosci potest pluribus cognitionibus inadæquatis specie diuersis, vt dicetur in quęstione de pręcisione obiectiua. Patet secundo, quia sicut per commixtionem plurium seminum, vel per insitionem, in qua copulentur plures virtutes seminales, producuntur flores, fructus, arbores, & animalia specie diuersa; eo pacto, quo ex cane, & lupo nascitur lycisca; ex insitione prunicum ceraso fit prunocerasus; sic intellectus, & imaginatio vniendo plures species, ac veluti semina rerum, ac quodammodo vnam rem alteri inserendo, producunt cognitionem nouorum obiectorum, vel merè possibilium, vel etiam impossibilium: ex. gr. imaginatio vniendo speciem auri, ac speciem montis imaginatur montem aureum non existentem, sed merè possibilem; intellectus vniendo speciem hirci, ac speciē cerui concipit hircoceruū impossibilem; ergò plures generari possunt in intellectu actus, & habitus specie diuersi, quam in mundo sint res specie diuersæ.

Ex quo apparet mirabilis, ac planè diuina vis intellectus producendi in se actus, & habitus, hoc est viuas imagines omnium rerum, quæ sunt in mundo, & etiam aliarum, quæ non sunt in mundo.

Cognoscendo verò omnia, intellectus quodammodo fit omnia, & trahit ad se perfectionem omnium rerum; ideoque definitur ab Aristotele 3. de Anima tex. 18. *qui potest omnia fieri*: ex. gr. cognoscendo equum trahit ad se perfectionem equi, immo multo maiorem, cum melius sit equum intelligere, quam esse equum; cognoscendo cœlum trahit ad se perfectionem cœli. Mirabilis est etiam vis voluntatis, qua amando omnia bona præsertim honestà, fit bona omni bonitate. Hinc est, vt homo præcipuè per intellectum sit microcosmus, hoc est paruus mundus, quia quot species rerum sunt in mundo, tot possunt poni intentionaliter in intellectu; est etiam imago Dei, quia sicut Deus est pelagus omnis entitatis, ac perfectionis, in quo primo est omnis entitas, & perfectio: sic intellectus est pelagus secundariũ, in quod à Deo confluunt omnes perfectiones obiectorum, & rerum.

Verum ex hoc ipso, quod secundum diuisionem naturalem habitus, ac scientiç sint innumerabiles, ac producantur sine vllo ordine, prout obiectá casualiter occurrunt intellectui sequitur necessariam esse aliquam diuisionem artificialem, qua redigantur in ordinem. Multitudo enim inordinata causat confusionem, & quo maior est multitudo, eò maiorem

onfusionem causat; sed actus, scientię, & abitus specie diuersi sunt innumerabiles, & producuntur inordinatè, prout obiecta ecurrunt; ergo nisi ordinarentur, cau- arent maximam confusionem; sed vt Ari- loteles docet primo Metaph cap. 2. & ex o Sanctus Thomas in procœmio primi th. & primi metaph. munus sapientis est mnia ordinare ad confusionem tollen- lam; ergo necesse est, vt sapiens etiam in- umerabilem multitudinem obiectorum, ctuum, & habituum in certum ordinem listribuat per diuisionem aliquam artifi- cialem; pręsertim cum absurdum sit, si sa- iens, qui ponit ordinem in cœteris, in uis actibus inordinatè procedat; sed or- lo, vt Aristoteles docet, ac Sanctus Tho- mas, est *habitudo multitudinis ad vnum*: x. gr. ordo per quem multitudo militum rdinatur in vnum exercitum est, per quē inguli decem subduntur vni decurioni, inguli centum vni centurioni, singuli mil- le vni tribuni, & omnes vni imperatori; ergo vt ponatur ordo in obiectis, actibus, & habitibus, multitudo plurium obiecto- rum debet reduci ad vnum obiectum. Diuisio ergo artificialis, quam dicimus, esse necessariam, est distributio obiecto- rum contemplabilium in aliquas classes, cum reductione plurium ad vnum, ad quod cętera certo modo se habeant, alia pro-

propinquius, alia remotius. Sicut enim in exercitu datur imperator, ad quem reducuntur omnes milites; propinquissimè ad imperatorem se habent tribuni, quibus imperator præcipit immediatè; post tribunos sequuntur centuriones, quibus præcipit per tribunos; post centuriones decuriones, quibus præcipit per centuriones; & vltimo loco sunt milites gregarii; sic in scientiis debet dari aliquod primū, obiectū, ad quod omnia reducātur; deindè alia quę se habeant immediatè post primum; post quæ sequantur alia, & sic deinceps, vt magis etiam patebit ex sequentibus.

Agnouerunt prisci sapientes hanc necessitatem diuidendi scientias artificialiter, ideoque diuiserunt illas in quatuor primarias, physicam, seu naturalem, mathematicam, seu disciplinam, metaphysicam, seu transnaturalem, & logicam, seu rationalem. Physica iuxta nominis interpretationem proponit sibi pro obiecto contemplando ens naturale, seu mobile, & mutabile sensibiliter, in quantum est sensibiliter mobile, ideoque contemplatur cœlum, solem, sydera, in quantum mutantur secundum locum, & lucem, dum transferuntur ex vno loco in alium, & luna nunc tota illuminatur, nunc secundum partem, nunc eclipsata patitur omnimodū luminis defectum; contemplatur etiam

elemen-

elementa,& mixta ex elementis composita, in quantum generantur, & corrumpuntur,calefiunt,& frigefiunt: considerat plantas,& animalia,in quantum crescunt, & decrescunt,ægrotant,& sanantur, & aliis innumeris modis mutantur in substantia,in quãtitate,in qualitate,& loco. Sequitur verò physica in rerũ mutabiliũ consideratione ductũ sensus,per eius inductionẽ colligens principia vniuersalia,ex quibus conclusiones inferat. Mathematica eleuatur supra sensum,& motum,& proponit sibi contemplandum ens extensum quatenus extensum,abstrahendo ab hoc,quod sit sensibiliter mutabile, vel nullis sensibilibus qualitatibus affectum,& nihil curans, an sit album,vel nigrum, calidum, vel frigidum. Considerat igitur ens, in quantum si continuè extendatur in spatio, constituit magnitudinem, quę continet in se miram varietatem punctorum,linearum, angulorum,figurarum,superficierum, solidorum. Considerat idem ens,in quantum si extendatur discretè, eo pacto, quo milites disponuntur in campo, licet non constituat vnam magnitudinem,constituit vnam multitudinem continentem in se innumerabiles species numerorum parium,aut disparium, quibus competunt proprietates mirabiles. Ad hęc verò indaganda, vtitur mathematica inductione facta non

per

per sensum, sed per imaginationem, & ex ea colligit principia ad conclusiones inferendas.

Metaphysica, seù transnaturalis eleuatur supra omnem materiam, & considerat ens transnaturale, seù immateriale, & insensibile tum pręcisiuè, tum negatiuè. Considerat ens immateriale pręcisiuè, in quantum considerat rationes, quæ possunt conuenire tum entibus materialibus, tum immaterialibus, quales sunt ratio entis, substantię, viuentis, cognoscentis, boni, veri, vnius, quę conueniunt tum rebus materialibus, & sensibilibus, tum spiritualibus, & insensibilibus. Considerat ens immateriale negatiuè, in quantum considerat rationes, quę non possunt competere entibus materialibus, quales sunt ratio Dei, angeli, spiritualis &c. Vtitur autem metaphysica inductione non sensus, & imaginationis, quæ potentiæ vtpote materiales nequeunt attingere rationes immateriales, sed inductione solius intellectus. Logica, demum, seu facultas rationalis considerat ens intentionale vt intentionale, seu cognitum vt cognitum, quod proinde vocatur ens rationis logicum, & contemplatur rationes prædicati, subiecti, pręedicamenti, generis, speciei, nominis, verbi, sciti &c, colligens principia ex reflexione supra nostros actus intelligendi, qui-

bus constituimus ens intentionale.

Ad 1. Nego maiorem. Necesse est enim, vt quæ sunt diuisa naturaliter, sed sunt innumerabilia, & inordinata, diuidantur artificialiter aliqua diuisione, qua reducantur ad vnum, vt explicatum est. Confirmari potest exemplo. Loca terræ sunt diuisa naturaliter, cum singula loca specie differant ab aliis locis. Quia tamen loca secundum hanc diuisionem sunt innumerabilia, necessaria est diuisio artificialis, qua terra diuidatur in certas partes, regna, prouincias per certos limites marium, fluminũ, ac montium, cum magno fundamento in rerum naturis. Idem dicendum in casu nostro.

Ad 2. Natura non deficit in necessariis, cum dat potentiam prouidendi sibi necessaria. Ita licet homini sint necessaria vestimenta, quibus tegatur, panis, quo vescatur, natura verò non det homini immediatè vestimenta, nec panem, adhuc non defecit in necessariis, quia dedit homini intellectum, & manus, quibus possit vestimenta sibi, panem, domos, & alia artificialiter parare. Sic licet natura non fecerit diuisionem artificialem scientiarum, tamen non defecit in necessariis, quia dedit homini intellectum, quo possit scientias artificialiter diuidere. Addo Deum esse qui habet omnia à se; ergò diuinior est

modus,

modus,quo bona habemus à nobis ipsis, quam quo accipimus merè passiuè à natura. Ideo quia homo, vestimenta, & alia plura necessaria,quæ bruta accipiunt purè passiuè à natura, habet à se ipso per artem, habet modo perfectiore, ac diuiniore.

Vtrum allata diuisio scientiarum in quatuor primarias sit bona, & fundata in rerum natura.
Quæstio V.

VIdetur quod non 1. quia sufficit vnica potentia intellectiua ad intelligendum omne intelligibile;ergo sufficit vnicus habitus, & vnica scientia ad sciendum omne scibile;ergo frustra ponuntur quatuor scientię. Et confirmatur, quia omnes scientiæ reduci possunt ad vnicam scientiam,statuendo vnicum obiectum, nimirũ ens,seu verum in genere;& reliqua obiecta ad illud ordinatè reducendo:ergo frustra ponuntur quatuor scientiæ.

2. Si scientiæ debent multiplicari, tot debent poni,quot sunt in homine potentię cognoscitiuæ;diuersitas enim obiectorum,quæ sufficit ad hoc,vt natura multiplicauerit potentias cognoscitiuas, debet sufficere,vt nos imitantes naturam multipli-

tiplicemus ſcientias ; ideoque Ariſtoteles docet,quod qui caret à natiuitate vno ſenſu,ex. gr.viſu, vel auditu,caret vna ſcientia de viſibili,vel audibili;ſed in homine ſunt octo potentię cognoſcitiuæ, nimirum quinque ſenſus exteriores,ſensus communis,imaginatio,& intellectus;ergo debent poni non quatuor,ſed octo ſcientiæ.

3. In angelis, & in Deo non diſtinguuntur quatuor ſcientiæ;ergo nec in homine debent diſtingui.

4. Ad eamdem ſcientiam , ad quam ſpectat cõtemplari aliquod obiectum,ſpectat etiam cõtemplari ſpecies,& proprietates ipſius;ſed ens naturale , & ens extenſum ſunt ſpecies entis realis , quod eſt obiectum metaphyſicæ; ergo ad metaphyſicam ſpectat contemplari ens naturale , & ens extensũ,ac proinde mathematica,& phyſica non ſunt ſcientię ſpeciales , ſed sunt partes metaphyſicæ . Rurſus extenſio eſt proprietas entis naturalis ; ergo ad phyſicam,ad quam ſpectat conſideratio entis naturalis,ſpectat etiam conſideratio entis extenſi,atque adeo mathematica eſt pars phyſicę. Demum ens rationis logicum eſt proprietas intellectus ; ergo ad ſcientiam de anima, ad quam ſpectat conſideratio intellectus,ſpectat conſideratio entis rationis logici , ac proinde logica non eſt ſcientia ſpecialis, ſed pars ſcientiæ de ani-

animaꝫque est pars physicæ, vel metaphysicæ; presertim cum per idem lumen, per quod considerātur operationes intellectus ab animastica consideretur ens rationis à logica. Nam tam operationes intellectus, quam ens rationis considerantur per lumen,& cognitionem reflexam.

5. Contemplatio obiecti, quod potest inueniri extra materiam,spectat ad metaphysicam; sed numeri possunt inueniri extra materiā:de facto enim inueniuntur in angelis,in Personis diuinis, & in aliis entibus spiritualibus, ac demonstrationes arithmeticæ valent equè de numeris materialibus,ac spiritualibus; ergo contemplatio numerorum spectat ad metaphysicam,ac proindè arithmetica,quæ est scientia de numeris,est pars non mathematicæ, sed metaphysicę.

6. Aristoteles sexto metap.tex. 2. docet tres esse scientias speculatiuas, mathematicam,physicam, & metaphysicam, quæ à suo præstantissimo obiecto,quod est Deus, sumit appellationem theologiæ. Verba eius sunt: *quare tres vtique erunt speculatiuæ philosophiæ; mathematica, naturalis, ac theologia*; ergo logica non est ponenda inter scientias speculatiuas saltem primarias.

7. Ideo physica, mathematica, & metaphysica sunt diuersæ scientiæ, quia fun-

dantur in diuersis potentijs; physica nimirum in sensu, mathematica in imaginatione,& metaphysica in intellectu; sed logica non potest fundari in potentia diuersa à cœteris scientijs, ergo non est quarta scientia speculatiua.

8. Vel logica considerat omne ens intentionale,vel non; si considerat omne ens intentionale; ergo considerat etiam ens morale,quod nimirum ab actibus voluntatis constituitur licitum,vel illicitum, honestum, vel inhonestum,finis, medium, peccatum, & virtus, atque adeo moralis est pars logicæ,quod est absurdum. Si verò non considerat omne ens intentionale, eo quod non consideret ens morale; ergo moralis est quinta scientia speculatiua considerans ens morale.

9. Præter quatuor scientias enumeratas datur etiam theologia. ergo mala diuisio.

10. Est communis doctrina Aristotelis, Sancti Thomæ,& aliorum, quod ad scientiam requiritur abstractio à materia, & quod per diuersos gradus abstractionis constituuntur diuersæ scientię; sed secundum hanc diuisionem diuersę scientiæ, non constituuntur per diuersos gradus abstractionis à materia;ergo allata diuisio est mala.

Respondeo,quod omnes diuisiones factæ à sapientibus,licet fundentur in naturis

ris rerũ,habent tamen aliquid arbitrarii, & potuisset alteri fieri. Ex.gr.licet Europa sit ita à Geographis diuisa,vt Italia,Gallia, & Hispania sint tres prouinciæ, & hæc diuisio fundetur in rerum natura,quę Italiam à Gallia separauit per alpes, Galliam ab Hispania seiunxit per Pyreneos, deditque tribus his nationibus habitus corporis, inclinationes animi,indoles,genios,& mores valde diuersos; tamen potuissent iidem geographi Europam aliter diuidere,ita vt ex Italia,& Gallia ex.gr. vnicam prouinciam constituerent. Aliquando tamen contingit naturam ita res per quosdam terminos naturales discriminare, vt statim appareat quęnam diuisio sit optima, ita vt melior afferri non possit,si ductum naturæ sequi velimus, eo pacto,quo ex naturalibus limitibus patet Italiam,Galliam,& Hispaniam in vnicam prouinciam non esse confundendas. *Si* igitur ostenderimus diuisionem allatam facultatum contemplatiuarum ita esse conformem naturæ obiectorum contemplabilium,& intellectus contemplantis, vt melior afferri non possit,abundè quęstioni propositę satisfaciemus. Ostendimus autem sic.

Tot sunt ponendæ facultates contemplatiuæ primariæ,quot sunt ordines obiectorum contemplabilium, ita vt propter

maio-

maiorem eleuationem postulent diuersum modum cognoscendi continentem diuersam difficultatem, præsertim si debeat intellectus in his ordinibus contemplandis vti immediatè lumine, & auxilio diuersarum potentiarum, obiecta verò, quæ non postulant diuersum modum cognoscendi continentem diuersam difficultatem, reduci debent ad vnam scientiam; sed quatuor sunt huiusmodi ordines, quibus correspondent quatuor facultates enumeratę: ergo quatuor sunt ponendę scientiæ, & allata diuisio est optima.

Minor probatur, explicando tales ordines. Primus, & infimus est ordo rerum naturalium, seu sensibiliter mutabilium, qui primo detegitur à sensibus videntibus res mutari modis innumeris. Postulat modum contemplandi, quo per sensus accuratè res obseruemus, & varias experientias combinātes, colligamus principia; qui modus contemplandi habet specialem difficultatem, ex qua oritur, vt multi licet ad alias scientias aptissimi, quia sunt inepti ad obseruationes per sensum faciendas, sint inepti ad physicam. Vtitur intellectus in rebus physicis contemplandis præsertim auxilio sensus communis, qui cum sit vnicus percipit omnes mutationes sensibiles, & earum memoriam retinet. Hic ordo fundat, ac specificat physicam. Se-

Secundus, & eleuatior est ordo entis extensi continuè, vel discretè. Detegitur præsertim ab imaginatione, quæ in ente extenso continuè, ac faciente magnitudinem, deprehendit innumeras species figurarum, linearum, angulorum, quas sensus nunquam percepit; in ente verò extenso discretè, ita vt constituat multitudinem, deprehendit innumeras species numerorum. Postulat modum contemplandi, quo per imaginationem varias figuras, ac numeros fingentes, atque intuentes vt præsentes, de his discurramus; qui modus cognoscendi continet specialem difficultatem, ex qua oritur, vt qui sunt debilis imaginationis sint parum apti ad mathematicam; è conuerso qui viuidam habent imaginationem, plerumque sint valde apti ad mathematicam. Vtitur intellectus in contemplatione entis extensi præsertim auxilio imaginationis. *Hic* verò ordo rerum fundat mathematicam.

Tertius ordo sublimior est ordo entis realis immaterialis pręcisiuè, vel negatiuè, qui primo detegitur ab intellectu eleuante se supra omnia sensibilia, & imaginabilia. Fundat modum cognoscendi, quo intellectus contemplatur obiecta eleuans se supra sensum, & imaginationem; qui continet specialem difficultatem, ex qua oritur, vt multi, qui sunt nimis addicti sensibus

ſibus, & imaginationi, percipere nequeant res metaphyſicas; alii è conuerſo, qui habent intellectum benè diſpoſitum, ſint aptiſſimi ad metaphyſicam, licet parum apti ſint ad phyſicam, & mathematicam. Vtitur intellectus in ente immateriali contemplando lumine ſuo directo. Hic ordo fundat metaphyſicam.

Quartus ordo eſt intentionalis, qui eſt eleuatior, quia prædicata intentionalia cogniti conueniunt non ſolum enti, ſed etiam non enti, cum etiam non ens cognoſcatur. Fundat modum cognoſcendi, quo intellectus percipit obiecta non directè in ſe ipſis, ſed reflexè, & in cognitione; qui modus cognoſcendi continet ſpecialem difficultatem, ex qua oritur, vt multi, qui habent magnam facilitatem contemplandi res ſecundum prędicata realia, & metaphyſica, maximam experiantur difficultatem in iiſdem contemplandis ſecundum prędicata intentionalia, ac logica. Non vtitur intellectus in contemplatione entis intentionalis lumine potentię realiter, ſed ſolum virtualiter diſtinctę, vt dicetur in reſponſione ad ſeptimum. Hic ordo fundat logicam. Conſtat igitur hanc diuiſionem eſſe maximè conformem naturis obiectorum contemplabilium, & eleuationum, & intellectus obiecta contemplantis cum diuerſa difficultate, atque

adeo

adeo esse optimam, vt melius patebit ex solutione argumentorum.

Confirmatur, nam natura ad diuersas difficultates superandas ponit plures habitus, & cum voluntati proponuntur plura obiecta formalia honesta continentia diuersas difficultates, multiplicantur virtutes morales; ergo dum diuidimus scientias per obiecta eleuatiora, & eleuatiora habentia diuersam difficultatem, imitamur naturam.

Ad 1. Argumentum ex eo, quod sufficit vna potentia intellectiua ad intelligendum omne intelligibile; ergo sufficit vnica scientia ad sciendum omne scibile, est simile his: sufficit vnica tabula ad hoc, vt recipiat innumeras imagines rerum plurimarum: ergo sufficit vnica imago ad hoc, vt exprimat innumerabiles res: sufficit vnica papyrus, vt recipiat omnes characteres; ergo sufficit vnicus character: in quibus conclusio nullatenus sequitur. Intellectus enim est vna potentia, quę potest fieri omnia, recipiendo imagines omnium rerum, tum actuales, quæ cito transeunt, ac delentur, tum habituales, quæ permanent, adeoque est veluti tabula, ac papyrus viua, in qua possunt describi characteres, & imagines omnium rerum; ergo ex eo, quod intellectus sit vnicus, non sequitur, quod sufficiat vnica imago, sed

quod requirãtur tot imagines,ac ſcientię, quot obiecta ſpecie diuerſa deſcribuntur in intellectu. Hinc verò poteſt ex Ariſtotele intelligi differentia inter intellectum, qui neſcit aliquod obiectum, ex. gr. demonſtrationem eclipſis; intellectũ, qui ſcit habitualiter,ſed de illo noncogitat;& intellectum,qui scit,& cogitat. Intellectus, qui neſcit,eſt ſicut tabula, in qua aliquod obiectum non eſt deſcriptum, poteſt tamen deſcribi; ideo talis intellectus ſcit ſolum potentia, actu neſcit. Intellectus, qui ſcit habitualiter,eſt ſicut tabula, in qua obiectum eſt depictum, ſed nemo cõtemplatur;ideoque ſcit habitu, & in actu primo,non autem in actu ſecundo. Demũ intellectus,qui ſcit,& cogitat, eſt ſicut tabula,in qua obiectum eſt depictũ,&aliquis contemplatur. Ad confirmationem ex eo, quod omnes ſcientiæ poſſent reduci ad vnicam,quæ contempletur ens, ſeu verum in vniuerſali: reſpondeo non poſſẽ connaturaliter reduci ad vnicam,cum plures ſint ordines rerum,vt explicatum eſt.

Ad 2. Diſtinguo minorem; tot debent poni ſcientię,quot ſunt potentiæ, quarum auxilio intellectus vtitur immediatè in contemplatione obiectorum ſcibilium concedo;quarum auxilio non vtitur immediatè,nego.Intellectus in contemplatione obiectorum ſcibilium non vtitur imme-

immediatè sensationibus ipsorum, cum raro contempletur, præsentibus obiectis, sed vtitur memoria talium obiectorum, ac sensationum; sed de obiectis sensibilibus datur vnica memoria, eaque non in sensibus externis, sed in sensu interno; ergo de obiectis sensibilibus datur vnica scientia. Quod in sensibus externis non detur memoria, patet, quia omnes sensationes sensuum externorum sunt de obiectis vt præsentibus; sed memoria non est de obiecto vt præsenti; ergo in sensibus externis non datur memoria. Ex defectu memoriæ sequitur sensus externos non percipere formaliter mutationem. Ratio est, quia mutatio non potest formaliter cognosci, nisi cognoscatur rem aliter se habere nunc, ac ante; sed ly *ante* includit memoriā modi, quo res ante se habebat; ergo mutatio formaliter non potest cognosci sine memoria, ac proinde sensus externi non percipiunt formaliter mutationem. Aristoteles docens, quod deficiente vno sensu, deficit vna scientia, loquitur de scientia partiali vnius sensibilis, quæ comprehenditur in physica tamquam in scientia totali.

Ad 3. Nego consequentiam. Intellectus diuinus non habet aliam scientiam, quam theologiam. Ratio est, quia scientia cognoscens obiectum solum ex motiuo,

& obiecto formali Deitatis, seu diuinę essentię est theologia;sed Deus vtpote per suam essentiam sufficientissimus ad cognoscendum omnia cognoscibilia cognoscit vniuersa etiam creata ex vnico motiuo, & obiecto formali diuinę essentiæ; ergo Deus cognoscit omnia cognoscibilia per theologiam,atque adeo datur in Deo vnica scientia continens in se eminenter omnes scientias,eo pacto,quo diuina essentia est obiectum continens eminenter omnia obiecta. Opposito igitur modo se habent Deus, & creaturæ. Creaturę enim naturaliter cognoscunt Deum per metaphysicam,quia cognoscunt Deum per creaturas tanquam per obiectum formale, iuxta illud Pauli: *inuisibilia Dei per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur;* Deus cognoscit creaturas per theologiam, quia per motiuum formale diuinę essentię. Quo ad angelos sicut quia habent intellectum valde perfectum non indigent sensu,imaginatione,& alia potentia cognoscitiua, ita non indigent pluribus scientiis, sed omnia cognoscunt per vnicam scientiam,quę potest vocari metaphysica angelica, nec habent maiorem difficultatem ad cognoscendas veritates mathematicas, quam logicas,physicas, & metaphysicas; ex quo fundamento varias in homine scientias distinguimus. Habet autem metaphysica an-

angelica pro obiecto formali entia, in quātum relucent in angelorum essentia, in qua descripta sunt per species illis ingenitas à Deo. Ex quo patet metaphysicam angelicam esse diuersæ rationis à nostra, quia habet diuersum obiectum motiuum. Nostra enim habet pro obiecto motiuo quidditatem rei materialis, quia intellectus humanus etiam spiritualia cognoscit per similitudinem rerum materialium; at angelica habet pro obiecto formali quidditatem cuiuscumque obiecti, prout est descripta in eorum essentia.

Ad 4. Distinguo maiorem: ad eandem scientiam, ad quam spectat contemplari aliquod obiectum, spectat considerare species, & proprietates ipsius; si constituant nouum ordinem rerum postulantium diuersum modum cognoscendi, & habentem specialem dfficultatem, nego; si non constituant talem ordinem, concedo. Ens naturale, & ens extensũ, licet sint species entis realis, tamen cōstituunt nouũ ordinem rerum, habentque cęteras conditiones requisitas ad fundandam specialem scientiā; ergo non spectant ad considerationem metaphysicam, sed fundant scientias speciales, nimirum physicam, & mathematicam. Similiter extensio licet sit proprietas entis naturalis, constituit nouum ordinem rerum, ac proinde non spectat ad

phyſicam,quę eſt ſcientia de ente naturali,ſed fundat mathematicam,quę eſt ſcientia ſpecialis. Demum ens rationis, ſeu intentionale,licet ſit proprietas intellectus, conſtituit nouum ordinem rerum; ergo non ſpectat ad conſiderationem animaſticæ contemplantis intellectum, ſed fundat logicam,quę eſt ſcientia ſpecialis.

Dum vrgetur: per idem lumen, per quod animaſtica cõſiderat operationes intellectus,logica conſiderat ens rationis: tam enim operationes intellectus, quam ens rationis cognoſcuntur per reflexionem;diſtinguo illam propoſitionem; tam ens rationis, quam operationes cognoſcuntur per reflexionem in eodem ſenſu, nego;in diuerſo ſenſu,concedo. Reflexio propria,quę eſt ſpecialis modus cognoſcendi habens ſpecialem difficultatem, eſt, qua obiectum cognoſcitur vt cognitum,& non in ſe ipſo, ſed in cognitione tendente in ipſum. Hac reflexione non conſiderat animaſtica operationes. Neque enim conſiderat illas vt cognitas, ſed conſiderat directè in ſe ipſis ſecundũ prędicata realia, licet dicatur cognoſcere reflexè, in quantum omnis cognitio cognoſcens noſtros actus dicitur aliqualiter reflexa. Sed talis reflexio non eſt ſpecialis modus cognoſcendi, nec habet ſpecialem difficultatem, illa altera reflexio

flexio continet, ideoque fundat logicam, quę sit scientia specialis.

Ad 5. Distinguo maiorem: contemplatio obiecti, quod potest inueniri extra materiam, si prius debeat per imaginationem cognosci in materia, superando specialem difficultatem imaginationis, spectat ad metaphysicam, nego; si non debeat prius cognosci in materia, concedo. Licet numeri possint inueniri extra materiam, ex.gr. in personis diuinis, & angelis, tamen intellectus humanus vt veniat in cognitionem numerorum, debet prius imaginari numerum in rebus materialibus, & cognoscere principia, & proprietates numeri materialis, superando specialem difficultatem talis imaginationis, vt constat experientia. Et confirmatur à signo. Nam qui sunt debilis imaginationis, licet sint optimi metaphysici, sunt parum capaces Arithmeticæ; ergo contemplatio numerorum spectat ad mathematicam, cuius specialis difficultas est vincenda, non autem ad metaphysicam; ac proinde arithmetica est pars mathematicæ, non metaphysicę.

Ad 6. Aristoteles diuidens scientias speculatiuas non diuidit scientias vniuersim, sed supponens famosam diuisionem Platonis, qua scientiam vniuersim diuisit in rationalem, moralem, & realem, subdi-

uidit realem in tres, physicam, mathematicam, & metaphysicam. At Sanctus Thomas nunquam Aristoteli cõtrarius scientias vniuersim diuidens etiam logicam, seu rationalem enumerat.

Ad 7. Distinguo minorem: logica non fundatur in potentia diuersa formaliter, concedo; æquiualenter, nego. Potentia reflexiua est ęquiualenter diuersa à potentia cognoscitiua directè: quod patet, nam nulla potentia cognoscitiua, vel appetitiua inferior intellectu, ac voluntate, est reflexiua supra suos actus, sed ad hanc reflexionem datur potentia superior. Ex gr. oculus percipit colorem, & lucem directè, suam visionem, & obiectum vt visum non percipit; quod valet etiam in cæteris sensibus. Ad percipienda verò reflexiuè obiecta vt sensata per sensus exteriores, hoc est vt visa, audita &c. datur sensus internus; qui pariter non reflectit supra suos actus, sed ad percipiendum reflexiuè actus sensus interni datur phantasia, seu imaginatio; ad percipiendos reflexiuè actus imaginationis, quos phantasia non percipit, datur intellectus. Et quia non potest dari processus in infinitum in potẽtiis cognoscitiuis, & necessaria est aliqua potentia perceptiua omnis veri, & appetitiua omnis boni; actus verò intellectus sunt aliquod verum, actus voluntatis sunt

aliquod bonum; ideo debent dari potentię reflexiuę supra suos actus, in quibus licet potentia cognoscendi directè, & cognoscendi reflexè non distinguantur realiter, distinguuntur ęquiualenter, atque adeo fundare possunt plures scientias: prętertim quia modus cognoscendi directus, ac reflexus habent diuersam difficultatem.

Ad 8. Sicut metaphysica considerat ens reale, non tamen secundum species entis naturalis, & extensi, quia in eorum contemplatione est specialis difficultas, vt dictum est ad quartum: sic logica considerat ens intentionale, non tamen secundum speciem entis moralis, quia in contemplatione entis moralis est specialis difficultas, atque vltra lumen reflexum requiritur lumen sensus interni, atque experientia sensibilis. Quod requiratur lumen experimentale, patet: nam actiones humanæ fiunt honestę, vel inhonestę, licitæ, vel illicitę ex circumstantijs singularibus; ergo vt intellectus sit idoneus ad iudicandum de moralitate actionum, debet esse expertus earum cum suis circunstantiis singularibus. Quod in contemplatione entis moralis inueniatur specialis difficultas, probatur: nam vt quis rectè iudicet de rebus moralibus, debet habere animum non obnubilatum passionibus: passiones enim

licet non peruertant iudicium de rebus mathematicis, ac metaphysicis, tamen peruertunt iudicium de rebus moralibus; sed in habendo animum non obnubilatum passionibus datur specialis difficultas; ergo &c. Ideo Aristoteles 1. ethic. cap. 3. docet iuuenem non esse idoneum auditorem moralis, tum quia non habet experientiam, tum quia passionibus abundat, ergo Aristoteles ad rectè iudicandum de rebus moralibus, requirit & experientiam, & animum non obnubilatum passionibus.

Si vrgeatur, quod hinc sequitur moralem esse quintam scientiam speculatiuam: primo posset concedi, dicendo, quod iuxtà famosam diuisionem Platonis scientiæ speculatiuę primariæ sunt quinque: rationalis seu logica, moralis, & tres reales. Secundo dico moralem non esse facultatem primariam, sed mixtam: hoc autem loco diuisimus solum facultates primarias. Est autem facultas mixta, quia procedit ex coniunctione duplicis luminis, reflexi, seu logici, & experimentalis, seu physici. Sicut autem pręter colores primarios, qui non generantur ex mixtione plurium colorum, dantur secundarii, qui generantur ex mixtione plurium colorũ: sic præter facultates primarias, quæ non procedunt ex coniunctione plurium luminum, dantur

dātur secundariç procedentes ex coniunctione plurium luminum, vt dicetur etiam quęst. 8.

Ad 9. Duplex est theologia, naturalis, ac supernaturalis. Prima quę contemplatur Deum per solam lumen naturę, est pars metaphysicę, & in ipsa continetur. Supernaturalis non fuit comprehendenda in diuisione scientiarum naturalium. Vt tamen aliquid de ipsa indicem: theologia supernaturalis est quę contemplatur Deum, & alia spectantia ad Deum per lumen supernaturale, & diuinum. Lumen autem diuinum est duplex. Primum est lumen fidei: secundum, & nobilius est lumen gloriæ, quod contemplatur Deum per se ipsum, & in se ipso, ita vt non habeat aliud motiuum intelligendi, & assentiendi, nisi diuinam essentiam. Per hoc lumen beati cognoscunt Deum in se ipso, & facie ad faciem, non per similitudines creatas, & cætera cognoscunt in Deo, & hoc lumen est scientia perfectissima, quę habet summam euidentiam sine vlla obscuritate. Lumen fidei est, quod contemplatur Deū per similitudines creatas, tamen ita, vt non habeat aliud motiuum assentiendi rebus reuelatis, quam veracitatem Dei reuelantis. Hoc lumen non est scientia, quia est obscurum, cum ad scientiam requiratur euidentia. Sicut ergo datur du-

plex lumen diuinum, sic datur duplex theologia supernaturalis; theologia nimirum beata, quæ est scientia perfectissima, & omnino quietans intellectum, atque adeo beatificans per cognitionem primę causæ continentis perfectè omnes alias causas, & per cognitionem primę veritatis continentis perfectè omnes alias veritates; & theologia fidei, quę non est scientia, cum sit obscura, nec quietat intellectum, sed excitat desiderium sciendi, & perfectè cognoscendi in patria quod credimus, & imperfectè cognoscimus in via. Pręter fidem, quæ à Sanctis Patribus vocatur theologia, datur theologia scholastica, quæ procedit ex coniunctione duplicis luminis, naturalis nimirum, ac fidei, & coniungens principiis reuelatis principia nota lumine naturæ, infert multas conclusiones. E.G. est notum per fidem, quod Christus habuit omnes proprietates hominum, excepto peccato, & peccabilitate: est notum per lumen naturæ, quod risibilitas est proprietas hominis: hinc theologia infert; *ergo Christus habuit risibilitatem*: Ex quo patet theologiam esse facultatem amplissimam, cum coniungat duplex lumen amplissimum, naturale nimirum, & supernaturale, atque ex iis desumat innumera principia ad inferendas innumeras conclusiones.

Ad 10. Explicandum, quo pacto iuxta axioma Ariſtotelis, ac Sancti Thomæ ad ſcientiã requiratur abſtractio à materia, & quomodo per diuerſos gradus abſtractionis à materia conſtituantur diuerſi gradus ſcientiarum.

Materialitas eſt multitudo recedens ab vnitate: immaterialitas eſt vnitas recedens à multitudine. Multitudo tunc maximè recedit ab vnitate, cum eſt infinita, & inordinata: cum enim ordo ſit habitudo multorum ad vnum, eo ipſo ponit in rebus aliquam vnitatem, vt patet in exercitu, in quo ponitur vnitas per ordinem ad vnum imperatorem; ergo è conuerſo multitudo per carentiam ordinis recedit ab vnitate, atque adeo fit maximè materialis. Hinc habetur, quis ſit primus gradus materialitatis, & quid ſit ipſa materia: eſt enim infinita multitudo partium actualium, vel potentialium primi ſubiecti, ſecundùm ſe præcisè non habentium ordinem. Quod verò ponit in hac multitudine vnitatem, ac ordinem eſt forma. Ex. gr. in exercitu materia eſt multitudo militum: forma eſt ordo dans vnitatem: in domo materia eſt multitudo lapidum, forma diſpoſitio, per quam ponitur in illis ordo, & vnitas: in hac tabula materia eſt multitudo partium primi ſubiecti, forma, quæ ponit in tali tabula vnitatem, &

ordi-

ordinem, eo pacto, quo vbicatio, seu forma localis ordinat partes in loco. Formę quo magis participant de vnitate, & ordine, eo minus sunt materiales. Ex. gr. quia in plantis datur maior ordo partium, quam in rebus inanimatis, formę plantarum sunt minus materiales, quam formę inanimatorum. Formæ animalium, in quibus datur maior ordo, & vnitas; vt patet quia cum læditur vna pars, per consensum dolent, & mouentur omnes partes; sunt minus materiales, quam formę plantarum. Anima rationalis quia est omninò indiuisibilis, ac partibus carens, ac potest manere extra materiam, est immaterialis. Angeli sunt magis immateriales, quam anima rationalis, quia sunt indiuisibiles, vt anima, & pręterea non debent vnquam materiæ vniri. Quia tamen in Angelis datur multiplex compositio ex essentia, & existentia; ex natura, & subsistentia; ex substantia, & accidentibus; ideo Angeli non habent summum gradum immaterialitatis, qui gradus conuenit soli Deo, vtpote omnino simplici, & carente quacunque compositione.

Iam infinita multitudo partium carens ordine non est scibilis ab humano intellectu, cum sit summe confusa; ergo materia quæ consistit in hac multitudine, non est scibilis; sed in singularibus, quæ sensibus obiiciun-

obiiciuntur, datur materialitas, hoc est in-
finita hæc multitudo; ergo singularia sen-
sibilia non sunt ab homine scibilia; ergo
vt intellectus habeat scientiam de sensi-
bilibus, & materialibus, debet abstrahere
à materialitate, hoc est ab infinita multi-
tudine partium & contemplari sensibilia
in vniuersali. Hic est ergo sensus axioma.
tis: *scientia fit per abstractionem à materia.*

Sunt autem quatuor gradus abstractio-
nis correspondentes quatuor scientiis.
Primus & infimus est physicus. Physica
enim abstrahit à materia singulari, sed
non à sensibili; cum consideret sensibilia,
& materialia vt materialia, non tamen in
singulari, sed in vniuersali, abstrahendo ab
infinita multitudine, & materialitate singu-
larium. Secundus gradus sublimior est
mathematicus. Nam abstrahit non solum
à materia singulari, sed etiam à materia
sensibili, & mutabili, & considerat solam
compositionem extensiuam, alias compo-
sitiones ex materia, & forma, ex mutato,
mutatione, tempore, in quo fit mutatio, &
partibus temporis non considerat. Ideo
obiectum mathematicę est simplicius, a-
deoque minus materiale, quam obiectum
physicæ. In mathematica obiectũ arithme-
ticę est simplicius obiecto geometriæ, quia
arithmetica considerat solam multitudi-
nem, quæ consistit in sola compositione ex
vnita-

vnitatibus; geometria considerat magnitudinem, in qua, præter multitudinem partium extensarum, datur etiam compositio in ordine ad locum. Tertius gradus abstractionis est metaphysicus, qui abstrahit ab omni materia, & considerat ens immateriale præcisiuè, vel negatiuè, vt dictum est. Quartus & vltimus est logicus, qui cōsiderat esse cogniti, quod est immaterialius, quam esse reale. Nam esse reale non consistit in ipsa eleuatione à materia; at esse cogniti consistit in hac ipsa eleuatione; cum idem sit cognosci, ac habere esse eleuatum à materia, idem sit cognosci cognitione perfectiore, & perfectiore, ac habere esse eleuatius, & eleuatius à materia. Debet tamen aduerti, quod non quicunque gradus abstractionis eleuatior sufficit ad constituendam scientiam specialem, sed illi soli gradus, qui correspondent diuersis ordinibus rerum, postulantibus diuersum modum cognoscendi, cum diuersa difficultate, quales sunt quatuor explicati. Ideo licet supra gradum metaphysicum considerantem rationes communes enti materiali, & immateriali, detur gradus considerans rationes proprias entis immaterialis, qui est eleuatior, tamen non sunt ponendæ duæ scientiæ ex ratione allata.

Vtrum

Vtrum quatuor facultatibus conuenienter assignetur obiectum attributionis, materiale, & formale. *Quæstio VI.*

VIdetur quod non conuenienter assignetur physicę quidem vt obiectum attributionis ens naturale,in quantum naturale,hoc est in quantum mutabile sensibiliter: obiectum formale ipsa materialitas,seu mutabilitas sensibilis: obiectum materiale ipsum ens mutabile sensibiliter: mathematicæ vt obiectum attributionis ens extensum,quatenus extensum:obiectũ formale ipsa extensio:materiale illud ens, quod extenditur: metaphysicæ obiectum attributionis ens reale transnaturale, in quantum transnaturale,seu potens esse extra materiam:obiectum formale ipsa immaterialitas,seu potentia essendi extra materiam: obiectum materiale illud ens, quod potest esse extra materiam: logicę obiectum attributionis ens intentionale, in quantum intentionale, seu ens rationis logicum:obiectum formale esse intentionale:obiectum materiale illud,quod habet esse intentionale: 1. quia obiectum attributionis debet constitui ex obiecto materiali,& formali,quæ realiter distinguantur; sed

ſed ens naturale nõ conſtituitur ex obiecto materiali, & formali realiter diſtinctis: nam mutabilitas entium naturalium non diſtinguitur ab ipſis entibus naturalibus, ex. gr. mutabilitas equi non diſtinguitur ab equo; ſimiliter ens tranſnaturale, ſeu potens eſſe extra materiam non diſtinguitur à potentia eſſendi extra materiam; ergo inconuenienter phyſicæ & metaphyſicæ aſſignantur obiecta.

2. Aſſignatio, qua obiectum aſſignatur ſub genere proximo, & vniuoco, eſt melior aſſignatione, qua aſſignatur ſub genere non vniuoco; ſed aſſignando obiectum phyſicæ ſub his terminis: *corpus naturale* aſſignatur ſub genere proximo; aſſignando ſub iſtis aliis terminis *ens naturale*, aſſignatur sub genere remoto, & non vniuoco, cum ens ſit genus remotum, & non vniuocum; ergo conuenientius aſſignatur obiectum phyſicæ ſub his terminis *corpus naturale*. Eodem argumento probatur quod mathematicę conuenientius aſſignatur obiectum ſub his terminis; *corpus extenſum*, quam ſub iſtis: *ens extenſum*.

3. Vel dum dicitur, quod ens naturale eſt obiectum attributionis in phyſica, intelligitur, quod obiectum attributionis ſit ens naturale, in quantum eſt ratio communis ſubſtantiæ, & accidenti, ita vt etiam accidentia ſint obiecta attributionis partialia,

tialia; & contra est, quia est innaturale, quod accidentia, quę merè sunt entis ens, & habent totum suum esse in ordine ad substantiam, considerentur per se, & non in ordine ad substantiam: vel intelligitur quod obiectum physicæ sit ens naturale, in quantum ens naturale est sola substantia, ita vt accidentia sint merè obiecta attributa; & contra est, tum quia accidentia habent cognoscibilitatem gratia sui; ergo considerantur gratia sui, & non merè in ordine ad substantiam: tum quia illud, quo non cognito, & cognitis aliis perfectè, adhuc scientia non esset contenta, est obiectum consideratum gratia sui, atque adeo non merè attributum; sed physica cognitis perfectè substantiis, & nō cognitis accidentibus, non esset contenta; ergo accidentia cōsiderātur gratia sui, & vt partialia obiecta attributionis.

4. Ens rationis cum realiter non existat, nec possit existere, non potest fundare, causare, & specificare scientiam realiter existentem; sed logica est scientia realiter existens; ergo non potest habere ens rationis pro obiecto, à quo specificetur. Et confirmatur, quia cum esse intentionale cogniti sit tenuissimum, & imperfectissimum, non meretur scientiam specialem; ergo non datur logica, quæ sit quarta scientia specialis primaria.

Re-

Respondeo, quod sicut diuisio scientiarum vtpote artificialis habet aliquid arbitrarii, & potuisset aliter fieri, vt dictum est quæstione 5. sic assignatio obiectorum habet aliquid arbitrarii, & possent aliter assignari. Rursus sicut datur aliqua diuisio artificialis, quam statim apparet esse optimam, & maximè conformem naturis rerum; sic datur aliqua assignatio obiectorum, quam statim apparet esse optimam, & maximè conformem naturis scientiarum. Dicendum igitur allatam assignationem obiectorum esse maximè conformem naturę, & diuisioni quatuor facultatum primariarũ, adeoque optimam. Probatur ex ipsa definitione obiecti attributionis, obiecti materialis, & formalis. Obiectum attributionis est *obiectum saltem genere vnũ, quod connaturaliter primo proponitur scientiæ, ad quod cætera ordinatim reducuntur, alia proprinquius, alia remotius*: ea verò, quę quomodocumque considerantur in ordine ad obiectum attributionis, vocantur obiecta communitatis. Est igitur obiectum attributionis in scientia sicut imperator in exercitu. Nam sicut imperator est vnus, & primus, ad quem cæteri ordinatè reducuntur, & est principium totius ordinis, qui est in exercitu: sic obiectum attributionis est vnum, & primum in scientia, ad quod cætera ordinatè reducuntur, et

et eſt principium totius ordinis,qui eſt in ſcientia. In obiecto attributionis diſtinguitur duplex ratio,ſeu duplex obiectum, materiale,& formale. Obiectum formale eſt illa ratio, quę primo connaturaliter mouet ad contemplationem obiecti attributionis: obiectum materiale ſunt, quæ conſiderantur ratione obiecti formalis. Sicut enim quia marmor conſtituitur ſtatua ratione figuræ,marmor eſt materia ſtatuę,figura eſt forma; ſic quia in obiecto attributionis ab vna ratione mouemur ad conſiderandam aliam,illa ratio, quam conſideramus propter aliam, eſt veluti materia, & obiectum materiale; illa, ratione cuius contemplamur, eſt veluti forma, & obiectum formale.

Sed ens naturale eſt obiectum vnum genere,& eſt primum,quod cōnaturaliter proponitur phyſicæ; ſcientia enim naturalis quid aliud ſibi primo contemplandum proponat,quam ens natúrale,ſeu mobile, & mutabile ſenſibiliter, omnia conſiderādo in ordine ad illud,& contemplando principia,cauſas,proprietates, ſpecies, & mutationes entis naturalis; ergo ens naturale eſt obiectum attributionis in phyſica. Et quia id,quod excitat curioſitatem ad contemplandum ens naturale, eſt mutabilitas ipſius: homines enim videntes per ſenſum, & experientiam omnia cor-

pora ſenſibiliter moueri ſecundum locum; ſecundum qualitatem, dum calefiunt, & frigefiunt; ſecundum quantitatem, dum creſcunt, & decreſcunt; ſecundum ſubſtantiam, dum naſcuntur, & intereunt; aerem ex ſereno fieri pluuium, ex pluuio ſerenum; poſt æſtatem ſequi autumnum, deinde hyemem, ac ver, ac rurſus æſtatem, & vniuerſa ſubiecta eſſe mutationibus innumeris, cœperunt admirari, & ens mutabile propoſuerunt ſibi contemplandum; ergo mutabilitas eſt obiectum formale phyſicę, ens verò mobile obiectum materiale.

Similiter ens extenſum eſt vnum genere, & eſt primum, quod cõnaturaliter proponitur mathematicæ. Scientia enim, quæ eleuat ſe ſupra ſenſum, & motum, quid aliud ſibi connaturaliter proponat contemplandum, quam ens diſcretè extenſum in numeros, continuè verò in magnitudines, contemplando in ordine ad illud ſpecies, proprietates, & paſſiones numerorum, puncta, lineas, ſuperficies, figuras, angulos, ſolida contenta in magnitudinibus, eorũ proprietates, & proportiones. Et quia in ente extenſo ipſa extenſio, ex qua reſultat incredibilis varietas numerorum, figurarum, linearum, & angulorum, mouet ad contemplandum, ideo extenſio eſt obiectum formale, ens verò extenſum obiectum materiale.

Rurſus

Rursus ens reale transnaturale est vnũ genere, & metaphysica,quę eleuat se supra materialia sensibilia, & imaginabilia ad considerandum immaterialia, & insensibilia,hoc est quę possunt esse extra materiam,connaturaliter sibi proponit contemplandum ens reale, in quantum potest etiam inueniri extra materiam, considerando in ordine ad illud rationes communes enti materiali,& immateriali, quæ dicuntur immateriales pręcisiuè,quales sunt ratio entis,substantię viuentis &c. et præterea ipsa entia immaterialia, nimirum Deum, angelos. Et quia ipsa ratio transnaturalis, seu potentis esse extra materiam est id,quod primo mouet intellectum ad hoc,vt eleuando se supra sensum, & motum contempletur transnaturalia, ideo transnaturalitas,seu potentia essendi extra materiam est obiectum formale metaphysicæ,ens verò transnaturale est obiectum materiale.

Denique ens intentionale suam habet vnitatem, & connaturale fuit, vt homines reflectentes supra suos actus, & aduertentes,quod dant obiectis esse intentionale cogniti,prædicati subiecti,generis speciei, clari,obscuri,noti, ignoti, principii, conclusionis,proposuerint sibi contemplandũ ens intentionale, cætera considerando in ordine ad illud. Nam res considerantur

non

non ſecundum prędicata realia,ſed ſecundum intentionalia prędicamenti , prędicabilis , vniuerſalis,generis, ſpeciei &c; operationes etiam intellectus conſiderantur,non in quantum ſunt actus vitales,ſpirituales &c, ſed ſolum in quantum dant rebus eſſe cogniti,prædicati &c; ergo ens intentionale eſt obiectum attributionis in logica. Et quia ipſum eſſe intentionale primo mouet ad contemplandum,ideo eſſe intentionale eſt obiectum formale,ens intentionale eſt obiectum materiale.

Confirmatur concluſio,nam obiecta , debent ita ſcientiis primariis aſſignari, vt comprehendant omne ſcibile , explicent ordinem ſcientiarum primariarũ inter ſe, & correſpondeant nominibus ſcientiarũ, & rerũ;ſed hæc omnia verificãtur in facta aſsignatione: nã ens reale, & intentionale manifeſtè comprehendunt omne ſcibile ; explicatur optimè ordo quatuor ſcientiarum,& quo pacto ſcientiæ eleuentur ordinatim ad contemplandum obiectum eleuatius , & abſtractius à materia : correſpondent etiam hæc obiecta nominibus ſcientiarum:nam phyſicę,ſeu naturali correſpondet ens naturale ; metaphyſicę, ſeu tranſnaturali correſpondet ens tranſnaturale: logicę,ſeu rationali correſpondet ens intentionale , quod vocatur etiam ens rationis logicum;ergo &c. Sola mathema-

thematica,quę habet nomen genericum disciplinæ, habet obiectum non specialiter correspondens nomini; ergo optima est allata assignatio.

Ad 1. Obiectum attributionis debet quidem constitui ex obiecto materiali, & formali;sed nihil refert ad obiectum formale facultatum speculatiuarum,quod distinguatur realiter,vel solum formaliter, & per præcisionem intellectus ab obiecto materiali. Sicut enim intellectus per operationem pręcisiuam in ente mutabili distinguit mutabilitatem ab eo, quod est mutabile;ita mouetur ad contemplandum à mutabilitate cognita præcisiuè, & per hoc mutabilitas constituitur obiectum formale, ens mutabile constituitur obiectum materiale. Debet autem vitari ęquiuocatio. Aliud enim est,quod aliqua ratio, quæ realiter inuenitur in obiecto, constituatur obiectum formale per operationem præcisiuam intellectus: aliud, quod operatio intellectus sit obiectum formale: primum enim est verum, secundum falsũ; & in casu nostro mutabilitas cõstituitur obiectũ formale per operationem præcisiuam,& tamen non operatio præcisiua, sed mutabilitas pręcisa est obiectum formale.

Ad 2. Aliqui fusissime disputant,vtrum obiectum physicæ debeat assignari sub his terminis,*ens naturale*: an sub istis, *corpus*

naturale. Sed quæstio est parui momenti, & videtur præhabenda sententia Sancti Thomæ, quod debeat assignari sub his terminis, *ens naturale*. Ratio est, quia obiectum physicę debet assignari sub tali ratione, sub qua sit statim manifestum, quod comprehendat omnia entia naturalia; sed statim est manifestum, quod ens mutabile comprehendat omnia entia naturalia, seu sensibiliter mobilia; non est statim manifestum, quod corpus mutabile comprehendat omnia entia naturalia: posset enim aliquis primo aspectu dubitare, an detur aliquod ens mutabile, quod non sit corpus, licet deinde demonstretur in physica, quod omne ens mutabile sensibiliter est corpus, & quod omne corpus est mutabile sensibiliter; ergo obiectum physicæ debet assignari sub his terminis *ens mutabile, seu naturale*. Adde, quod sicut quatuor scientiæ conueniunt in ratione scientię, differunt deinde in suis differentiis, ita quatuor scientiis debent obiecta ita assignari, vt exprimatur ratio entis, in qua conueniunt, & ratio naturalis, extensi &c, in quibus differũt: quod non cõtingeret, si physicę assignaretur obiectum sub ratione corporis. Hinc verò respondetur ad argumentum oppositum. Obiectum melius assignatur sub genere proximo, & vniuoco, quam sub remoto, & non vniuoco, di-

distinguo; si datur aliquod genus proximum, & vniuocum, in quo conueniant obiecta quatuor scientiarum, concedo; si non datur, nego. Obiecta quatuor scientiarum conueniunt solũ in ratione entis; ergo cum debeant obiecta ita assignari, vt exprimatur ratio, in qua conueniunt, debent assignari sub ratione entis. Addo, quod si assignetur *corpus naturale*, corpus non est genus naturalis, sed ratio conuertibilis cum naturali; ergo non exprimitur genus, & differentia obiecti, quæ debent exprimi. Noto etiam, quod ens naturale est genus vniuocum respectu omnium entium naturalium; ergo physicę assignatur obiectum vniuocè vnum: licet hoc non sit necessarium ad scientiam, sed sufficiat, vt habeat obiectum vnum analogicè, vt Aristoteles docet.

Ad 3. Licet aliqui censeant obiectum attributionis in physica esse ens naturale, in quantum comprehendit tum substantiam, tum accidentia, existimo obiectum attributionis esse ens naturale, in quantum comprehendit solas substantias completas, ex.gr. hominem, leonem, equum &c; substaantias incompletas, vt materiam, & formam, manum, & pedem &c, ac similiter accidentia esse obiecta merè attributa. Ratio est, quia obiectum attributionis est illud, quod physica primo sibi

proponit contemplandum iuxta naturalem modum intellectus humani: at intellectus humanus iuxta naturalem modum contemplandi sensibilia proponit sibi primo substantias completas, illarum verò partes, & accidentia considerat in ordine ad substantias completas. Cum enim aliquis videt figuram, aut motum alicuius rei, non sistit in contemplatione figuræ, ac motus, sed statim quærit, *quid est id, quod mouetur, & ita est figuratum*; cum videt hominis manum, quærit *quis est hic, cuius est hæc manus*, ac inde motum, figuram, & partes considerat in ordine ad illud, cuius sunt; eo pacto quo cum quis videt famulos, & aulicos, statim quærit quis sit ille princeps, quem comitantur, famulos verò, & aulicos considerat in ordine ad principem; ergo obiectum attributionis, quod sibi primo contemplandum proponit physica, est substantia completa naturalis; accidentia verò, & substantiæ partiales considerantur in ordine ad substantiam completam. Accidentia igitur respectu intellectus sunt sicut diaphanum, ex. gr. chrystallus, aut vitrum respectu visus. Sicut enim proposita chrystallo, visio non sistit in illa, sed progreditur ad aliud obiectum nō diaphanum, seu transparens, sed opacum, in quo sistit, & ad quod terminatur; sic cum intellectui proponitur

accidens, non sistit in illo, sed progreditur ad substantiam, quam primo, & per se contemplatur: ideoque S. Thomas docet obiectum intellectus humani, in quo nimirum sistit, non esse accidens, sed substantiam, seu quidditatem rei materialis. Solæ ergo substantiæ completę sunt obiecta attributionis, ita vt substantia completa *vt sic* sit obiectum attributionis adæquatum, substantię completę particulares, de quibus prædicatur substantia naturalis *vt sic*, ex. gr. plantę, animalia, elementa, cæli &c. sint obiecta attributionis partialia, substantiæ partiales, accidentia, & reliqua, de quibus non prædicatur substantia naturalis *vt sic*, sint obiecta merè attributa.

Hinc ad ea, quę opponebantur in contrarium. Accidentia habent cognoscibilitatem expetibilem gratia sui, ita vt intellectus connaturaliter in illis sistat tanquã in obiecto fundamentali, nego: ita vt non sistat in illis, sed consideret in ordine ad substantiam, tanquam ad obiectum fundamentale, concedo; & nego consequentiam. Similiter dum opponitur: physica cognita perfectè substantia, & non cognitis accidentibus, non esset contenta; ergo considerat accidentia per se, & vt obiecta attributionis; nego suppositum. Supponitur enim, quod posit perfectè cognosci substantia, non cognitis acccidentibus,

 quod

quod est apertè falsum, cum ad perfectam cognitionem substantię requiratur, vt cognoscantur accidentia ad ipsam spectantia. Si vrgeatur: si per impossibile physica cognosceret perfectè substantiam, & non cognosceret accidentia, non esset contenta; ergo &c. distinguo, non esset contenta, & simul esset contenta, concedo; solum non esset contenta, nego. Ex vna parte esset contenta, quia cognosceret perfectè substantiam: ex alia parte non esset contenta, quia eo ipso, quod non cognosceret accidentia, non cognosceret perfectè substantiam. Non est autem nouum, quod ex suppositione impossibili sequatur vtraque pars contradictionis.

Ad 4. Ens rationis metaphysicum, hoc est impossibile non potest specificare, & causare scientiam realiter existentem, adeoque scientia de impossibili specificatur ab ente reali, quod mouet ad cognitionem sui, & impossibilis, vt dictum est quęstione 2. ad 2.: at ens rationis logicum, nimirum cognitum realiter existit: non minus enim obiecta à parte rei sunt cognita, quam sint alba, & esse cogniti non minus datur, quam esse albi; ergo ens rationis logicum, vtpote realiter existens, adhuc potest causare, & specificare scientiam.

Dum vrgetur: quia ens intentionale cogni-

cogniti est tenuissimum, & vilissimum, ideoque indignum scientia speciali: respondeo esse cogniti non esse ita imperfectum, sicut quibusdam videtur. Primo enim est esse, quod omnia appetunt, vt dictum est quæstione 2. ad 2. Secundo esse reale, & substantiale, quod simul non sit esse cogniti, eo ipso est imperfectum, & è conuerso esse substantiale, quod simul sit cogniti, est infinitè perfectum. Ideo esse angeli, & cuiuscumque substantiæ creatæ est imperfectum, quia non dat esse cogniti neque angelo, neque alteri rei, cum nulla substantia creata possit esse cognitio. At substantia diuina est infinitè perfecta, quia cũ sit sua cognitio, vt demonstrat Aristoteles 12. metaph. dat esse cogniti Deo, & omnibus aliis cognoscibilibus. Tertio omne esse reale creatum est posterius esse cogniti, & ab eo causatur, & specificatur tanquam ab adæquata causa, & specificatiuo. Primum enim esse cuiuscumque creaturæ est esse cogniti, quod habet in mente diuina, & dum creatura à parte rei producitur, accipit esse reale causatum, & specificatum ab esse cogniti, quod erat in mente diuina. Demum etiam in arte humana artificiata causantur ab esse cogniti, per quod sunt in mente artificis. Qui enim facit statuam imitatur statuam idealem, quam habet in mente Non

est igitur esse intentionale ita imperfe-ctum,vt non possit fundare scientiam specialem.

Vtrum quatuor scientiæ habeant inter se aliquem ordinem. Quæstio VII.

PRimo videtur,quod inter scientias nõ detur ex natura rei ordo inuentionis,aut doctrinæ,nisi forte per accidens. Si enim vna scientia inuenta fuit prius quam alia,id accidit merè casualiter, cum æquè connaturaliter potuisset illa, quæ est inuenta posterius,inueniri prius. Similiter æquè bene potest mathematica addisci ante, vel potest logicam, & physicam,atque adeo non datur ex natura rei ordo doctrinę.

2. Videtur quod neque detur ordo dignitatis, vel saltem nòn possit determinari. Sectatores enim vniuscuiusque scientiæ pręferunt eam tanquam digniorem cęteris.

3. Videtur,quod neque detur ordo certitudinis. Certitudo enim consistit in indiuisibili,& non suscipit magis, & minus. Eo enim ipso,quod vna scientia esset altera certior,minus certa haberet aliquam incertitudinem,atque adeo non esset sciẽtia,cum scientiæ repugnet omnis incertitudo. Re-

Respondeo, quod vltra ordinem abstractionis, de quo egimus quæstione 5. ad 10. possunt considerari quatuor alii ordines, nimirum inuentionis, doctrinę, dignitatis, & certitudinis.

Secundum ordinem inuentionis primo inuenta fuit physica: secundo mathematica: tertio metaphysica: quarto logica. Nec id accidit omnino casualiter, sed connaturaliter, ita vt si oppositum accidisset, accidisset casu, & pręter naturam. Ratio est, quia cum occurrant sensibus sensibilia, quæ innumeris modis mutantur, ita vt diei succedat nox, & nocti dies, hyemi ver &c. aeri sereno succedat nubilus, in quo fiunt pluuię, tonitrua, fulmina, nubilo rursus succedat serenus &c. connaturale fuit, vt homines ab hac sensibili mutabilitate excitati fuerint in admirationem, & curiositatem contemplandi ens sensibiliter mutabile; & sic primo inuenta est physica. Deinde connaturale fuit, vt non sistentes in contemplatione corporum, sed eleuantes se supra sensum, & motum, atque imaginationem figentes in extensionem, & in ea deprehendentes incredibilem varietatem numerorum, figurarũ &c, excitata fuerit curiositas ad contemplandum ens extensum, & sic secundo inuenta sit mathematica. Tardius inuenta est metaphysica. Eius enim obiectum non

conſtat dari per ſenſum, & imaginationẽ, ſicut conſtat dari immediatè per ſenſum, & imaginationem ens mutabile,& extenſum,ſed per ſolum diſcurſum. Obiectum ſiquidem metaphyſicę eſt ens potens eſſe extra materiam. Quod autem pręter entia materialia detur aliquod ens immateriale,ac potens eſſe extra materiam, demonſtrari debet à phyſica ex rebus ſenſibilibus; ergo ſerius homines aduertentes pręter entia materialia dari aliqua immaterialia, excitati fuerunt ad ea contemplanda, & inuenerunt metaphyſicam. Vltimo loco inuenta fuit logica. Nam homines inuentis ſcientiis realibus, connaturaliter cœperunt reflectere ſupra ſuos actus,& aduertentes,quod tribuant obiectis eſſe intentionale, excitati fuerunt ad id contemplandum, & ſic inuenerunt logicam.

Quoad ordinem doctrinę primo tradenda eſt logica. Cognitio enim reflexa dirigit directam. Nam ſicut conſiderando ſaltus,aduertimus quandonam bene, quando malè ſaltemus,& ſic dirigimur ad ſaltandum;ita conſiderando res vt cognitas,aduertimus quandonam benè, quando malè cognoſcantur,& ſic dirigimur ad cognoſcẽdum;ergo logica vtpotè reflexiua habet vim dirigendi alias ſcientias, adeoque debet illis pręmitti. Secundo tra-

tradenda est mathematica. Nam mathematica pura ex vna parte non supponit physicam: ex alia parte principia mathematica possunt intelligi per lumen imaginationis, nec pendent ab experientia sensuum, quæ requirit longum tempus; ergo statim post logicam tradenda est mathematica; præsertim cum conlusiones mathematicæ demonstrentur clarissimè, nec contra illas proponantur difficultates, & sophismata, quorum solutio est valde implicata. Tertio tradenda est physica, quæ fundatur in inductione experimentali requirente longum tempus. Vltimo tradenda est metaphysica, quippe cuius obiectum non est per se notum, sed demonstrandum à physica, vt Aristoteles docet. Adde quod secundum naturalem modum intelligendi à sensibilibus ascendimus ad insensibilia; ergo est connaturale, vt post considerationem sensibilium per physicā, ascendamus ad consideranda insensibilia per metaphysicam. Hic tamen ordo debet seruari per se: per accidens enim poterit alius ordo seruari. Ideo quia hac ętate iuuenes optant cito à studiis expediri, receptus est mos, vt post logicam tradatur simul physica, & mathematica, quæstiones vero metaphysicæ logicis, ac physicis admisceantur iuxta opportunitatem, & connexionem materiarum.

Quoad ordinem dignitatis præstantissima scientiarum est metaphysica, quia contemplatur ens immateriale, quod est præstantissimum, & maximè scibile; & præsertim quia contemplatur Deum continentem in se cum infinito excessu perfectionem omnium obiectorum, ad cuius contemplationem, vtpote contemplationem optimi, & pulcherrimi, adeoque delectabilissimam, intellectus summo impetu fertur. Secundum locum tenet physica, cum contempletur entia valde perfecta, cœlum nimirum, elementa, plantas, animalia, hominem, quæ multo magis delectant, & alliciunt curiositatem, quam numeri, & magnitudines, quas mathematica contemplatur. Physica ergo propter nobilitatem obiecti simpliciter est nobilior mathematica, licet à mathematica vincatur in certitudine, & in multitudine conclusionum demonstratarum. Tertiũ locum tenet mathematica. Quartum logica, cum ens intentionale sit tenuè, nec valde curiositatem alliciat.

Quoad ordinem certitudinis, logica speculatiua quoad aliquas conclusiones habet summam certitudinem, ita vt nulla scientia possit habere certitudinem maiorem circa vllam conclusionem. Demonstrat enim logica syllogismum concludere; sed quęcunque veritas demonstrabilis à scien-

à scientia demonstratur per syllogismum; ergo implicat, quod de tali veritate habeatur certitudo maior, quam de hoc, quod syllogismus concludat. Nititur verò logica principiis certissimis, quæ sunt, *dictum de omni, & dictum de nullo.* Post logicam, in quantum demonstrat formam syllogisticam, summa certitudo est in metaphysica. Principia enim nota per immediatum lumen intellectus, qualia sunt metaphysica, sunt euidentiora illis, quę indigent lumine imaginationis, aut sensus, qualia sunt mathematica, & physica: nam ex minori euidentia oritur, quod intellectus iuuari debet imaginatione, vel sensu. Mathematica tamen habet certitudinem extensiuè maioré, quã metaphysica, quia demonstrat plures conclusiones. Physica habet certitudinem minorem, quam mathematica, quia principia nota per sensum sunt minus euidentia, quam nota per imaginationem. Nam quod intellectus ad ea intelligenda indigeat etiam sensu oritur ex defectu euidentiæ in ipsis.

Ad 1. Patet ex dictis.

Ad 2. Sicut in regno vnusquisque litigans iudicat rationem esse pro sua causa, & tamen standum est sententię supremi iudicis, ex. gr. regis, licet iudicet in fauorem causę propriæ: sic in controuersia dignitatis scientiarum standum est iudi-

cio metaphyficæ,quæ eſt ſcientia ſuprema licet adiudicet ſibi principatum.

Ad 3. Ex eo,quod vna ſcientia ſit certior,non ſequitur, quod minus certa habeat aliquam incertitudinem, ſed ſolum, quod careat maiori certitudine, & firmiori adheſione ad obiectum, licet nihil de ipſo dubitet: incertitudo verò non conſiſtit in mera carentia certitudinis maioris, ſed in aliqua dubitatione de obiecto.

Vtrum omnes ſcientiæ ſpeculatiuæ, & facultates practicæ ſubordinentur quatuor primarijs. Quæſtio VIII.

VIdetur quod non 1. quia ſi omnes reliquę ſcientię,& artes ſubordinarentur primis quatuor,omnes eſſent facultates ſubalternatę,cum ſubalternari idem ſit ac ſubordinari;ſed non omnes ſunt facultates ſubalternatæ,ergo,&c.

2. Moralis tum ſpeculatiua,tum practica nulli ſubordinatur ex quatuor ſcientiis: immo quatuor ſcientiæ ſpeculatiuę ſubordinantur morali, ad quam vtpote habentem pro fine felicitatem ſpectat omnibus ſcientiis ſpeculatiuis imperare, ac illas ad ſuum finem dirigere.

3. Artes, & facultates practicę videntur adequa-

adæquatè diuidi in rationales, quæ versantur circa actus rationis, & eorum signa, quales præcipuè sunt prȩter logicam, grammatica, rhetorica, poetica, geometria, & arithmetica practica: in corporales versantes, circa res corporeas, vt statuaria, lignaria: & irrationales, de quibus agetur quæstione 21; sed nullȩ ex istis subordinantur quatuor scientiis; ergo &c.

Respondeo omnes alias scientias, & artes quatuor principalibus scientiis aliqualiter subordinari, sed diuerso modo subordinationis. Quȩdam præsertim speculatiuæ subordinantur tanquam scientiȩ mixtæ scientiis simplicibus, in quantū procedunt ex cognitione luminum, & principiorum propriorum plurium scientiarum. In hoc sensu theologia scholastica subordinatur fidei, & scientiȩ naturali, quia coniungit lumen fidei, & lumen naturale, & assumens quȩdam principia nota per fidem, quȩdam nota per lumen naturȩ, atque ipsa coniungens suas infert conclusiones. Moralis videtur scientia mixta, quia vt dictum quæstione 5 ad 8. procedit ex coniunctione luminis reflexi, ac luminis experimentalis. Inter scientias tamen mixtas celeberrimȩ sunt physico-mathematicæ, de quibus aliqua dicit Aristoteles 2. physic. tex. 6. & 8. Duæ enim scientiæ sunt purè mathematicæ, hoc est agen-

tes

tes de ente extenſo,abſtrahendo ab omni mutabilitate, & ſenſibilitate, nimirum arithmetica, & geometria; quibus addi poteſt tertia vtraque ſublimior, & eleuatior,ſcilicet algebra præſertim recens,quę vocatur ſpecioſa,& agit de proportionibus quantitatum,abſtrahendo à numeris, & magnitudinibus, atque ęquè reſoluens problemata,ac theoremata arithmetica, ac geometrica. Aliæ,videlicet muſica, proſpectiua,coſmographia,quæ complectitur aſtronomiam,& geographiam, & baryometria, cui ſubordinatur mechanica, non ſunt puræ mathematicæ, ſed mixtæ etiam ex phyſica, quia contemplantur quantitatem in materia ſenſibili.

Atque vt de ſingulis aliquid delibem: prima eſt muſica,quę *definitur ſcientia contemplans numeros vt ſonoros, ſeu ſonos vt habentes proportionem numerorum, ex qua proportione reſultat harmonia, ac conſonantia*. In quantum conſiderat ſonos eſt phyſica, in quantum contemplatur numeros eſt arithmetica,& vtitur vtriuſque principiis; dum conſonantiam, ac diſſonantiam numerorum demonſtrat,tum à poſteriori per experientias ſenſibiles,ac phyſicas, tum à priori per principia arithmetica. Datur muſica tam practica,quam ſpeculatiua.

Secunda eſt perſpectiua,ſeu optica, quæ definitur *ſcientia de ſuperficiebus,ac lineis vt viſibi-*

visibilibus. In quantum considerat superficies, ac lineas est geometria; in quantum contemplatur visibilia est physica, & demonstrat suas conclusiones à priori per principia geometrica, & à posteriori per principia physica nota per experientiam oculi. Est optica partim practica, partim speculatiua.

Tertia est cosmographia latè sumpta, quæ agit de magnitudine mundi, & eius partiū præcipuarum, ac de motibus earūdem. Diuiditur in astronomiam, & geographiam. Astronomia est *scientia de magnitudine, numero, motu, ac cōfiguratione corporum cœlestium.* In quantum agit de magnitudine est geometria; in quantum de corporibus cœlestibus, atque adeo de sensibilibus est physica. Vtitur lumine sensuum ad colligenda principia ex obseruationibus factis circa cælum, & coniungens talia principia nota per sensum cum principiis geometricis, & arithmeticis, demonstrat suas conclusiones. Videtur magis esse physica, quam mathematica, quia principia propria desumuntur ex obseruationibus sensibilibus, atque adeo physicis.

Geographia est *scientia de magnitudine globi ex terra, & aqua compositi, cum quadam coordinatione ad sphæram cælestem.* Vtitur principiis physicis ex obseruatione, & etiam mathematicis, & videtur esse

magis

magis physica, quam mathematica.

Affinis astronomiæ est astrologia. Definitur *facultas, quæ ex syderum natura, positu, motibus, & eorumdem varijs inter se configurationibus, & aspectibus futuros euentus præcognoscere conatur*. In quantum præcognoscere conatur euentus merè naturales circa tempestates, pluuias, ventos &c. habet aliquod fundamentum, licet saltem in hominibus sit omnino dubia, & incerta propter multitudinem planè innumerabilem causarum, ex quibus pendent tales euentus. At in quantum præcognoscere conatur certo euentus liberos, caret omni fundamento, & ipsius principia neque sunt nota per rationem mathematicam, neque per physicas experientias, quæ potius ostendunt astrologorum prædictiones fere semper esse fallaces, ac proinde, si quando sunt veræ, veras esse casualiter. Astrologi, qui se mathematicos vocabant, immeritò nomen mathematicorum infame reddiderunt apud multos imperatores etiam ethnicos, apud plures Sanctos Patres, & iurisperitos, qui tales homines non discernebant à veris mathematicis.

Quarta est statica, grecè Baryometria, quę est *scientia de grauibus, seu de magnitudine ponderosa, ac de ponderibus*; & in quantum agit de magnitudine, est geometria, in quantum de pondere, seu grauitate sensi-

sensibili est physica. Staticæ subordinatur mechanica, quæ est scientia de ponderibus vt mobilibus per machinas. Præterea sunt plures alię facultates, ac scientię quę resultant ex istarum mixtione.

Ex istis facultatibus aliquę non solum, subordinantur vtcunque primis quatuor, sed subalternãtur propria subalternatione. Quamuis enim omnis facultas, cuius obiectum continetur sub obiecto alterius, tanquam inferius sub superiore, & ad demonstrãdas suas conclusiones vtitur aliquibus principiis illius scientiæ, subordinetur aliqualiter tali scientiæ; in quo sensu omnes scientiæ subordinantur aliqualiter metaphysicæ, in quantum obiecta omnium scientiarum continentur sub ente, quod est obiectum metaphysicę, & vtuntur aliquibus principiis metaphysicę, cuismodi sunt: *non potest idem esse, & non esse; omne totum est maius sua parte &c*: tamen hoc nõ sufficit ad propriam subalternationem, sed scientia propriè subalternata est, *quæ considerat obiectum saltem partiale alterius cum aliqua limitatione, & ad suas conclusiones demonstrandas vtitur tanquam principijs, propositionibus non per se notis, sed demonstratis in facultate superiori*. In hoc sensu musica subalternatur arithmeticæ, quia considerat numeros vt sonoros, atque adeo cum aliqua limitatione, & supponit tamquam

quam principia quaſdam propoſitiones per ſe nõ notas,ſed demõſtratas ab arithmetica. Perſpectiua ſubalternatur geometriç,quia conſiderat ſuperficies , & lineas vt viſuales,vtens tanquam primis principiis propoſitionibus demonſtratis in geometria. Aſtronomia,ac geographia ſubalternãtur geometriæ,quia conſiderant magnitudines,non vtcumque,ſed vt limitatas ad cœlum,& terras, & vtuntur tanquam primis principiis propoſitionibus demonſtratis in geometria. Eidem ſubordinatur ſtatica ex eadẽ ratione. Tales verò ſcientiæ ſubalternantur etiam phyſicæ,in quantum vtuntur principiis demonſtratis in phyſica. Medicina ſubalternatur phiſicç, quia conſiderat corpus vt ſanabile , & aſſumit tanquam primum principium , *contraria contrarijs curanda*,quod demoſtratur in phyſica. Aliquo etiam pacto ſubalternatur mathematicæ, dum aſſumit , quod *vulnus rotundum difficillimè curatur* , quod probatur à mathematica ex eo,quia in figura circulari partes circumferentiæ ſint maximè diſtantes .

Vniuerſim omnes artes , & facultates practicę ſubordinantur ſpeculatiuis, in quantum fiunt per extenſionem ſpeculatiuarum. Vt enim docent ex Ariſtotele Sanctus Thomas, Scotus, & alii , habitus ſpeculatiui extenſione fiunt practici ; hoc

est habitus habentes pro fine scientiam, extensione fiunt practici, hoc est operatiui & generant facultates, & artes, habentes pro fine aliquod opus efficiendum, & ad id tradentes sua præcepta, eo pacto, quo statuaria habet pro fine statuam, & tradit præcepta ad illam efficiendam. Hæc autem extensio consistit in descensu ex contemplatione obiecti in vniuersali ex fine sciẽdi ad contemplandum idem obiectum magis in particulari ex fine alicuius operis efficiendi, tradendo prȩcepta, per quȩ tale opus effici possit. Hac ratione quatuor scientiȩ contemplatiuȩ iam assignatæ extensione possunt fieri practicæ, & generare innumeras artes, ac facultates practicas. Ex. gr. physica dum ex contemplatione corporis humani ex fine scientiȩ descendit ad idem contemplandum ex fine conseruandi, ac producendi in illo sanitatem, fit practica, & generat medicinam: dum ex contemplatione metallorum transit ad inquirendum, quo pacto possint ab homine produci quȩdam metalla, generat alchimiam: atque eodem pacto generat innumeras alias artes. Mathematica, dum ex contemplatione numerorum descendit ad considerandum, quo pacto possint facilè fieri supputationes, fit practica, & generat arithmeticam practicam, siue artem computatoriam: dum ex contemplatione ma-

magnitudinum descendit ad considerandum,quo pacto etiam res remotę possint à longè mensurari,fit practica, & generat geometriam practicam. Metaphysica dum ex contēplatione Dei,ac perfectionum diuinarum descendit ad considerandum,quo pacto possimus Deo in omnibus conformari,eidemque placere,fit practica, & generat moralem.Sic etiam logica speculatiua (quod verò detur logica speculatiua probabitur inferius) dū ex contemplatione entis intentionalis descendit ad inuestigandum,quo pacto res possint rectè cognosci,fit practica, & generat logicam practicam.

Ad 1. Licet omnes reliquę facultates subordinentur primis quatuor, non tamen propriè subalternantur, quia propria subalternatio est non quęcunquæ subordinatio,sed qualis est definita in resolutione quæstionis.

Ad 2. Moralis aliqualiter subordinatur logicæ,& physicę,in quantum vtitur simul lumine reflexiuo,seu logico, & experimentali, seu physico. Nec obstat,quod etiam logica, & physica, sicut alię scientię subordinentur morali, ac prudentię: quia hęc mutua subordinatio in diuerso genere, & sub diuersa ratione non repugnat.

Ad 3. Facultates rationales subordinantur

nantur aliqualiter logicæ in quantum intellectus à cōtemplatione actuum rationis in vniuersali, quæ spectat ad logicam speculatiuam, extenditur ad eosdem contemplandos magis in particulari in ordine ad ipsos dirigendos in se, & in suis signis, quæ consideratio, & directio spectat ad logicam practicam, grammaticam, poeticam, rhetoricam. Geometria, & arithmetica practica subordinātur geometriç, & arithmeticç speculatiuç, vt explicatum est. Facultates corporales, ex. gr. lignaria, statuaria &c. subordinantur physicæ, in quantum intellectus à consideratione vniuersali marmorum, lignorum, & aliorum corporum, quæ spectant ad physicam, descendit ad considerationem practicam eorumdem, in ordine ad varia opera efficienda.

Vtrum conuenienter assignetur obiectum attributionis, materiale, & formale logicæ practicæ. *Quæstio IX.*

Videtur, quod logicæ practicç, quam hic supponimus, & inferius probabimus dari, non conuenienter assignetur vt obiectum attributionis ens rationis logicum, seu recte cognitum: vt obiectum formale, cognitiones rectæ: vt obiectum ma-

materiale, res in esse obiectiuo, seu in quãtum possunt rectè cognosci: 1. quia in facultatibus practicis obiectum attributionis est, quod consideratur vt finis adæquatus, & vt opus ponendum: obiectum materiale, quod consideratur vt materia talis operis: obiectum formale, quod consideratur vt forma; eo pacto, quo in statuaria obiectum attributionis est statua, quia est ipsius finis, marmor, quod est materia statuæ, est obiectum materiale, figura quæ est forma, est obiectum formale; sed non rectè cognitum, sed intellectus rectè intelligens consideratur in logica vt finis, & vt opus ponendum; ergo obiectum attributionis in logica non est rectè cognitum, sed intellectus rectè intelligens: obiectum materiale non sunt res, sed intellectus, vt multi recentiores docent contra omnes antiquos.

2. Nulla facultas practica habet pro fine, & obiecto attributionis aliquod opus cõstitutum per formam extrinsecam materię, & nihil perficientem talem materiam: cuius ratio est, quia eo ipso totum artificium artis, quod consistit in faciendo opere, & in inducenda forma in aliquam materiam, esset vanum, & inutile, si forma nihil materiam perficeret, & melioraret: sed è conuerso omnes facultates practicæ habent pro fine, & obiecto attributionis

aliquod

aliquod opus, in quo forma intrinſecè perficit materiam,eo pacto,quo ſtatuaria habet pro fine ſtatuã,in qua forma intrinſecè perficit marmor;ſed res rectè cognitę ſũt opus,in quo forma cognitionis reſpicit res omnino extrinſecè, intellectus rectè intelligens eſt opus, in quo intellectio maximè intrinſecè perficit intellectum; ergo finis,& obiectum attributionis in logica non eſt rectè cognitum, ſed intellectus rectè intelligens.

3. Intellectus rectè intelligens debet eſſe finis alicuius facultatis practicæ, ſicut voluntas rectè operans eſt finis moralis; non alterius quam logicæ;ergo debet eſſe finis logicæ.

4. Idem eſt finis inſtrumenti, ac habitus, cuius eſt inſtrumentum;ſed logica eſt organum,ſeu inſtrumentum ſcientiarum, finis autem ſcientiarum eſt, vt intellectus rectè intelligat,non autem vt res rectè intelligantur; ergo finis logicę, ac obiectum attributionis eſt intellectus rectè intelligens.

5. Illud,quo habito, facultas eſt contenta,quo non habito,remanentibus per poſſibile,vel impoſſibile omnibus aliis, facultas non eſt contenta, includitur in obiecto attributionis;ſed logica, habito intellectu rectè intelligente,eſt contenta,non habito intellectu rectè intelligente,etiamſi

per impoſſibile remanerent res rectè cognitæ, non eſſet contenta:quid enim iuuaret rem rectè cognoſci, ſi nullus intellectus perficeretur res rectè cognoſcendo, ergo intellectus intelligens includitur in obiecto attributionis.

6. Si obiectum logicæ ponantur res rectè cognitæ,obiectum ſtatuariæ debebunt aſſignari res rectè figuratę picturę res rectè per colores expreſſæ, cum eadem ſit ratio. Ideo enim obiectum attributionis logicę eſt rectè cognitum, quia artificium logicæ conſiſtit in hoc,vt conformet operationes cum rebus;ſed artificium ſtatuariæ,& picturæ,conſiſtit in hoc, vt conforment ſuas imagines marmoreas, vel coloratas cum rebus; ergo obiectum ipſarum erit rectè figuratum: quod eſt abſurdum.

7. Si dicatur, quod intellectus non eſt obiectum materiale logicę, quia licet ſit ſubiectum receptiuum operationum, non eſt tamen ſubiectum conſideratum à logica, videtur eſſe vera ſententia communis plurium antiquorum,& recentiorum, quod obiectum attributionis logicæ ſit operatio recta, obiectum materiale ratio communis operationis,obiectum formale rectitudo operationis. Nam ſi aliquid obſtaret, maximè quia in operatione ratio operationis non diſtinguitur realiter à ratione rectitudinis; ſed ſicut nō requiritur

tur in facultatibus speculatiuis, quod obiectum materiale distinguatur realiter à formali, vt dictum est quæstione 6. ad 1. ita non requiritur in practicis, cum sit eadem ratio: ideoque in saltatoria obiectũ attributionis est rectus saltus, in quo rectitudo non distinguitur realiter à saltu: in musica rectus cantus &c; ergo etiam in logica obiectum attributionis poterit assignari recta operatio: pręsertim cum ex allatis exemplis constet non esse verum, quod obiectum materiale debet considerari vt pręexistens, non vt ponendum, cum saltus, & cantus considerentur vt aliquid ponendum. Confirmatur, quia illud est obiectum attributionis, quo habito, facultas est contenta; sed habita recta operatione, logica est contenta; ergo &c.

8. Si dicatur, quod obiectum materiale musicæ sunt voces, seu toni, obiectum formale est certa dispositio vocum, & tonorum, in qua dispositione consistit præcipuum artificium musicum: obiectum materiale saltatoriæ sunt saltus, formale dispositio saltuum realiter distincta, poterit pariter dici, quod obiectum materiale logicæ sint operationes, obiectum formale dispositio operationum, per quam constituitur syllogismus demonstratio, &c; ergo excludi poterunt res ab obiecto materiali proximo.

9. Si obiectum materiale logicę essent res, operationes formale, logica esset ars factiua, quod est absurdum. Probatur sequela: ars enim factiua est, quæ inducit suam formam in externam materiam; sed logica induceret operationes in res, quę sunt materia externa; ergo esset ars factiua.

10. Vel logica habet pro fine, & obiecto formali attributionis quamcunque operationem rectam, seu sit prima, seu secunda, seu tertia; vel habet pro fine solam secundam, & tertiam, in quibus solis datur veritas, exclusa prima, in qua veritas non datur; vel habet pro fine solam tertiam, per quam solam habemus scientiam discursiuam; vel solum syllogismum, immò nec omnem syllogismum, sed solam demonstrationem, quę est syllogismus scientialis, excluso syllogismo topico, & probabili; nullum ex his videtur dici posse: nam ex vna parte, cum logicæ assignetur vt obiectum attributionis operatio recta *vt sic*, videntur omnes includi; ex alia cum logica sit instrumentum scientiarum, quæ habent pro fine veritatem, videtur obiectum logicę esse sola secunda, & tertia operatio, in quibus solis datur veritas; immò quia finis scientiæ est veritas cognita per discursum, hoc est per tertiam operationem, sola tertia operatio videtur

esse

esse obiectum attributionis , immo sola demonstratio , cum finis scientiarum sit veritas cognita per discursum, non quemcumque, sed demonstratiuum, seu per syllogismum scientialem.

Respondeo in logica practica obiectum attributionis esse ens rationis, seu rectè cognitum, obiectum formale operationes rectas, materiale res in esse obiectiuo. Totũ enim artificium facultatum practicarũ in eo versatur, vt adaptent aliquam formam alicui materiæ, eo pacto, quo totum artificiũ statuariæ consistit in eo, vt adaptet marmori varias figuras. Obiectum proinde formale artis est forma, quę debet adaptari materiæ; obiectum materiale est materia, cui debet adaptari forma, ita vt tota, vel præcipua difficultas ab arte superanda per sua pręcepta consistat in tali adaptatione, ideoque ad eam difficultatem vincendam debeat ars considerare, & materiam in ordine ad illi adaptandam formam, & formam in ordine ad ipsam adaptandam materię; obiectum verò attributionis est opus constans ex tali materia, & tali forma. Nihil deinde refert, quod hæc materia perficiatur, vel nõ perficiatur, recipiat formam intrinsecè, vel non recipiat intrinsecè, sed hęc omnia per accidens se habent ad obiectum materiale. Neque enim est obiectum mate-

riale,quia perficitur, ac recipit intrinſecè formam, ſed quia totum artificium artis conſiſtit in adaptanda forma tali materiæ, ideoque ad difficultatem ſuperandam debet conſiderari & materia in ordine ad formam,& forma in ordine ad materiam. Cæterum pleraque artes per ſuas formas non perficiunt, ſed deteriorant materiam ſecundum ſe,vt illam adaptent vſibus humanis. Quis enim non videt,quod coquinaria occidendo, & coquendo animalia, herbas &c non tam illa perficit, quam corrumpit. Similiter lignaria dum arbores,quæ viuebant in ſyluis, aut campis, cædit, & quodammodo interficit, dum exſiccans eripit illis naturalem humiditatem,dũ decorticat, dum priuat naturali figura,quam exigunt ex ſua natura, profecto non perficit, ſed deteriorat. Marmora etiam deteriorantur à ſtatuaria, dũ ex montibus exciſa,vbi melius ſuas operationes exercebant, conformantur in figuras illis innaturales.Iam in caſu noſtro totum artificium logicum conſiſtit in hoc, vt operationes conformentur cum rebus: ad hanc verò difficultatem ſuperandam debet conſiderare tum res in ordine ad operationes,ſicut in libro prędicabilium, & prædicamentorum conſiderat res in ordine ad operationes prędicandi; tum operationes in ordine ad res, ſicut conſide-

derat in libris perihermenias, ac reliquis, definiendo, & contemplando operationes in ordine ad res tanquam in ordine ad suum specificatiuum, regulam, & mensuram, vt patet: nam definitio dicitur: *oratio explicans naturam rei*, diuisio *oratio explicans partes rei*, argumentatio, *in qua vna res infertur ex alia*; scientia, *cognitio rei per causam* &c; ergo obiectum materiale logicę sunt res, formale operationes rectæ, attributionis rectè cognitum. Quia verò superata difficultate, quę consistit in operationibus conformandis cum rebus, non remanet difficultas in hoc, quod intellectus recipiat operationes rectas, sed in illas statim prorumpit impetu naturę, ideo intellectus licet recipiat operationes, non debet à logica considerari, nec de facto consideratur, immo vix nominatur in tota logica Aristotelica, nec vnquam operationes definiuntur in ordine ad intellectũ, ac proinde non est obiectum, cum absurdè ponatur obiectum, quod nec obiicitur, nec consideratur. Similiter quia posito, quod sciamus operationes conformare cum rebus, non remanet difficultas in hoc, quod in operationes introducatur rectitudo, nec in hoc, quod operationes disponantur in intellectu, vt melius etiam patebit in responsione ad octauum, ideo non benè ope-

rationes assignantur vt obiectum materiale, rectitudo, vel dispositio in intellectu vt formale. De vocibus, quas ex Græcis Ammomius, Simplicius, & Philoponus dixerunt esse obiectũ, manifestè patet non esse obiectum attributionis, sed communitatis. Nam artificium proprium logicæ non consistit in vocibus conformandis cum rebus significatis, sed in conformandis conceptibus cum rebus; ergo res rectè cognitę, non voces sunt obiecta atributionis; licet quia voces sunt signa conceptuum, considerari debeant vt obiecta communitatis. Ex quo sequitur, quod surdus à natiuitate posset habere logicam perfectam inteníiuè, non autem extensiuè, cum non posset habere cognitionem vocum, quæ includuntur in obiecto communitatis. Ex his rationibus hanc sententiã sequuti sunt plerique antiquiores, licet sub variis terminis illam tradiderint; Auerroes, Auicenna, Iamdunus, quos sequitur Zabarella libro primo de natura logicę, dum dixerunt res omnes in esse obiectiuo, hoc est res vt cognitas esse obiectum logicę; plures alii, dum asseruerunt obiectum logicæ esse secundas intentiones, quæ nil aliud sunt, quam ens intentionale, seu cognitum; Sanctus Thomas pluribus locis, sed clarissimè quarto metap. lect. 4. docet ens rationis esse propriũ obie-

obiectum logicę. Sequuntur S. Thomam Thomistæ, Sotus, Iauellus, Caietanus, Heruęus,& ex nostris Ruuius, & alii. Pro eadem etiam allegantur Albertus magnus 1. metaph.tract 1.& Durandus in 1. dist.19.quæst.6.

Confirmari potest ex Aristotele. Nam artes debent,& solent ita tradi, vt primo agatur de obiecto materiali,deinde de formali; sed Aristoteles ita tradidit logicam, vt primo egerit de rebus in ordine ad operationes in libro prædicamentorum, deinde de operationibus in reliquis libris; ergo censuit obiectum materiale logicę esse res, formale operationes. Certe si censuisset intellectum esse obiectum materiale,mirum esset,quod nullum in logica, non dico librum, sed ne caput quidem de intellectu scripsisset, immo vix nominasset, & nunquam operationes definiuisset in ordine ad intellectum,sed semper in ordine ad res.

Ad 1. Obiectum attributionis est quod consideratur vt finis, & vt opus ponendum; sed intellectus rectè intelligens, non rectè cognitum consideratur vt finis, & vt opus ponendum in logica; ergo &c. Nego minorem. Ostensum est enim,quod illud consideratur vt finis,& opus ponendum,quod constat ex materia,& forma, ita vt totum artificium artis consistat in

adaptanda forma tali materię; sed artificium logicæ consistit in adaptandis operationibus, non intellectui, sed rebus; ergo &c.

Ad 2. Transeat quod omnes aliæ facultates practicę habeant pro obiecto opus constitutum per materiam, & formam intrinsecam. Dico tamen id esse per accidens, & non quia obiectum formale debeat esse intrinsecum materiali, sed quia artificium ipsarum, & difficultas consistit in adaptanda materiæ forma non extrinseca; sed intrinseca; sed artificium logicæ consistit in adaptandis operationibus non cum intellectu intrinsecè recipiente, sed cum rebus extrinsecè denominatis; ergo &c. Nec est verum, quod eo ipso, quod artificium artis versetur in adaptanda materię aliqua forma non meliorante intrinsecè materiam, sit vanum, & inutile. Nam vt ars sit vtilis, non debet meliorare materiam, sed hominem, eo pacto, quo coquinaria, lignaria, statuaria; licet materiam non meliorent, sed deteriorent, tamen quia meliorant hominem, sunt artes vtiles; sed logica adaptando operationes cum rebus, licet non melioret res, meliorat hominem: ergo est ars vtilis. Non tamen infertur ex eo, quod non res meliorentur, sed homo, quod homo sit obiectum logicę, sicuti ex eo, quod non cibi melio-

meliorentur per coquinariam, sed homo, non sequitur quod non cibi, sed homo sit obiectum coquinariæ, & aliarum artium, vt fusius dicetur in responsione ad 5.

Ad 3. Intellectus rectè intelligens debet esse finis alicuius facultatis practicæ: sed hęc facultas non est logica, sed moralis, habens pro fine, & obiecto attributionis hominem vt felicem: & quia homo secundum doctrinam Aristotelis fit fęlix per hoc, quod intellectus rectè intelligat, & voluntas rectè operetur, ideo habet pro fine intellectum rectè intelligentem, & voluntatem rectè operantem. Hinc est, vt Aristoteles in ethica non solum agat de virtutibus moralibus, quibus voluntas benè operatur, sed etiam ex professo de intellectualibus, quibus verum anima dicit, seu rectè intelligit, ac doceat, quod sicut medicina quia habet pro fine vt corpus benè se habeat per sanitatem, debet agere de corpore; sic moralis quia habet pro fine, vt anima bene, & feliciter se habeat per virtutes, debet agere de anima tamquam de obiecto materiali, ac de illa, & de intellectu, & voluntate agit de facto. Hinc patet, quod si Aristoteles putasset intellectum esse obiectum materiale logicę, egisset de illo in logica, sicut egit in morali. Secundo patet, quod cum homo rectè intelligens per intellectum, & ho-

nestè operans per voluntatem, sit obiectum attributionis in morali, homo rectè intelligens non est obiectum logicę, sicut homo rectè operans non est obiectum alterius facultatis practicę, quæ non sit moralis.

Ad 4. Distinguo maiorem: idem est finis intrinsecus, nego; idē est finis extrinsecus instrumenti, ac finis intrinsecus habitus, cuius est instrumentũ, concedo; concedo minorē, & distinguo consequens, ergo intellectus rectè intelligens est finis extrinsecus logicæ, qui finis extrinsecus non est obiectum attributionis, concedo consequentiam; ergo intellectus rectè intelligens est finis intrinsecus logicæ, qui finis est obiectum attributionis, nego consequentiam. Patet inductione omnium artium, quæ sunt instrumenta aliarum facultatum, vel artium, quod id, quod est finis intrinsecus artis, cui ars altera deseruit vt instrumentum, non est finis intrinsecus artis deseruientis, sed merè extrinsecus. Ex. gr. frenifactoria est instrumentum equestris, & tamen equitatio, quæ est finis intrinsecus equestris, est finis solum extrinsecus frænifactorię, quæ frænum contemplatur solum tanquam opus à se efficiendum, ita vt totum eius artificium consistat in adaptando cum ferro figuram fræni. Similiter ars nauifactoria est instru-

ſtrumentum nauticæ, & tamen nauigatio, quæ eſt finis intrinſecus nauticæ, eſt finis ſolum extrinſecus nauifactoriæ. In caſu noſtro licet logica ſit inſtrumentum ſcientiarum, in quantum dat præcepta definiendi, diuidendi, argumentandi: ſcientiæ enim vtuntur definitionibus, diuiſionibus, & argumentationibus, eo pacto, quo equeſtris vritur fręno; tamen logica non habet pro fine intrinſeco, ſed ſolum extrinſeco intellectum benè intelligentem. Differentia verò finis extrinſeci ab intrinſeco melius explicabitur in reſponſione ad ſextum. Si verò adducantur exempla mallei, qui quia eſt inſtrumentum verſatur circa idem opus, ac artifex, vtens malleo & aliorum inſtrumentorum materialium: reſpondeo exempla non eſſe ad rem Logica enim non eſt inſtrumentum ſcientiarum, ſicut malleus, & alia huiuſmodi ſunt inſtrumentum artificis, ſed ſicut vnus habitus eſt inſtrumentum alterius; ergo non debet comparari malleo, ſed aliis habitibus, qui dicuntur inſtrumenta.

Ad 5. Diſtinguo maiorem, illud, quo non habito, facultas non eſſet contenta præſuppoſitiuè, & extrinſecè, includitur in obiecto attributionis, nego; quo non habito, facultas, non eſſet contenta formaliter, & intrinſecè, concedo: diſtinguo eodem pacto minorem, & nego conſequẽtiam.

tiam. Aliud est opus, & finis intrinsecus, & formalis artis, aliud est vtilitas operis, & perfectio, quam debet homo ex opere omnium artium decerpere, quę perfectio sæpè est finis merè extrinsecus, & præsuppositus ab arte, non ab illa formaliter intentus, sed intentus ab aliqua arte superiori, vel à prudentia, quæ est suprema, architectonica, ac princeps omnium artiū: ex. gr. opus, ac finis intrinsecus statuariæ est statua; vtilitas operis est, quod homo videns statuam decerpat delectationem, ex tali visione, quę visio, & delectatio non est finis intrinsecus, & formaliter intentus à statuaria, sed merè extrinsecus, ac prę suppositus, intentus autem à prudentia, quę intendens felicitatem, & bonum vniuersale hominis, ad illud dirigit omnes artes. Idem dic de pictura, ędificatoria, fręnifactoria &c. In logica igitur aliud est opus, ac finis intrinsecus ipsius, quod est *rectè cognitum*, cum in eo consistat logicum artificium; aliud vtilitas operis, quę vtilitas est, vt intellectus rectè intelligat, quę vtilitas est finis merè extrinsecus, ac non consideratus, nec intentus formaliter à logica, sed præsuppositus, ac intentus formaliter à prudentia, seu morali. Iam artes, habito fine intrinseco, & non habito extrinseco, sunt contentę formaliter, quia habent totum, quod in-

ten-

tendunt formaliter; non sunt contentę pręsuppositiuè, quia non habent quod pręsupponunt intentum à facultate superiori, sine qua opus illarum est prorsus inutile: ex.gr. statuaria habita perfectissima statua, & non habitis hominibus potentibus statuam contemplari, eo quod omnes homines essent cæci, est contenta formaliter, non præsuppositiuè; idemque dic de pictura, frenifactoria, & cæteris artibus. Nec ex eo infertur, quod potentia visiua hominis includatur in obiecto statuariæ, picturę &c. alioquin homo secundum varias potentias includeretur in obiecto attributionis omnium artium. In casu igitur nostro licet logica habitis rebus rectè cognitis, & non habito intellectu rectè intelligente, non esset contenta præsuppositiuè, tamen intellectus rectè intelligens est finis solum extrinsecus logicæ, ac proinde non includitur in obiecto attributionis. Ratio vniuersalis est, quia obiectũ attributionis, & finis intrinsecus artis est solũ illud opus, in quo consistit artificiũ artis, vt explicatum est; vtilitas operis est solum finis extrinsecus, ac presuppositus.

Ad 6. Ex eo, quod res rectè cognitæ sint obiectum attributionis in logica, non sequitur, quod res rectè depictę, vel rectè figuratæ in marmore sint obiectum attributionis in pictura, vel statuaria. Dispa-

ritas est manifesta. Nam ideo res rectè cognitæ, & non intellectus rectè intelligens sunt obiectum attributionis in logica, quia artificium, ac difficultas logicæ consistit solum in adaptandis operationibus cum rebus, qua difficultate superata, nulla deinde remanet difficultas in operationibus introducendis in intellectu; sed pręcipua difficultas statuarię non consistit in sciendo, quo pacto figuræ conformentur rebus, sed in adaptandis talibus figuris in marmore, ideoque debet marmor considerari in ordine ad illud figurandũ: pręcipua difficultas picturę consistit in coloribus ita disponendis, vt obiectum exprimant; ergo, obiectum materiale statuariæ est marmor, picturæ colores; obiectum attributionis statuarię est statua, picturæ imagines depictæ, res verò ad summum considerantur vt materia remota.

Ad 7. Fortasse tunc potest assignari obiectum attributionis, in quo obiectum materiale non distinguatur realiter à formali, cum artificium artis non consistit in adaptanda forma alicui materiæ distinctæ, sed merè in faciẽda aliqua operatione, in qua possint per intellectum distingui ratio materialis, & ratio formalis; eo pacto, quo artificium saltatoriæ non videtur consistere in adaptandis saltibus cum pede, sed merè in facienda saltatione recta, in qua

ratio saltus potest considerari tanquam materia, ratio recti tanquam forma; sed artificium logicum consistit in operationibus conformandis cum rebus, quę sunt materia distincta; ergo in logica debent assignari res tanquam obiectum materiale, operationes tanquam formale. Dum opponitur: logica habita recta operatione, est contenta; ergo recta operatio est adęquatum obiectum attributionis; distinguo antecedens, logica habita recta operatione, est contenta tanquam de toto opere, nego; tanquam de complemento operis, concedo; & nego consequentiam. Ex eo enim, quod sit contenta tanquam de complemento operis, sequitur quod operatio recta sit solum complementum operis, atque adeo forma, & obiectum formale. Confirmatur solutio: nam etiam aduersarii debent illa vti, si quis ad probandum, quod figura statuæ sit obiectum totale attributionis statuariæ, arguat: statuaria habita recta figura statuæ, est contenta; ergo figura statuæ est adęquatum obiectum attributionis.

Addo falso dici ab aduersariis, quod in musica, sonatoria &c. obiectum materiale non distinguatur realiter à formali. Sicut enim, quia pręcipuum artificium picturę consistit in coloribus ita disponendis in tabula, vt resultet imago, obiectum mate-

materiale ſunt colores, formale diſpoſitio colorum realiter diſtincta à coloribus; ſic cum pręcipuum artificium muſicæ conſiſtat in variis vocibus,vulgo tonis ita diſponendis, interceptis debitis morulis, vt fiat harmonia,obiectum materiale ſunt voces,ſeu toni ſecundum ſe, formale diſpoſitio vocum realiter diſtincta; in ſaltatoria obiectum materiale ſunt ſinguli ſaltus, & motus, formale,eorum diſpoſitio proportionalis diſpoſitioni ſoni, qui ſolet ſaltationem pręire & regulare.

Ad 8. Dum ex doctrina modo tradita vrgetur: obiectum materiale muſicæ ſunt voces, formale diſpoſitio vocum; ergo etiam obiectum materiale logicæ ſunt operationes, formale diſpoſitio operationum ab operationibus diſtincta, cum artificium logicę conſiſtat in operationibus certo modo diſponendis in intellectu: nego conſequentiam. Neque enim eſt vlla diſpoſitio operationum in intellectu, in qua conſiſtat artificium logicum. Nam non eſt diſpoſitio, qua diſponantur in intellectu,ſicuti in ſpatio;nec diſpoſitio, qua diſponantur tempore, ita vt vna operatio fiat prius,alias poſterius,cum in definitione ſimul tempore cognoſcatur genus, & differentia,in propoſitione ſimul tempore cognoſcatur pręदicatum, & ſubiectum, in ſyllogiſmo ſimul tempore dentur pręmiſſæ,

missæ, & conclusio. Remanet igitur tantum dispositio, per quam obiecta certo modo disponuntur, ex.gr. per quam in propositione hoc quidem obiectum prædicatur, hoc autem subiicitur, in syllogismo primę figuræ medius terminus subiicitur, prędicatum conclusionis prædicatur de subiecto conclusionis &c. quę verè est dispositio logica. At hæc dispositio consistit in adaptatione cognitionis cum rebus. Per illam enim cognitiones adaptantur obiectis, ita vt hoc quidem subiiciatur, illud verò prędicetur, vt postulat obiectorum natura; ergo totum artificium logicum consistit in adaptatione cognitionis cum obiectis; ergo obiectum attributionis in logica est rectè cognitú, formale operationes rectæ, materiale res in esse obiectiuo.

Ad 9. Ars factiua est, quæ versatur circa operationes transeuntes in externam materiam, quales sunt operationes ędificandi, pingendi &c, quę transeunt in rem ædificatam, pictam, & non remanent in agente. Ars actiua est, quæ versatur circa operationes immanentes, hoc est remanentes in operante, quales sunt saltatio, visio, intellectio, volitio. Cum igitur logica versetur circa operationes intelligendi, quæ manifestè sunt immanentes, non transeuntes, manifestè est ars actiua, non factiua,

licet

licet per ſuam formam, hoc eſt per cognitiones, denominet extrinſecè res. Neque enim ſufficit ad artem factiuam, quod per operationem immanentem denominet externam materiam.

Ad 10. Multi fuſiſſimè diſputant, vtrum logica habeat pro fine, & obiecto formali attributionis omnes tres operationes, an ſolum ſecundam, & tertiam, an ſolam tertiam, an ſolum ſyllogiſmum, an potius ſolam demonſtrationem. Ego breuiter dico logicam eſſe inſtrumentum vniuerſale rectè cognoſcendi res, atque adeo habere pro fine, & obiecto vniuerſali attributionis omnem cognitionem rectam, ſeu ſit prima, & ſecunda operatio, ſeu tertia. Ratio eſt, quia connaturale fuit, vt homines proponerent ſibi hunc finem per ſe expetibilem rectè cognoſcendi res; ergo talem finem ſibi propoſuit logica. Dum opponitur: ſcientiæ habent pro fine veritatem; logica eſt inſtrumentum ſcientiarum; ergo logica habet pro fine veritatem; ergo illas tantum operationes, in quibus veritas inuenitur, quales ſunt ſecundæ, & tertiæ, excluſa prima: diſtinguo minorem: logica eſt vnicè inſtrumentum ſcientiarum, nego; logica eſt inſtrumentum ſcientiarum, non vnicè, ſed ita, vt ſit inſtrumentum vniuerſale rectè cognoſcendi, & principaliter ſit inſtrumentum

tum scientiarum, concedo; & nego consequentiam. Quia logica est instrumentum scientiarum non vnicè, habet pro fine non solas operationes scientiarum, sed alias etiam per se expetibiles, & capaces vt dirigantur per præcepta, cuiusmodi est etiã prima operatio, pręsertim definitio, ac diuisio, quæ spectant ad primam operationem. Intendit tamen principaliter operationes scientiales, vtpotè digniores, ideoque principalitér est instrumentum scientiarum.

Vtrum aliquæ veritates obiectiuæ sint practicæ, aliæ speculatiuæ. Quæstio X.

VIdetur quod non 1. quia differentię practici, & speculatiui sunt differentiæ cognitionum, non autem obiectorum; ergo non debent tribui obiectis.

2. Vel veritas practica est practica respectu sui, vel solum respectu operis, quod proponit vt faciendum; respectu sui non est practica, ergo solum respectu operis; ergo est practica simul, & speculatiua; speculatiua respectu sui, practica respectu operis.

3. Omnis veritas speculabilis est speculatiua; sed omnis veritas, ac proinde etiam

veritas practica est speculabilis; ergo omnis veritas, ac proinde etiam veritas practica est speculatiua simul, & practica; quod repugnat, sicut repugnat, quod eadem cognitio sit speculatiua simul, & practica, idem animal sit homo simul & equus: differentię enim speculatiui & practici sũt sicut differentiæ rationalis, & irrationalis.
4. Veritates speculatiuę deberent realiter distingui à practicis. non distinguuntur; ergo non dantur veritates speculatiuę, & practicę.

Respondeo aliquas veritates esse speculatiuas, alias practicas. Duplex enim genus veritatum potest considerari. Quædam sunt, quæ cognitæ habent vim immediatam inclinandi, dirigendi, ac regulandi cognoscentem ad operandum, ac faciendum aliquod opus per ipsas propositum. Aliæ sunt, quæ merè inclināt, ac mouent ad contemplandum, & immediatè non inclināt ad operandum. E. G. istę veritates, quod felicitas ęterna debet pręponi omnibus bonis temporalibus; quod ea, quę nobis nolumus, alteri non sunt facienda, ea quę volumus nobis, facienda sunt aliis, & plures alię, si cognoscantur, manifestissimè inclinant cognoscentem ad faciendum id, quod per ipsas proponitur, hoc est ad præferendam felicitatem ęternam omnibus bonis temporalibus &c. E

con-

conuerso istę veritates, quod Cælum est incorruptibile, elementa sunt quatuor, Deus est optimus, non inclinãt immediatè ad faciendum vllum opus per ipsas propositum; sed practicum idem sonat ac operatiuum, speculatiuum idem ac contemplatiuum: ergo veritates immediatè inclinatiuæ ad operandum sunt practicæ; veritates inclinatiuæ non ad operandum, sed ad contemplandum sunt speculatiuæ.

Confirmatur, quia communiter dicimus quod principia moralis ex. gr. *quod tibi nõ vis fieri alteri ne feceris* &c. sũt practica, sed nomine principiorum absolutè prolatorum intelliguntur veritates obiectiuę; ergo iuxta communem sensum dantur veritates practicæ.

Si verò quęratur, quęnam veritates vniuersim sint practicæ, dico, quod illæ, quibus proponitur, quod bonum est aliquid facere. Cum enim veritas practica sit veritas inclinatiua ad operandum; nihil autem inclinet ad operandum, nisi bonum, omnes, & solę veritates, quibus proponitur bonitas operandi, sunt practicæ. Ex veritatibus tamen practicis alię sunt practicę tanquam principia vniuersalia, quibus proponitur in vniuersali, quod bonũ est aliquid facere, ex. gr. *quod tibi nõ vis fieri alteri, ne feceris*: aliæ sunt practicę tanquam cõclusiones

particulares,in quibus ex principiis vniuersalibus infertur in particulari, quod bonum est aliquid facere in singularibus circunstantiis loci,temporis, personarum &c,qualis est hæc conclusio; *ego debeo dare nunc huic pauperi eleemosynam*,quæ infertur ex his præmissis; *quæ nobis volumus, facienda sunt aliis; sed in his circumstantijs ego vellem dari mihi eleemosynam &c.*

Ad 1. Prædicata, quę primo conueniunt cognitionibus, tanquam principali analogato, tribui solent etiam obiectis, tanquam analogatis minus principalibus propter ordinem,quem habent ad cognitiones,vt causę specificatiuę cognitionum Ex.gr.licet primo cognitio dicatur vera, vel falsa, clara,vel obscura,certa, vel incerta, euidens, vel ineuidens,quia est proprium subiectum veritatis, ac falsitatis, claritatis, & obscuritatis,certitudinis, & incertitudinis, euidentię, & ineuidentiæ, tamen etiam obiecta dicuntur vera, vel falsa,clara, vel obscura, certa,vel incerta euidētia,vel ineuidentia, in quantum sunt apta causare hæc omnia in cognitione. Sic igitur in casu nostro licet primo cognitio sit speculatiua,vel practica, tamen hæc prædicata tribuuntur veritatibus obiectiuis,in quantum sunt aptæ causare cognitiones speculatiuas,vel practicas.

Ad 2. Repugnat, quod veritas sit practica,

ctica, & effectiua respectu sui, cum non possit inclinare, ac mouere cognoscentem ad ponendum se. Cognoscens enim aliquam veritatem, supponit, ac cognoscit illam vt positam: ex.gr. cognoscens, quod nunquam est peccandum, cognoscit hanc veritatem vt iam positam; sed cognitio, qua aliquid cognoscitur vt positum, non potest inclinare cognoscentem ad illud ponendum, sed solum ad contemplandum; ergo nulla veritas potest inclinare cognoscentem ad se ponendum, sed solum ad se contemplandum, adeoque respectu sui non est practica, sed speculatiua. Solum ergo potest aliqua veritas esse practica respectu operis, quod non supponit vt factum, sed proponitur vt faciendum. Dum opponitur, ergo eadem veritas est speculatiua simul, & practica; distinguo: respectu eiusdem, nego; respectu diuersorum, concedo. Est enim speculatiua respectu sui, practica respectu operis propositi, quod non repugnat, sicut non repugnat, quod eadem cognitio respectu vnius obiecti sit practica, respectu alterius speculatiua. Hæc enim cognitio *Deus est amandus* respectu Dei est speculatiua, respectu amoris practica.

Ad 3. Distinguo maiorem; omnis veritas speculabilis ex eo, quod ipsa non sit inclinatiua ad opus, est speculatiua respectu operis, concedo; omnis veritas specula-

culabilis ex eo, quod poſſit conſiderari à non potente facere tale opus, vel per cognitionem id ſupponentem vt poſitum, eſt ſpeculatiua reſpectu operis, nego: diſtinguo eodem pacto minorem, & nego conſequentiam. Veritas ſpeculatiua ſimpliciter eſt, quæ ſecundum ſe præcisè non eſt inclinatiua ad operandum, ſed ſolum ad contemplandum; veritas verò, quæ cum ſecundum ſe præcisè ſit inclinatiua ad operandum eſt cognoſcibilis cognitione ſpeculatiua ratione ſubiecti, vel ratione ſuppoſitionis, qua talis cognitio ſupponit opus vt factum, eſt ſecundum ſe practica & ad ſummum poteſt dici ſpeculatiua ſecundum quid, & reſpectiuè ad ſubiectum, vel cognitionem. Non autem repugnat quod eadem veritas ſecundum ſe ſit practica, reſpectiuè ad ſubiectum, vel cognitionem ſpeculatiua, ſicut non repugnat, quod aliquid ex natura ſua ſit per ſe notum, reſpectiuè ad nos non ſit per ſe notum. Quid verò ſit cognitio ſpeculatiua ratione ſubiecti, vel ratione ſuppoſitionis, qua ſupponit opus vt factum, explicabitur queſtione ſequenti.

Ad 4. Veritas ſpeculatiua non eſt neceſſe, vt realiter diſtinguatur à practica, ſed ſufficit, vt diſtinguatur ratione, & per precisionem intellectus. Hoc autem eſt manifeſtum in ſententia, quam ſequimur,

quod

quod omnes veritates necessariæ, & æternæ sint idem realiter cum diuina essentia, atque adeo inter se. Sequitur enim, quod omnes veritates necessariǫ, & ęternę tũ speculatiuæ, tum practicæ realiter identificentur, ac distinguantur solum ratione, ex. gr. quod hæc veritas practica æterna, *bonum est faciendum* identificetur cum hac speculatiua, *homo est animal rationale*; ac distinguatur sola ratione.

Vtrum cognitio practica benè definiatur. Quæstio XI.

VIdetur non benè definiri cognitio practica *cognitio iudicans quod bonum est facere aliquod opus positum in potestate cognoscentis, quod non supponit vt factum* 1. quia ex doctrina Aristotelis 3. de anima tex. 3. quem sequitur S. Thomas, & cæteri scholastici, cognitio practica & speculatiua differunt fine, ac proinde cognitio speculatiua ex secundo Metaph. tex. 3. definitur, *quæ habet pro fine veritatem*, practica *quæ habet pro fine opus*; sed allata definitio neque est eadem cum Aristotelica, neque est illius explicatiua, ergo non est bona. 2. Cognitio practica communiter definitur, *quæ dirigit cognoscentem ad operandum*; sed hæc definitio videtur clarior, & melior,

lior; ergo allata definitio est reiicienda.
3. Non requiritur ad cognitionem practicam, vt iudicet quod bonum est facere aliquod opus: multæ enim cognitiones id non iudicantes sunt propriissimè practicę, quales sunt cognitiones iudicantes, quod syllogismus in Barbara faciendus est ex tribus propositionibus, vniuersalibus, affirmatiuis &c quales sunt etiam, quibus artifices iudicant, quod sua opera sunt ita, & ita facienda.
4. Sequeretur, quod plurimę cognitiones artium, & facultatum practicarum non essent practicæ, cum non iudicent, quod bonum est facere aliquod opus, sed affirment alia obiecta; ex. gr. dantur in medicina innumerę cognitiones circa naturas morborum, & medicamentorum, nõ iudicantes quod bonum est facere aliquã actionem.
5. Videtur nec ad cognitionem practicam requiri, quod opus sit in potestate operantis. Si quis enim putans se posse volare, consultet de modo, ac statuat, *bonum est hic, & nunc volare*, hęc cognitio est practica, & tamen est de opere, quod non est in potestate cognoscentis.
6. Videtur non sufficere ad cognitionem practicam, quod sit cognitio, qualis definitur, sed vlterius requiri, quod habeat specialem modum tendendi, quem experimur,

& exprimimus per gerundium in *dum*, dicendo ex.gr. *facienda est eleemosyna, facienda est statua*. Quod verò requiratur specialis iste modus tendendi, probatur; nam cognitio practica nō potest differre à speculatiua per obiectum: nullum enim obiectum cognoscitur per cognitionem practicam, quod non possit cognosci per speculatiuam; ergo debet differre per modum tendendi; iste modus tendendi consistit in hoc, vt dicat, *est faciendum*; ergo cognitio practica requirit hunc modum tendendi. Confirmatur, quia omnis cognitio per modum indicatiuum habet pro fine veritatem, quam affirmat: sicut enim cognitio dicens, *cælum est incorruptibile*, habet pro fine veritatem, ita cognitio dicens, *bonum est dare eleemosynam* habet pro fine hanc veritatem; sed omnis cognitio habens pro fine veritatem est speculatiua, cū cognitio speculatiua definiatur, *quæ habet pro fine veritatē*; ergo cognitio per modū indicatiuū est speculatiua sed cognitio practica nō potest esse speculatiua: ergo nulla cognitio practica est per modū indicatiuū, sed per *gerundium in dum*: cognitio verò dicens, *hoc est faciendum*, non habet pro fine veritatem, cum omnis veritas cognita sit antecedenter per cognitionem habentem modum indicatiuum; sed habet pro fine opus, & dirigit cognoscentem ad operan-

perandum per modum imperii.

7. Deberet explicari, quid ſit ſpeculari, quid conſultare, quinam actus includantur in conſultatione, vel ſpeculatione: an, & quo pacto tales actus ſint ſpeculatiui, vel practici; ſed hæc non explicantur; ergo &c.

8. Sequitur quod in Deo detur, & nō detur cognitio practica. Sequitur quod detur: nam omnis cognitio iudicans quod bonum eſt facere aliquod opus poſitū in poteſtate cognoſcentis non ſupponens illud vt factum eſt practica; ſed in Deo datur cognitio iudicans, quod bonum eſt mundum creare & redimere, non ſupponens talia opera vt facta, ſed vt poſita in poteſtate Dei; ergo datur in Deo cognitio practicà. Sequitur, quod non detur, quia cognitio practica debet habere pro fine opus ex *A*riſtotele, & omnibus; ſed nulla cognitio diuina vtpote identificata cum diuina eſſentia habet pro fine opus, ſed ipſa eſt vltimus finis omnium rerum, non habens alium finem, quam ſe ipſam; ergo nulla cognitio diuina eſt practica.

Reſpondeo optimam eſſe allatam definitionem cognitionis propriè practicę. Cum enim cognitio ſpecificetur ab obiecto, & à ſubiecto, ſeu cognoſcente, in definitione cognitionis practicæ debet explicari, quale ſit tum obiectum, tum ſubie-

ctum

ctum ipsius. Cum rursus non sufficiat ad hoc, vt cognitio habeat aliquod prædicatum, quod obiectum habeat proportionaliter idem prædicatum, sed requiratur, vt cognitio imitetur obiectum in eo prędicato; in definitione cognitionis practicę debet explicari prędicatum obiecti practici, quod quia cognitio imitatur, etiam ipsa est practica. Hæc autem omnia optimè præstantur in allata definitione. Primò explicatur obiectum per illa verba: *cognitio iudicans, quod bonum est facere aliquod opus*; sed veritas proponens, quod bonum est facere aliquod opus, est veritas practica, vt dictum est quæst. 10; ergo congruentissimè assignatur vt obiectum cognitionis practicæ veritas practica. Secundo explicatur quale debeat esse subiectum cognitionis practicæ per illa verba; *quod est in potestate cognoscentis*; significatur enim, quod cognoscens debet habere in sua potestate opus, quod proponitur; nam cognitio non potest inclinare, ac dirigere cognoscentem ad faciendum opus, quod facere non potest sed cognitio practica debet esse inclinatiua, ac directiua cognoscentis ad faciendum opus; ergo cognitio practica debet esse tanquam in subiecto in cognoscente habente opus propositum in sua potestate. Tertio exprimitur prędicatum, in quo cognitio practica debet

imitari obiectum practicum, vt accipiat esse practici, seu directiui, & inclinatiui. Veritas enim practica non supponit opus vt factum, sed ad opus supponitur: ex. gr. hæc veritas, *bonum est facere mundum*, non supponit mundum creatum, sed supponitur ad creationem mundi, cum mundus ideo fuerit creatus, quia bonum erat, vt crearetur, non ideo bonum fuerit, vt mundus crearetur, quia fuit creatus. Vt igitur cognitio accipiat ab obiecto practicitatem, non solum debet obiectum exprimere, sed preterea debet nō supponere opus vt factum: eo enim ipso, quod supponeret opus vt factum, non posset inclinare, ac dirigere cognoscentem ad opus faciendum, alioquin inclinaret ad faciendum factum. Quod si quæratur, quid requiratur, vt cognitio cognoscens, quod *bonum est facere aliquod opus existens in potestate operantis*, non supponat illud factum, dico requiri, ac sufficere, quod abstrahat ab existentia, vel non existentia operis. Eo enim ipso, quod ego cognosco, quod *bonum est dare eleemosynam*, cognitione, quæ abstrahat ab hoc, quod dem, vel non dem, talis cognitio non supponit eleemosynam vt factam; si verò non abstrahat, supponit determinatam alteram partem contradictionis, ideoque non potest dirigere. Ex defectu conditionis requisitę ex parte subiecti cognitio,

gnitio, quia dico, *bonum est creare mundum*, licet cognoscat veritatem practicam, non est practica, quia non potest me dirigere ad creandum, cum non possim creare. Ex defectu conditionis requisitæ ex parte cognitionis, cognitio, qua quis experiens se peccare, iudicat experimentaliter, quod *bonum est non facere tale peccatum*, non est practica respectu peccati, quod tunc fit, quia licet cognoscat veritatem practicam, non potest inclinare, vel dirigere ad non faciendum peccatum, quod supponit, ac experitur vt factum.

Ex cognitionibus, & iudiciis practicis quędam sunt vltimo practica, quędam non. Iudicia vltimo practica sunt, *quæ vltimo dirigunt ad electionem, atque executionem*. Iudicia practica non vltimò sunt *quæ dirigunt, sed non vltimo, ita vt requiratur aliquod aliud iudicium*. Sèd explicandum, quænam iudicia sint vltimo directiua ad electionem (nam de iis quæ vltimo dirigunt ad executionem agetur quæst. 12.) Dicendum quod iudicium vltimo directiuū ad electionem est *iudicium prudentiæ, quo iudicatur, quid omnibus pensatis hic, & nunc sit optimum in ordine ad obtinendum finem vltimum, quid teneat secundum locum, quid tertium, & sic deinceps*: ex. gr. cum quis hic, & nunc deliberat de statu vitę eligendo, iudicium vltimo directiuum est, quo iudi-

dicat: *hic ſtatus vitæ omnibus penſatis eſt mihi optimus ad conſequendam ſalutem æternam, hic alius tenet ſecundum locum, hic tertium &c.* Iudicium verò vltimo directiuum in ordine ad finem artis eſt, quo iudicatur quid optimum ſit hic, & nunc in ordine ad finem artis, ex.gr. ad ſtatuam faciendam, quid teneat ſecundum locum &c. Patet: nam eo ipſo, quod ego uideo, quid hic, & nunc omnibus penſatis eſt optimũ in ordine ad felicitaté, vel in ordine ad finẽ artis, quid teneat ſecundũ locum, quid tertium, ſufficientiſſimè dirigor ad operandum, vel per prudentiam in ordine ad finem vltimum, vel per artem in ordine ad finem particularem: qui verò non ſufficienter dirigitur, non videt adhuc quid optimum ſit &c. Licet autem quidam exiſtiment iudicium dictans aliquid eſſe optimum in ordine ad finem, eo ipſo determinare voluntatem ad electionem optimam, eo quod nequeat voluntas relicto optimo, vel meliori, eligere minus bonũ; certum tamen eſt poſſe volũtatem creatã propter ſuam defectibilitaté eligere deterius, relicto meliori, & de facto quoties peccamus, eligimus peccatum, iudicantes, quod melius eſt non peccare: vnde cecinit ille,

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor

Si tamen quis ante consultationem statuisset firmiter eligere optimum, & perseueraret in tali determinatione, eo ipso iudicium repræsentans aliquid esse optimum determinaret electionem, quæ proinde non esset libera, saltem noua libertate.

Definita veritate, & cognitione practica, ac speculatiua, facilè est definire facultates practicas, & speculatiuas, atque earum differentiam explicare. Facultas igitur speculatiua est *quæ contemplatur obiectum, quærens circa illud veritates speculatiuas ex fine sciendi*: practica est *quæ contemplatur obiectum, quærens circa illud veritates practicas, quibus dirigi possit ad faciendum opus propositum*. Ex gr. facultas contemplans cælum est speculatiua, quia contemplatur cęlum, quęrens circa illud veritates speculatiuas, quales sunt, *an Cæli sint animati; an sint corruptibiles &c*, ex fine illas sciendi: è conuerso statuaria est facultas practica, quia contemplatur statuam, inquirens circa illam veritates practicas, ex. gr. quomodo marmor sit elaborandum &c. quibus dirigi possit ad statuam faciendam. Ex hoc diuerso fine sciendi, & operandi, quem habent facultates speculatiuæ, & practicæ, sequitur in illis diuersus modus procedendi. Quia enim finis speculatiuarum est scire; vni-

uersalia verò magis sunt scibilia, quam singularia, quærunt præcipuè cognitionē vniuersalem, & vtuntur inductione singularium ad acquirendam cognitionem vniuersalium, in qua quiescunt. E conuerso quia finis practicarum est opus; singularia autem sunt operabilia, non vniuersalia: neque enim efficitur statua vniuersalis, sed singularis, nec sanatur homo vniuersalis, sed singularis, vt sępè Aristoteles docet; ideo facultates practicę quęrunt cognitionem singularium, cognitionibus verò vniuersalibus vtuntur tanquam principiis ad acquirendam cognitionem singularium, in qua quiescunt, tanquam in cognitione proximè directiua ad operandum.

Ad 1. Optimè docet Aristoteles locis citatis, quod intellectus speculatiuus, & practicus differunt fine, quia intellectus speculatiuus contemplatur obiectum, quærens veritates speculatiuas ex fine sciendi: practicus contemplatur, quęrens practicas, vt dirigatur ad operandum. Optimè etiam docet, quod intellectus speculatiuus contemplatur quę aliter se habere non possunt respectu nostri; practicus, quæ aliter se habere possunt. Nam intellectus speculatiuus quærit veritates speculatiuas, quæ ante scientiam quæsitā supponuntur iam esse ita determinatæ,

vt non possint aliter se habere : exem.gr. dum quæro, an Petrus sit mortuus, suppono, quod iam sit ita determinata altera pars contradictionis *est mortuus, non est mortuus*, vt saltem necessitate consequente non possit aliter se habere; at intellectus practicus contemplatur præcipuè opus faciendum, quod supponitur posse aliter se habere, ac in nostra esse potestate illud facere, vel non facere. Optimè docet, quod intellectus speculatiuus cōtemplatur vniuersalia, practicus singularia, intelligendo quod quia ille habet pro fine scientiam, querit præcipuè cognitioné vniuersaliū, quę sunt maximè scibilia, licet ad eam acquirendam vtatur etiam cognitione, & inductione singularium; hic verò quia habet pro fine opus, & cognitionem ad id dirigentem, quęrit præcipuè cognitionem singularium, quæ est maximè directiua, licet ad eam obtinendam vtatur etiam cognitione principiorum vniuersalium. Demum optimè definit, cognitionem speculatiuam, *quæ habet pro fine veritatem*, subintellige *sistendo in ea*, practicam, *quæ habet pro fine opus*. Nam cognitio practica, eo ipso, quod est inclinatiua, & directiua ad operandum, in quantum cognoscit obiectum inclinatiuum ad faciendum opus propositum, habet naturaliter, & intrinsecè pro fine opus, eo pacto, quo grauitas

inclinatiua ad centrum habet pro fine centrum; cognitio verò speculatiua eo ipso, quòd non est inclinatiua ad operandum, habet pro fine, in quo quiescat, veritatem cognitam. Allata igitur definitio non est contraria Aristotelicæ, sed est eius explicatio, dum declarat, quale obiectum, ac subiectum debet habere cognitio, ad hoc vt habeat naturaliter pro fine opus, vel ad hoc, vt habeat naturaliter pro fine solam veritatem.

Ad 2. Optima est definitio cognitionis practicæ, *quæ est directiua ad operandum*: sed in nostra explicatur obiectum, ac subiectum, quę debet habere cognitio, vt sit directiua.

Ad 3. Sensus illarum propositionum *Syllogismus in Barbara est ita faciendus, marmor est ita elaborandum* est *ad faciendum syllogismum in Barbara bonum, ac necessarium est quærere, & inuenire tres propositiones vniuersales affirmatiuas, & tres terminos, illosque disponere in prima figura: ad faciendam statuam bonum, ac vtile est ita marmor elaborare, ac tales motus exercere*; ergo verè affirmant, quod bonum est facere aliquas actiones, sumendo ly *bonum*, in quantum comprehendit etiam bonum vtile, ac necessarium ad finem obtinendum.

Ad 4. Vltra cognitionem practicam ex obiecto, & fine intrinseco, ac naturali, quam

quam solam hic definimus, datur etiam cognitio practica ex fine extrinseco voluntatis. Ex.gr. cum quis ex fine faciendi statuam contemplatur, an marmor sit durum, vel molle, cognitio, qua iudicat id esse durum, quæ ex obiecto est speculatiua, est practica ex fine extrinseco, quia licet, cum non cognoscat bonum operandi, quod solum habet vim inclinandi, non sit inclinatiua ad operandum, atque adeo naturaliter, & intrinsecè non habeat pro fine operationem, adhuc extrinsecè habet pro fine operationem, in quantum ordinatur á voluntate ad finem operandi. Multæ autem ex istis cognitionibus practicis non ex obiecto, sed ex fine extrinseco voluntatis, aut habitus, dantur in artibus, quæ cognitiones vtpote ex obiecto speculatiuę, per se spectant ad scientias speculatiuas, eo pacto, quo cognitiones speculatiuę de febribus, ac de marmoribus, per se spectant ad physicam, sub cuius obiecto continentur.

Ad 5. Cum quis putans volatum esse in sua potestate dicit, *bonum est volare sic, vel sic*, talis cognitio est practica solum putatiuè, quia putatur directiua, sed verè non est practica, quia verè non est directiua ad volandum. Addo talem cognitionem posse esse practicam respectu conatus volandi, qui verè est in potestate,

ſtate, & reſpectu plurium mediorum exiſtentium in poteſtate, quæ media poſſent poni, licet fruſtra ad obtinendum finem volatus naturaliter inconſequibilem.

Ad 6. Ad cognitionem, & iudicium vltimo practicum ſufficit, quod proponat, quid hic, & nunc omnibus penſatis ſit optimum, quid teneat ſecundum locum, quid tertium, quia eo ipſo, quod homo id ſciat, perfectiſſimè dirigitur ad eligendum: ergo non requiritur ſpecialis modus tendendi explicatus per gerundium in *dum*, ſed tales propoſitiones, *hoc eſt faciendum*, nihil aliud ſignificant, quam iſtę *bonum, aut neceſſarium eſt hoc facere, vel ſimpliciter, vel ad finem propoſitum*. Dum opponitur ad probandum, quod requiritur ſpecialis modus tendendi: cognitio practica non differt ab omni ſpeculatiua ex obiecto; ergo ex modo tendendi; ergo ex eo, quod practica habeat modum tendendi per gerundium in *dum*. Reſpondeo directè nego vltimam conſequentiam. Licet enim differat ex modo tendendi, non differt ex hoc, ſed ex alio, qui facile poſſet afferri.

Sed vt ſatisfaciam interrogationi, vtrū cognitio practica differat à ſpeculatiua ex obiecto, an ex modo tendendi; primo dico quod differt & ex obiecto, & ex modo tendendi. Differt ex obiecto, in quantum cognitio practica accipit ab obiecto modum

dum tendendi, & intrinsecam differentiam, per quam differt à speculatiua, & talis differentia debet explicari per obiectum, tanquam per suum specificatiuum extrinsecum. Differt etiam ex modo tendendi, in quantum differentia intrinseca, per quã quęlibet cognitio differt ab alia, est tendentia in obiectum, quę vocatur modus tendendi. Secundo dico, quod si sensus quæsiti sit, an quęcunque cognitio practica habeat aliquod obiectum diuersum à quacumque speculatiua, probabile est, quod quęlibet cognitio practica habeat aliquod obiectum materiale, vel formale diuersum à quacumque speculatiua, ita vt repugnet, quod ex duabus cognitionibus habentibus idem obiectum materiale, & formale, altera sit practica, altera speculatiua. Ex. gr cognitio, quã ego dico, *bonum est non peccare*, si non supponat peccatum, adeoque sit practica, differt ex obiecto formali à cognitione speculatiua qua dico, *bonum est non peccare*, ita vt supponat peccatum. Nam prima habet pro obiecto formali motiuo non peccatum ipsum, neque aliquid connexum essentialiter cum existentia peccati, sed potentiam peccandi, vel aliquid aliud coniungibile & cum peccato, & cum negatione peccati; secunda verò habet pro obiecto formali vel peccatum, vel aliquid

essentialiter connexum cum eius existentia. Ex hac verò differentia obiecti formalis oritur differentia ex modo tendendi. Nam quia cognitio non supponens peccatum habet obiectum formale coniungibile etiam cum non existentia peccati habet modum cognoscendi abstrahentem ab existentia, vel non existentia peccati; quia verò altera cognitio habet obiectum formale connexum cum peccato, habet modum tendendi non abstrahentem. Vno igitur verbo ad interrogationem, vtrum cognitio practica differat ab omni speculatiua ex obiecto, vel ex modo tendendi, dico, quod ab aliquibus differt ex obiecto materiali, ab aliis ex obiecto formali, ab aliis ex modo tendēdi præcisiuo variarum formalitatum, vel per quem vna abstrahat ab existentia operis altera non abstrahat, à nulla per modum tendendi specialem explicandum per *gerundium in dum*, non equiualentem propositioni de bono, ac necessario explicabili per modum indicatiuum.

Dum opponitur, quod omnis cognitio per modum indicatiuum habet pro fine veritatem, quam affirmat, distinguo: habet pro fine, in quo quiescat, nego; habet pro fine, in quo non quiescat, sed ordinetur ad vlteriorem finem operandi, concedo. Vt enim dictum est cognitio per modum

indi-

indicatiuum, quę est inclinatiua ad operandum, non quiescit in veritate practica, quam cognoscit, sed habet pro fine vlteriori operationem, ad quam est inclinatiua, eo pacto, quo grauitas, quia est inclinatiua ad centrum, habet pro fine centrum. Hinc patet differentia inter hanc cognitionē, *cælum est incorruptibile*, & hanc, *bonum est dare eleemosynam*. Vtraque habet pro fine veritatem cognitam; sed prima, quia non est immediatè, & ex obiecto inclinatiua ad operandum, habet ita pro fine veritatem cognitam, vt in ea sistat, ac quiescat, ideoque est speculatiua; secunda quia ex obiecto est inclinatiua, habet ita pro fine veritatem cognitam, vt in ea non sistat, ideoque est practica.

Ad 7. In quo petitur, vt explicetur, quid sit speculatio, & quid consultatio, & quos actus includant, dico quod speculatio est *inqusitio apprehensionum, iudiciorũ, ac mediorum, ex quibus sequatur aliqua veritas speculatiua*; ex. gr. cum quis speculatur, an Cęlum sit incorruptibile, inquirit media, & cognitiones, ex quibus sequatur vel hęc conclusio speculatiua; *ergo Cælum est incorruptibile*, vel hæc alia; *ergo non est incorruptibile*. Dixi *apprhensionum, vel iudiciorum*, quia aliquando speculamur, quęrentes principia per se nota, & tunc quærimus apprehensiones, ex quibus sequantur

tur cognitiones principiorum, non tamquam conclusiones ex præmissis, sed tamquam iudicia immediata ex apprehensionibus. Duplex autem potest assignari speculatio Prima est, qua speculamur aliquod obiectum, nulla certa quæstione proposita: vt cum quis speculatur cęlum, non proposita certa quęstione; & hæc solum est speculatio inchoata. Vt enim perficiatur debet proponi aliqua certa quæstio, ex.gr. *quid sit cælum, an sit animatum &c.* & hic est secundus modus speculationis, cum speculamur certa quęstione proposita, sed indifferentes ad vtramque partem contradictionis. Tertius est, cùm quęrimus cognitiones, ex quibus inferatur vna pars determinata contradictionis; ex. gr. cum quis conatur demonstrare diuinam existentiam, quęrens cognitiones, ex quibus sequatur hæc determinata conclusio; *ergo Deus existit.*

Consultatio est *inquisitio cognitionum, ex quibus sequatur cognitio practica, & directiua ad faciendum aliquod opus, quod supponitur esse in nostra potestate hic, & nunc.* Ex. gr. cum quis consultat, an ineat vitam ecclesiasticam, vel militarem, supponit id esse in sua potestate, & quęrit cognitiones practicas, quibus ad electionem dirigatur. Ad consultationem sufficit suppositio per meram suspicionem, quod id, de

quo

quo consultatur, sit in potestate, nec requiritur suppositio per cognitionem euidentem. Patet: cum enim quis consultat de modo acquirendi dignitatem à principe, non cognoscit euidenter, quod in sua potestate sit obtinere, cum non habeat dominium supra libertatem principis, sed solum habet suspicionem, quod possit obtinere. Cum verò euidenter cognoscimus aliquid non esse in nostra potestate, non possumus de eo consultare. Vt enim Aristoteles docet, *an Ilium sit captum, consultat nemo*, quia euidens est id à nobis non pendere. Similiter non potest aliquis proponere vt speculatiuam aliquam quęstionem, de qua euidens est, quod hic, & nunc pendet à sua potestate: ex. gr. miles in bello non potest speculari, an in his circunstantiis fugiat, nec nè, sed solum potest de eo consultare, quia euidenter experitur id esse in sua potestate. Si verò sit suspicio, quod aliquid non pendeat à nostra electione præsēti hic, & nunc, possumus circa illud proponere quęstionem speculatiuam, eo pacto, quo multi speculatiuè inquirunt de suis electionibus futuris, vt an sint electuri vitam ecclesiasticam, vel militarem, & ad id sciendum adhibent etiam media astrologię, magię, & alia illicita, & superstitiosa.

In

In consultatione, & speculatione plures actus volũtatis, & intellectus includuntur. Primus actus inclusus, vel præsuppositus ante ingressum speculationis est, quod aliqua veritas sit independens à nostra electione hic, & nunc. Neque enim possũ speculari, verum nunc ambulem, vel non, quia video euidenter id pendere hic, & nunc à mea electione. Secundus est curiositas sciendi aliquam veritatem, & applicatio intellectus ad inquirendum. Tertius inquisitio per excitationem specierũ, ac phantasmatum. Quartus inuentio, & iudicium de variis principiis, quæ suspicamur conducere ad soluendam propositam quæstionem. Vltimus inuentio veritatis, & illius sciẽtia: ex. gr. speculatio, an cœlum sit incorruptibile, terminatur actu scientiæ, quo concluditur; *ergo est incorruptibile*.

In consultatione primus actus est suppositio saltem suspicatiua, quod opus propositum pendeat à nobis. Secundus desiderium aliquid circa ipsum determinandi, & applicatio intellectus ad inquirendum ea, quæ possint dirigere ad determinationem. Tertius inuentio, & iudicium de multis ad determinationem conducentibus. Quartus collatio omnium inter se, & vltima determinatio, vel dilatio determinationis ad aliud tempus. Speculatio habet pro fi

ne

ne sciẽtiam, ideoque omnes actus in ipsa inclusi sunt speculatiui. Consultatio habet pro fine electionem voluntatis, ideoque omnes actus in illa inclusi sunt practici, saltem extrinsecè. Omnes actus practici sunt consultatiui.

Ad 8. Cognitio, quam Deus habet de se ipso, est speculatiua, cum non sit directiua ad ponendum Deum. Cognitio etiam, quam habet de creaturis, videns, quod aliqua existunt, aliqua non existunt, quę vocatur scientia visionis, est similiter speculatiua respectu illarum creaturarum quæ videtur vt existentes, vel vt non existentes, quia non potest dirigere ad ponendas creaturas, quas videt iam positas, licet fortasse visio vnius creaturæ vt positæ sit practica respectu alterius, à cuius existentia, vel non existentia abstrahit. Demum cognitio, qua Deus cognoscit creaturas, abstrahendo ab earum existentia actuali, (quæ cognitio si cognoscat veritates necessarias, vocatur scientia simplicis intelligentię, si veritates contingentes, & liberas, qualis est, quod *si miracula facta a Christo in Capharnao facta fuissent in Tyro, & Sydone, pœnitentiam egissent*, vocatur scientia media, est perfectissimè practica, & directiua, quia per illam Deus videt, qua bonitate sit bonum facere, vel non facere quamcumque creaturam in quibus-

cunque

cunque circũstantiis,& quę bona,vel mala sint secutura ex positione,vel non positione cuiuscumque creaturę ; ergo perfectissimè dirigit, & est perfectissimè practica. Non tamen est consultatiua , quia Deo repugnat consultatio, vtpote quæ includit quamdam inquisitionem , & quemdam motum,quę inquisitio repugnat Deo, qui cognoscit omnes veritates simplici intuitu sine vlla inquisitione , ac motu . Dum opponitur : ex *A*ristotele cognitio practica habet pro fine opus ; cognitio Diuina non habet pro fine opus ; ergo &c. Respondeo , quod cognitio practica habet pro fine opus , vel electionem determinatiuam operis: sic enim *A*ristoteles debet intelligi. Cognitio autem diuina , licet non habeat pro fine opus externum ex ratione allata , tamen habet pro fine electionem operis identificatam cum diuina essentia . Eo enim ipso,quod habeat pro fine diuinam essentiam , habet pro fine omnia identificata cum diuina essentia .



Vtrum

Vtrum ad executionem requiratur imperium rationis consequens electionem. Quæstio XII.

VIdetur non requiri, vt docent plures recentiores contra S. Thomam 1.2. quęst 17. artic. primo. 1. quia eo ipso, quod aliquis potens currere, velit efficaciter currere, determinatur proximè ad currendum, sine vllo alio actu intellectus consequente actum voluntatis; sed imperium rationis esset actus intellectus consequens imperium voluntatis; ergo imperium rationis non requiritur.

2. Imperare est proprium voluntatis; ergo intellectus non imperat, nec datur imperium rationis.

3. Hoc imperiũ explicaretur per verba imperatiui modi, quibus postquam voluntas fecit determinationem efficacem currendi, intellectus diceret *curre*; sed actus, quo intellectus diceret *curre*, haberet specialem modum tendendi non resolubilem in affirmationem, qua per modum indicatiuum affirmetur aliqua veritas consistens in compositione prædicati cum subiecto, qui modi tendendi non debent admitti; ergo &c.

4. Si requireretur imperium rationis

O quod

quod vocatur etiam imperium intimatiuum, maximè vt intimaret potentiis executiuis imperium voluntatis; sed potentię executiuę, ex. gr. potentia motiua non possunt percipere imperium voluntatis; frustra autem intimatur aliquid nõ potenti illud percipere; ergo non requiritur imperium rationis.

5. Imperium rationis deberet esse cognitio practica; sed cognitio practica proponit bonum operandi; ergo imperium rationis deberet proponere bonum exequendi; sed cognitio de bono exequendi non dirigit ad exequendum, nisi medio actu voluntatis; ergo post imperium rationis requiritur actus voluntatis, & proceditur in infinitum.

6. Postquam intellectus cognoscit, quid bonum sit facere per vltimum iudicium practicum, vt voluntas id eligat, non requiritur alia intimatio per cognitionem habentem specialem modum tendendi, ac dicentem, *hoc est faciendum*; ergo postquam voluntas elegit, vt potentiæ exteriores exequantur, non requiritur alia intimatio per actum intellectus dicentem, *exequere*.

7. Si postquam homo vult currere, nè exequatur cęco modo imperium voluntatis, requiritur actus rationis, quo dicat sibi imperium voluntatis, ac dirigat ad currendum;

rendum cum homo vult facere actum fi dei, nè cęco modo exequatur tale imperium, requiritur actus rationis, quo cognoscens se velle credere, dirigatur ad credendum, cum vult facere actum contritionis, nè faciat cęco modo, requiritur actus intellectus, quo cognoscens se velle, dirigatur ad faciendum actum contritionis. Ex hoc autem sequuntur plura incommoda, ac præsertim quod cognitio reflectat supra seipsam, & quod actus contritionis habeat aliquod motiuum creatū.

Respondeo, quod vt homo exequatur humano modo imperium voluntatis, requiritur imperium rationis consequens imperium voluntatis, quo sibi ipsi denunciet imperium voluntatis. Probatur: nam vt homo exequatur humano modo imperium voluntatis, debet exequi sciens, quid voluntas velit, & directus à tali scientia; eo enim ipso, quod exequeretur nesciens, vel non directus à scientia, exequeretur modo cęco, atque adeo non humano: ex. gr. si exequeretur motum, vel nesciens se velle, vel non directus à tali scientia, exequeretur quod voluntas vult modo cæco, & irrationali. Quod si exequatur imperium nesciens, exequatur cæco modo, per se patet. Quod verò si exequatur sciens quidem, sed non directus à scientia, adhuc exequatur irrationabiliter, &

cæcè, probatur; quia vt operatio fiat rationabiliter, & modo non cæco, non sufficit, quod procedat à sciente, sed requiritur etiam, vt reguletur à tali scientia: ita licet operationes nutritionis ex. gr. procederent ab aliquo sciente, & cogitante quo pacto nutriatur, adhuc quia non dirigerentur à tali scientia, procederent modo cęco, & irrationali; ergo etiamsi executio imperii voluntatis procedat à sciente imperium, tamen nisi dirigatur à scientia, procedet cęco modo, & irrationali; ergo vt exequamur imperiũ humano modo, hoc est non cæco, & irrationali, requiritur, vt exequamur sciẽtes quid voluntas velit, & directi à tali scientia; sed hęc scientia, & cognitio cognoscens quid voluntas velit, ac dirigens ad exequendum, est imperium rationis consequens imperium voluntatis, quo nobis ipsis denunciamus imperium voluntatis; imperium enim est actus, quo subditus dirigitur ad exequendum, intimando illi voluntatem superioris; homo verò cognoscens quid voluntas velit, intimat sibi ipsi imperiũ voluntatis, quę dominatur in homine, & per hoc se dirigit ad exequendũ; ergo vt homo exequatur humano modo imperiũ voluntatis, requiritur imperiũ rationis consequens imperium voluntatis, quo sibi ipsi denunciet tale imperium.

Confir-

Confirmatur,nam cum homo vult currere ex.gr.vel aliquid aliud facere, cognoſcit, & experitur ſe velle: volitio enim,cum ſit intimè præſens intellectui, neceſſario mouet illum ad cognitionem experimentalem ſui,ſicut obiectum viſibile præſens oculo mouet illum neceſſario ad viſionem ſui:alioquin ſequeretur,quod poſſet aliquis peccare neſciens ſe peccare,nec habens conſcientiæ remorſum, ſi actus peccati,qui eſt actus voluntatis,non neceſſario moueret ad cognitionem experimentalem ſui; nec eſſet verum, quod conſcientia accuſet nos de omnibus peccatis,& quod Deus iudicabit vnumquemque ſecundum accuſationem, & teſtimonium proprię conſcientię.Si enim aliquis peccaret neſciens ſe peccare, non poſſet conſcientia teſtimonium perhibere de peccato, quod neſcit. Rurſus hęc cognitio, qua aliquis volens currere experitur ſe velle currere, dirigit ad currendum. Cognitio enim regulæ, cui debet conformari operatio, dirigit ad operationem; ſed volitio currendi eſt regula, cui debet conformari operatio currendi, cum homo debeat currere prout vult; ergo cognitio talis volitionis eſt directiua ad currendum, præſertim quia niſi dirigeret curſum, conformaretur volitioni currendi cæco modo; ſed eo ipſo, quod

detur talis cognitio de actu voluntatis, & sit directiua, est imperium rationis, cum illi conueniat tota definitio imperii intimatiui; ergo requiritur imperium rationis.

Ad 1. Sicut cum Deus imperat aliquid angelo, imperium diuinum non determinat proximè angelum ad executionē, sed media intimatione, qua innotescat angelo, quam intimationem imperium diuinum essentialiter trahit; sic cum voluntas vult currere, imperium voluntatis non determinat proximè hominem ad exequendum, sed medio imperio rationis, siue intimatione, qua homo cognoscens imperium voluntatis dicit, atque intimat illud sibi, quam intimationem sua vi causat actus voluntatis, vtpote mouens intellectum ad cognitionem experimentalem sui. Nec frustra ponitur talis intimatio, cum requiratur, vt exequamur quod volumus modo non cęco, sed scientes.

Ad 2. Licet imperium primo determinatiuum ad operandum sit proprium voluntatis, quę est domina; imperium tamen denunciatiuum est proprium rationis. Denunciare enim est actus rationis, & homo cognoscens, quid voluntas velit, dicit, ac denunciat sibi voluntatis imperium, & sic exercet imperium denunciatiuum.

Ad 3.

Ad 3. Licet hoc imperium exprimatur per verba imperatiui modi, *fac hoc, curre, exequere*, tamen poteſt explicari per modũ indicatiuum, quo quis ſibi dicat, voluntas vult, vt curram. Talis enim actus cum intimet imperium voluntatis, & dirigat ad exequendum, eſt imperium rationis.

Ad 4. Sicut quando quis imperat ſeruo dicens, *vade in plateam*, denunciat ſeruo ſuam voluntatem, & licet ſeruus debeat ire in plateam per potentiam motiuam, denunciat imperium ſuę voluntatis non potentiæ motiuæ, quę non percipit, ſed ſeruo, qui percipit, & eſt operans, atque exequens principale *vt quod*, licet vtatur potentia motiua tanquam inſtrumento operante *vt quo*; ſic cum homo vult currere, denunciat per rationem imperiũ voluntatis non potentiæ motiuę, quæ non percipit, ſed ſibi ipſi, qui percipit, & eſt principale operans *vt quod*, exequens quod vult per potentiam motiuam, tanquam per inſtrumentum operans *vt quo*.

Ad 5. Cognitio practica dirigens ad electionem, quæ mouetur à ſolo bono, debet proponere bonum: at cognitio practica ſupponens iam electionem boni, & dirigens ad exequtionem eius, quod iam eſt electum, ac determinatum, non debet proponere bonum, ſed imperium, ac electionẽ, purè denunciando, quid voluntas velit.

Ad 6. Omnis actus intellectus cum certificet de sua existentia, est denunciatio sui ipsius, atque adeo non debet intimari per alium actum, quid intellectus iudicet faciendum: at actus voluntatis cum non sit cognitio, non potest per se ipsum certificare de sua existentia; ergo vt homo sciat quid velit, requiritur cognitio consequens voluntatem, qua cognoscat ipsum suum velle, quæ cognitio est denunciatio imperii. Quod verò actus intellectus certificet de existentia sui ipsius, probatur, quia omnis actus intellectus relinquit memoriā sui; sed memoria est de obiecto vt ante cognito; ergo actus intellectus, quando existit, cognoscitur; non per alium actum, nam de hoc alio actu redit difficultas, quo pacto relinquat memoriam sui, nisi cognoscat se ipsum; ergo actus intellectus, cum existit, per se ipsum certificat de sua existentia. Confirmatur, & explicatur argumentum: nam memoria est de obiecto vt cognito; ergo non solum est memoria obiecti, sed etiam cognitionis habitę de obiecto; sed quod cadit sub memoriam, cadit vt ante cognitum; ergo ipsa cognitio cadit sub memoriam vt ante cognita; ergo nisi cognitio cadit sub memoriā vt ante cognita per se ipsam, cadit vt cognita per aliam cognitionem reflexam; ergo etiam illa

cogni-

cognitio reflexa cadit sub memoriam; ergo vt cognita per aliam reflexam, & sic in infinitum, atque adeo datur memoria de infinitis cognitionibus reflexis, quod implicat. Nec verò repugnat, quod cognitio habens suum obiectum fundamentale reflectat supra se ipsam, licet repugnet, quod cognitio cognoscat se ipsam & nihil aliud: ex. gr. repugnat, quod cognitio cognoscat se cognoscere, & nunquam afferatur obiectum fundamentale, quod cognoscit: at quod cognitio cognoscens Deum cognoscat etiam se existere, non repugnat, nec est inexplicabilis, sed explicatur vno verbo, dicendo, quod est cognitio cognoscens directè Deum existere, & reflexè quod existit talis cognitio Dei.

Ad 7. Verum est, quod sicut cum homo vult currere, dirigitur ad currendum à cognitione de voluntate currendi, quam habet, sic cum vult credere, dirigitur ad credendum à cognitione, quam habet de sua voluntate credendi, & cum vult facere actum contritionis, à cognitione de voluntate faciendi talem actum contritionis; alioquin exequeretur imperium voluntatis cæco modo, vel nesciens quid velit, vel sciens, sed non directus à scientia ad exequendum. Iam potest quæri, quo pacto cognitio de imperio volun-

tatis dirigat actum imperatum tum fidei, tum contritionis (idemque valet de cæteris actibus imperatis intellectus, aut voluntatis) an dirigat ita, vt ſit obiectum actus imperati directi, an ita, vt non ſit obiectum. Probabilius eſt, quod dirigat ita, vt non ſit obiectum. Primo quia vt homo exequatur imperium modo non cęco, ſufficit, quod ipſe cognoſcat imperium, non requiritur, vt executio cognoſcat imperium; nam profectò executiones, quæ non ſunt actus intellectus, non cognoſcunt imperium. Secundo quia cum voluntas imperat efficaciter aliquem actum, ex. gr. actum fidei, vel contritionis, imperat actum circa motiuum, & obiectum adæquatum iam ſufficienter propoſitum, non autem proponit volitionem vt nouum obiectum, aut motiuum; ergo debet reſultare actus imperatus circa obiectum, & motiuum pręſcriptum à voluntate, non autē circa actum voluntatis; ſed imperium rationis dirigit merè ad executionem actus imperati à voluntate; ergo dirigit merè ad faciendum actum circa obiectum præſcriptum à voluntate, non autem circa imperium præſcribens, vel eius intimationem. Ex hoc verò ceſſant difficultates indicatæ in argumento, quod actus fidei, & contritionis haberent obiectum formale ſaltem partiale

creatum, hoc est ipsum imperium rationis, & voluntatis, ac reflecterent supra se ipsos, cum haberent pro obiecto imperium imperans tales actus, quę supponunt, quod imperium sit obiectum.

Vtrum quatuor facultates primariæ sint speculatiuæ, vel practicæ. *Quæstio* XIII.

PRimo videtur, quod nulla ex iis sit partim practica, sed omnes totaliter speculatiuæ. Metaphysica enim, & physica sunt totaliter speculatiuę; sed eadem est ratio de duabus reliquis; ergo omnes sunt totaliter speculatiuæ.

2. Facultates speculatiuæ, & practicæ non possunt habere vnitatem, cum non habeant vnum finem, & vnum obiectum attributionis, à quo desumitur vnitas facultatis; sed omnes quatuor facultates primariæ habent vnitatem; ergo vel sunt totaliter speculatiuæ, vel totaliter practicæ.

3. Videtur, quod logica sit totaliter practica. Moralis enim versans circa ens morale est totaliter practica; ergo etiam logica versans circa ens rationis.

4. Videtur, quod logica sit totaliter speculatiua. Si enim esset partim practica,

haberet pro fine praxim; sed actus intellectus, quos logica habet pro fine, non sunt praxis; ergo logica secundum nullam partem est practica. Probatur minor, quod nimirum actus intellectus non sint praxis triplici argumento Scoti. Primo praxis *est actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici iuxta regulas rationis*; ergo actus intellectus non sunt praxis. Secundo ex Aristotele intellectus extensione fit practicus; sed non potest extendi ad actus proprios, sed solum ad actus aliarum potentiarum; ergo actus intellectus non sunt praxis, sed solũ sunt praxis actus aliarum potentiarum. Tertio nulla speculatio est praxis: praxis enim, & speculatio videntur opponi; omnis actus intellectus est speculatio; ergo nullus actus intellectus est praxis. Confirmari potest; quia habitus habens pro fine speculationem veritatis est speculatiuus; logica habet pro fine speculationem veritatis, ad quam dirigit; ergo est speculatiua.

Respondeo quatuor facultates primarias esse speculatiuas saltem partialiter. Obiecto enim speculabili per specialem modum cognoscendi, habentem speciale difficultatem correspondet facultas speculatiua illius; sed obiecta attributionis quatuor scientiarum, nimirum ens na-

turale, extensum, transnaturale, & intentionale sunt speculabilia, cum contineant multas veritates speculatiuas, hoc est nō inclinatiuas ad operandum, vniuersales, & à nobis independentes; & sunt speculabilia speciali modo cognoscendi habente specialem difficultatem, vt dictum est quæst. 6; ergo quatuor facultates illis correspondentes sunt saltē partialiter speculatiuæ, & ita sua obiecta contemplantur, vt querant circa illa veritates speculatiuas ex fine sciendi. Confirmatur, quia negari non potest, quin in logica Aristotelica sint plures speculationes; sed illæ non spectant ad animasticam, vel aliam scientiam, vt dicunt aduersarii, sed ad facultatem specialem, vt probatum est; ergo logica saltem partialiter est speculatiua, vt docent Thomistę, & Scotistæ contra plures recentiores existimantes illam esse totaliter practicam.

2. Dico mathematicam, & logicam esse partim speculatiuas, & partim practicas. Probatur, quia facultates, quæ non solum contemplantur obiectum, querentes circa illud veritates speculatiuas ex fine sciendi, sed etiam extenduntur ad quærendas veritates practicas, quibus dirigi possint ad operandum, hac extensione fiunt practicæ, ideoque sunt partim practicæ; sed logica extenditur etiam ad querendas veritates

ritates practicas, quibus dirigatur ad definiendum, diuidendum, argumentandum, demonstrandum; mathematica à contemplatione speculatiua numerorum per arithmeticam extenditur ad quęrendas veritates, regulas, & præcepta practica, quibus dirigatur ad computandum, & ad deprehendēdos numeros resultātes ex additione, subtractione, multiplicatione, & diuisione, à contemplatione speculatiua magnitudinum extenditur ad quærendas veritates practicas, regulas, & præcepta, quibus dirigatur ad ducendas lineas, faciendos angulos, & figuras, deprehendendas mensuras rerum, & locorum; ergo logica, & mathematica sunt partim practicæ. Et confirmatur, quia communiter vltra arithmeticam, & geometriam speculatiuam, ponitur practica, & mathematici in suis libris solent distinguere partem speculatiuam à practica. Quod dixi de scientiis mathematicis puris, quales sunt arithmetica, & geometria, proportionaliter est dicendū de mixtis enumeratis capite 8.

3. Dico physicam, & metaphysicam esse totaliter speculatiuas. Quærunt enim circa suum obiectum veritates purè speculatiuas ex fine sciendi, nec extenduntur ad quęrendas practicas, sed talem extensionem relinquunt facultatibus inferiori-

ferioribus, eo pacto, quo physica relinquit medicinæ extensionem ad quærendas veritates practicas conducentes ad sanandum corpus humanum.

Infertur obiter theologiam scholasticã esse partim speculatiuã, & partim practicam. Nam non solum quærit veritates speculatiuas ex fine sciendi, sed etiam extenditur ad quęrendas practicas, quibus dirigatur ad benè operandum.

Ad 1. Physica, & metaphysica sunt totaliter speculatiuæ, quia non extenduntur ad quærendas veritates practicas, quibus dirigantur ad operandum, sed totam extensionem relinquũt facultatibus inferioribus habentibus aliud nomen, ex. gr. medicinę, alchimiæ, statuariæ. At logica, & mathematica ipsæmet retinentes nomen extenduntur ad quærendas cognitiones practicas. Si verò quęratur, cur logica, & mathematica extendantur ad quęrendas veritates practicas, non verò physica. Respondeo rationem esse, quia extensio à veritatibus physicis ad praxim ex. gr. ad medicandum, ad exercendam alchimiam &c. continet difficultatem valde diuersam à difficultate contemplandi, & postulat institutum valdè diuersum ab instituto contemplantis, vt per se patet At extensio logicę, & mathematicæ à quærendis veritatibus contemplatiuis ad

opus

opus computandi, mensurandi, ducendi lineas, definiendi argumentandi &c. non continet difficultatem valdè diuersam, nec postulat diuersum institutum vitæ.

Ad 2. Facultates speculatiuæ, & practicæ non possunt habere vnitatem perfectam, quę desumitur ex fine: at possunt habere vnitatem quandam per continuationem doctrinæ, qua paulatim à speculatione descendatur ad præcepta; hęc autē sola vnitas datur in logica, & mathematica, in quantum integrantur ex parte speculatiua, & practica.

Ad 3. Non est absurdum, quod etiam moralis sit partim speculatiua, cum ens morale, quod est eius obiectum, sit speculabile per specialem modum cognoscendi habentem specialem difficultatem, vt dictum est quęst. 6. ad 8. Addo posse dici, quod moralis sit totaliter practica, quia eius obiectum attributionis, quod est ens morale, est ens practicum, hoc est inclinatiuum ad operandum, cum contineat formaliter ipsam rationem boni, vel mali agibilis, quę sunt rationes inclinatiuæ ad operandum: at ens rationis secundum se precisè, cum non contineat rationem boni, non est practicum.

Ad 4. Logica habet pro fine praxim, quia actus intellectus, quos habet pro fine, nimirum definitio, syllogismus &c. sunt

sunt praxis. Dum Scotus opponit definitionem praxis, qua definitur, *operatio alterius potentiæ ab intellectu,* dico hanc particulam gratis additam à Scoto, ab aliis auctoribus reiici. Definitur ergo praxis *operatio regulabilis per præcepta rationis*. Et quia non solum operationes aliarum potentiarum, ex. gr. operatio saltandi, pingendi, scribendi &c. sunt regulabiles per præcepta rationis, sed etiam operationes intellectus definiendi, diuidendi, argumentandi &c. sunt regulabiles, & de facto regulantur per præcepta logicæ; ideo etiam operationes intellectus sunt praxis. Dum secundo opponit: intellectus extensione fit practicus; non extenditur ad actus proprios; ergo &c. Distinguo minorem: non extenditur ab vno actu proprio ad alium, nego: ab vno ad eundem, concedo. Explicatum est, quo pacto intellectus fiat practicus, dum à quærendis veritatibus speculatiuis extenditur ad quęrendas practicas per actus, qui proinde sunt practici. Dum tertio opponit: nulla speculatio est praxis, distinguo: nulla speculatio est praxis respectu obiecti, quod speculatur, concedo; respectu præcepti, à quo dirigitur, nego. Syllogismus demonstratiuus de cælo non est praxis respectu cæli, at respectu precepti, quo regulatur est praxis. Repugnat igitur,

quod

quod idem sit speculatio, & praxis respe- ctu eiusdem: at non repugnat quod sit speculatio obiecti, in quantum contemplatur illud ex fine sciendi; & simul sit praxis, & executio præcepti, in quantum regulatur per præceptum.

Ad confirmationem: habitus habens pro fine speculationem veritatis est speculatiuus; distinguo; habitus habens pro fine speculationem veritatis vt regulabilẽ per sua præcepta est speculatiuus, nego: habens pro fine speculationem veritatis vt actum eliciendum, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Diuerso modo habet pro fine speculationem veritatis physica ex. gr. ac logica practica. Physica habet pro fine speculationem vt eliciendam; cum ipsa eliciat actus contemplatiuos ex fine sciendi, ideoque est speculatiua. Logica habet pro fine speculationem veritatis, non vt eliciendam, sed vt regulandam per sua præcepta; sed speculatio vt regulabilis est praxis; ergo habet pro fine praxim; ergo est practica; præsertim cum actus eliciti sint præcepta, quæ sunt cognitiones practicę; ergo elicit cognitiones practicas; ergo est practica.

Vtrum

Vtrum cognitio speculatiua sit nobilior practica. Quæstio XIV.

VIdetur quod non 1 quia vel cognitio speculatiua est nobilior ex toto genere, ita vt omnis cognitio speculatiua sit nobilior qualibet practica, eo pacto, quo intellectiuum est perfectius non intellectiuo ex toto genere, quia quodcunque intellectiuum est perfectius quolibet non intellectiuo; vel est perfectior solum ex genere, eo quod detur aliqua cognitio speculatiua perfectior qualibet practica, eo pacto, quo incorruptibile est perfectius corruptibili ex genere, eo quod licet cælum incorruptibile, sit imperfectius homine corruptibili, datur aliquid incorruptibile, nimirum Deus, & angeli, perfectiores quocunque corruptibili; non est perfectior ex toto genere; datur enim aliqua cognitio practica perfectior aliqua cognitione speculatiua de obiecto vilissimo: non est perfectior ex genere; nam in Deo datur cognitio practica; sed nulla cognitio est perfectior cognitione diuina vtpote infinitè perfecta; ergo nulla cognitio speculatiua est perfectior qualibet practica. Si verò dicatur sermonem

esse de solis cognitionibus creatis: contra est, quia visio beatifica est practica, cum per illam beati cognoscant, quod bonum est faciendum, malum fugiendum; sed nulla cognitio creata est perfectior visione beatifica; ergo nulla cognitio creata speculatiua est perfectior qualibet practica creata.

2. Cognitio speculatiua ita cognoscit veritatem, vt sit inutilis ad operandum: cognitio practica ita cognoscit; vt sit vtilis; sed vtile est perfectius; & melius inutili; ergo cognitio practica est perfectior, & melior speculatiua.

3. Nullum obiectum est perfectius ipso bono; cognitio practica cognoscit ipsam rationem boni; ergo cognoscit obiectū perfectissimum, ac proinde est perfectissima: præsertim, cum veritates practicæ, cuiusmodi sunt, *bonum est faciendum, malū est fugiendum* sint necessarię, & æternę, ac proinde cum Deo identificatę, vt dicetur in quæstionibus de possibilitate.

4. Quod imperat alteri perfectius est illo: prudentia, quæ est practica, imperat etiam scientiis speculatiuis; ergo est perfectior scientiis speculatiuis.

Respondeo, quod cum cognitiones speculatiuæ non sint perfectiores practicis ex toto genere, vt bene ptobatur in 1. argumento, solum possunt esse perfectiores

ex

ex genere. Quia tamen cognitio diuina, & fortasse etiam visio beatifica creata est speculatiua simul, & practica, dum dicitur, quod aliqua cognitio speculatiua est perfectior qualibet practica, debet intelligi de practica, quę non sit simul speculatiua, ita vt sensus sit; datur aliqua cognitio creata purè speculatiua, & non practica perfectior quacumque cognitione purè practica. Probatur autem: cognitiones, quæ tantam continent bonitatem, vt seclusa quacumque vtilitate, quam afferant, ratione sui præcisè sint valde expetibiles, sũt multo perfectiores cognitionibus, quę seclusa vtilitate parum, aut nihil sunt à nobis expetibiles; sed cognitiones purè speculatiuę physicę, metaphysicę, & mathematicæ, seclusa omni vtilitate, sunt vehementissimè expetibiles, ideoque ex sola curiositate sciendi alliciunt homines ad has scientias ingentibus laboribus comparandas: cognitiones purè practicę, quod bonum sit facere hoc, & illud, expetuntur tantum, vt vtiles ad opus, nec multum mouent curiositatem ratione sui pręcisè; ergo cognitiones purè speculatiuę sunt ex genere perfectiores cognitionibus purè practicis. Ideo hoc argumento vtitur Aristoteles 1. metaphysicæ ad probandum scientias speculatiuas esse perfectiores practicis, quia spe-

ſpeculatiuæ quæruntur gratia ſui, practicę gratia ſui parum, aut nihil expetuntur, ſed quæruntur ſolum gratia operis. Hinc infert ſcientias ſpeculatiuas eſſe quaſi liberas, quia liber eſt gratia ſui; practicas quaſi ſeruas, quia ſeruus eſt gratia alterius.

Ratio à priori eſt, quia cognitiones cognoſcentes veritates priores, ac radicales, ex quibus aliæ in feruntur, ſunt perfectiores cognitionibus cognoſcẽtibus veritates ſecũdas, & quę inferuntur ex aliis; ſed hęc veritas *bonũ eſt hoc, vel illud facere*, eſt veritas ſecundaria illata ex aliis veritatibus prioribus, quibus exprimitur natura rerum; ex. gr. hæc veritas *bonum eſt amare Deum*, in fertur ex alia veritate, *Deus eſt optimus, & perfectiſſimus*; ergo cognitiones practicę vtpote repræſentantes veritates ſecundarias, ſunt minus perfectę ſpeculatiuis cognoſcentibus primarias; ideoque cognitiones practicæ minus expetuntur ratione ſui, & minus alliciunt curioſitatẽ, quam ſpeculatiuæ.

Ad 1. Iam dictum eſt comparari cognitiones purè ſpeculatiuas cum purè practicis, quales non ſunt cognitio diuina, & viſio beata, quæ ſupponuntur ſpeculatiuæ ſimul, & practicę reſpectu diuersorum.

Ad 2. Cognitio vtilis eſt melior inutili

cili, si cætera sint paria : at in casu nostro cætera non sunt paria : multæ enim cognitiones speculatiuę ratione sui præcisè sunt expetibiliores omnibus cognitionibus purè practicis, quia cognoscunt veritates priores, ac magis radicales, vt dictum est.

Ad 3. Distinguo maiorem : nullum obiectum est perfectius ad contemplandum bono primario, & radicali, concedo; bono illato, nego: distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Dum quærimus, quænam veritas necessaria sit perfectior, nō quærimus, quænā veritas necessaria secundum se sit perfectior, cū omnes supponātur identificatæ inuicē, & cū essentia diuina, vt dicetur quæstione 47 de possibilitate obiectiua ; sed quærimus, quænam sit perfectior ad contemplandum secundum nostrum modum contemplandi præcisiuum, quo vnam veritatem inferimus ex alia distincta solum per intellectum. In hoc sensu veritates priores, & magis radicales sunt perfectiores. Et quia veritates practicæ, quibus exprimitur bonum operandi, sunt secundariæ, & inferuntur ex aliis, ideo non sunt perfectissimæ ad contemplandum, sed perfectissima omnium est veritas speculatiua, qua exprimitur dari Deum, & esse optimum, ac pelagus omnium omninò perfectio-

ctionum. Hinc patet, quod licet veritates practicæ sint necessariȩ,& identificatæ cum speculatiuis, tamen sunt imperfectiores speculatiuis, non secundum se, sed ad contemplandum, in quantum fundant contemplationem præcisiuam sui imperfectiorem contemplatione prȩcisiua speculatiuarum.

Ad 4. Quod imperat alteri perfectius est illo, distinguo: quod imperat alteri habens id pro fine, nego; quod imperat alteri non habens id pro fine, sed ordinans ad alium finem, transeat; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Quod imperat alteri habens id pro fine, eo pacto, quo Præfectus sacrarum ceremoniarum imperat Pontifici, habens pro fine ipsum Pontificé, in cuius bonum imperat, non semper perfectius est illo: at quod imperat alteri ordinans ad alium finem, eo pacto quo dominus præcipit seruo, est perfectius illo. Prudentia imperat aliis facultatibus practicis, ordinans illas ad suum finem, hoc est ad felicitatem: ideo imperat sicut domina seruis, & perfectior est cæteris artibus. At eadem imperat facultatibus speculatiuis tanquam costituens suum finem, & felicitatem in operationibus facultatum speculatiuarum, ac præsertim in cognitione speculatiua Dei, in quantum

tum est optimum; ergo imperat sicut pręfectus ceremoniarum Pontifici, hoc est imperat subseruiendo. Cognitio verò speculatiua, in qua constituitur finis, pręstat practicę, quę habet illam pro fine, quia finis pręstat iis, quę non sunt finis.

Vtrum bona sit definitio, ac diuisio virtutum intellectualium.
Quæstio XV.

PRimo videtur non esse bona definitio, qua virtus, in quantum est genus commune virtuti intellectuali, & morali, definitur ex Aristotele 2. Eth. cap. 6. *habitus, qui facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit*; & ex eodem septimo Physicor. tex. 17. *dispositio perfecti ad optimum*. Deus enim est incapax habitus, ac dispositionis, & tamen habet virtutes; ergo &c.

2. Si aliquis habitus faciat bonum habentem, & tamen non sit operatiuus, atque adeo non faciat opus eius bonum, est virtus: similiter est virtus, si disponat ad benè operandum, licet non faciat habentem bonum; ergo non requiritur ad virtutem, vt faciat bonum habentem, & opus eius bonum reddat.

3. Videtur, quod virtus intellectus non

benè definiatur ex Aristotele 2. Eth. cap 6. *habitus quo affirmando, aut negando verum anima dicit.* Nam etiam per habitus fallibiles, ex. gr. per fidem humanam, & opinionem aliquando dicimus verum; sed habitus fallibiles non sunt virtus, vt Aristoteles docet; ergo non sufficit ad virtutem vt sit habitus, quo affirmando, aut negando verum anima dicit.

4. Videtur mala diuisio virtutis intellectualis in sapientiã, intellectum, scientiam, prudentiam, & artem. Sapientia enim continetur sub scientia tamquam sub genere; sed est mala diuisio, in qua vnum mẽbrum continetur in alio; ergo est mala diuisio virtutis intellectualis in scientiam, intellectum, sapientiam, & prudentiam, & artem.

5. Fides diuina est virtus, cum per illam infallibiliter verum dicamus; sed non reducitur ad vllam ex quinque numeratis; ergo virtutes sunt sex.

6. Etiam fides humana, qua credimus quod dicunt tot testes, vt faciant moralẽ euidentiam, ex. gr. quod datur Cõstantinopolis, est virtus; sed non reducitur ad vllam ex quinque; ergo &c.

Respondeo, ac primo dico optimam esse allatam definitionem, qua virtus describitur: *habitus, qui facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit.* Probatur; nam expli-

explicat genus proximum virtutis, quod est *habitus*, & eius propriam differentiam, qua differt à vitio, & habitibus mediis inter virtutem, & vitium. Nam vitium facit malum habentem, & opus eius malum reddit; habitus medii aliquando faciunt bonam, & aliquando malam operationem; virtus verò semper disponit ad bonam operationem, & facit bonum habentem. Et quia bonitas vniuscuiusque subiecti consistit in hoc, vt sit aptum ad finem: calamus enim tunc est bonus, cum est aptus ad scribendum, qui finis est calami; equus tunc est bonus, cum est aptus ad currendum, ad gestandum commodè sessorem, ad sustinendos hostes in bello, & ad alias operationes exercendas, quę sunt finis equi, oculus tunc est bonus, cum est aptus ad videndum; ideo virtus est, quæ reddit subiectum aptum ad finem. Quia rursus operatio subiecti tunc est bona, cum vel est finis, vel est apta ad finem, ideo virtus disponit subiectum ad faciendam operationem, quę vel sit finis, eo pacto, quo lumen glorię disponit beatum ad visionem beatificam, quę finis est hominis; vel conducat ad finem, eo pacto, quo cæteræ virtutes disponunt ad operationes, quæ conducunt ad finem felicitatis. In idem recidit altera definitio, qua virtus dicitur, *dispositio perfecti ad optimũ*.

Sensus enim est, quod virtus sit *dispositio habitualis*, hoc est permanens, & immobilis; *perfecti*, hoc est subiecti, quod per illam redditur perfectum, siue aptum ad finem; & quod sit *dispositio ad optimum*, hoc est ad operationem, quæ vel est finis, atque adeo optimum rei, vel conducit ad finem, siue optimum rei.

Hinc patet secundo optimam esse definitioné, qua virtus intellectualis definitur, *habitus, quo affirmando, aut negando, verum anima dicit*. Cum enim finis intellectus sit affirmando, vel negando verum dicere, eo ipso, quod habitus disponat ad dicendum verum, facit intellectum bonũ, hoc est aptum ad finem, & opus eius bonum reddit, hoc est verum, adeoque est virtus intellectus. Vitium verò intellectus est *habitus, quo anima affirmando, vel negando dicit falsum*. Habitus medii sunt, *quibus aliquando dicit verum, aliquando falsum.* Qui si plerumque dicunt verum, participant aliquid de ratione virtutis, ideoque sunt probabiles, & expetibiles intellectui, licet non attingant perfectionem virtutis, quæ consistit in hoc, vt per illam anima semper dicat verum, nunquam falsum.

Tertio dico optimam esse allatam diuisionem virtutis in quinque enumeratas, cum

cum poſſit reduci ad membra contradictoria. Vel enim eſt virtus intellectus ſpeculatiui, vel practici: ſi ſpeculatiui, vel conſiderat ſolum veritates per ſe notas, vel ſolum veritates per ſe non notas, vel ſimul veritates per ſe notas, & per ſe non notas, ordinans omnes omnino veritates; ſi ſolum veritates per ſe notas, quæ vocantur prima principia, eſt intellectus, ſiue habitus principiorum, qui conſiderat etiã ſingularia, vt per eorum inductionem inferat prima principia vniuerſalia; ſi ſolum veritates per ſe non notas, ſed inferibiles per ſyllogiſmum, eſt ſcientia; ſi ſimul veritates per ſe notas, & per ſe non notas, eſt ſapientia, vt etiam melius explicabitur quęſt. 16. 17. & 18. Si verò eſt virtus practica, adeoqne conſiderat veritates practicas, vel conſiderat veritates practicas dirigentes ad finem vltimnm, vel ad finem non vltimum, ſed ad aliquod opus particulare; ſi conſiderat conducentes ad finem vltimum, eſt prudentia; ſi ad non vltimum, eſt ars; ergo omnis virtus intellectus vel eſt intellectus, vel ſcientia, vel ſapientia, vel prudentia, vel ars.

Ad 1. In Deo non datur virtus formaliter ac ſtrictè, ſed eminenter, & latè, ac ſecluſis imperfectionibus. Virtus enim propriè, eſt perfectio ſupponens ſubiectũ imperfectum. Cum enim ſit habitus fa-

ciens habentem bonum, ac disponens ad operandum benè, supponit, quod subiectum per se ipsum non sit optimum, & perfectissimè determinatum ad optimè operandum. Sed diuina essentia per se ipsam est optima & perfectissima, imò est omnis bonitas, & perfectio, & est determinatissima ad optimè operandum; ergo est incapax virtutis. Possumus tamen definire virtutem, abstrahendo ab omni imperfectione ita, vt definitio competat Deo, dicentes, *virtus est, qua aliquid est bonum, & eius operatio est bona*: & quia Deus est optimus per diuinam essentiam, per quam etiam diuinæ operationes sunt optimæ; ideo Deus est omnis sua virtus. Virtus etiam intellectualis vt Deo competat definiri potest, *qua intellectus dicit verum*; & quia Deus per suam essentiam cognoscit omne verum, ideo essentia diuina est perfectissima virtus.

Ad 2. Virtus dicitur à *vi*, ideoque debet esse operatiua, ac proinde si daretur habitus non operatiuus, qui faceret subiectum bonum, qualem habitum putat S. Thomas esse gratiam sanctificantem, talis habitus non esset virtus. Virtus etiam eo ipso quod disponit subiectum ad operationem bonam disponit ad finem, adeoque conducit ad faciendum subiectnm bonum, & aptum ad finem; nisi tamen

inue-

inueniat in subiecto aliquod impedimentum, in quo casu non facit subiectum bonum per accidens, cum tamen per se, impedimento secluso, conducat ad faciendum bonum, & ad meliorandum in ordine ad finem.

Ad 3. Virtus est habitus intellectus, quo verum anima dicit semper, & infallibiliter. Sicut enim virtus voluntatis numquam potest efficere actum malum, & peccaminosum, ita virtus intellectus numquam potest efficere actum falsum; ideoque opinio, & fides humana non sunt virtus, quia contingit, vt per ipsas erremus, ac falsum dicamus, vt Aristoteles docet.

Ad 4. In hac diuisione intellectus sumitur pro habitu contemplante solas veritates per se notas; scientia est habitus contemplans solas veritates per se non notas; sapientia contemplatur veritates per se notas, & per se non notas, ideoque non continetur sub scientia, & sub intellectu tamquam species sub genere, sed potius continet eminenter & scientiam, & intellectum, vt colligitur ex Aristotelis doctrina.

Ad 5. Aristoteles enumerat solum virtutes naturales: fides autem diuina est quidem virtus intellectus, cum per illam dicamus verũ infallibiliter, sed supernaturalis.

Ad 6. Fides humana, qua credimus aliquid propter testes faciẽtes euidentiã, reducitur ad scientiam à posteriori, qua ex effectu inferimus causam. Quia enim dari non potest hic effectus, vt tot testes dicant dari Costantinopolim, quin detur Costantinopolis; datur autem hic effectus; ideo credo dari Constantinopolim, nihil, aut parum quoad hoc curans de veracitate dicentium. Propria verò fides est, qua credimus pręcipuè propter veracitatem dicentis; ideoque cum quis credit quod aliquis dicit dormiens, non credit per fidem, quia non credit propter eius veracitatem, sed quia hic effectus, *vt hic dicat*, videtur dari non posse quin res fuerit.

Vtrum intellectus sit habitus specialis colligens prima principia per inductionem singularium.

Quæstio XVI.

Videtur quod non, 1. quia prima principia sunt per se nota; sed si colligerentur ex inductione singularium, non essent per se nota, sed innotescerent per discursum, quo à singularibus procederemus, ad vniuersalia; ergo prima principia non colliguntur per inductionem singularium. Vel

2. Vel ex inductione singularium colliguntur principia nota ex terminis ante omnem experientiam, cuiusmodi sunt principia metaphysica, & mathematica, ex. gr. *omne totum est maius sua parte; si ab aequalibus aequalia demas, quae remanent sunt aequalia*; & hęc cum sint ex terminis nota, non indigent inductione; vel colliguntur solum principia nota per experientiam, qualia sunt physica, vt *omnis ignis est calidus*, & non apparet, quo pacto hęc colligantur per inductionem singularium; vel enim inducuntur omnia singularia, & hoc est impossibile, cum sint infinita; vel solum inducuntur aliqua, & ex aliquibus non potest euidenter inferri de omnibus: ex. gr. ex eo quod centum ignes, de quibus feci experientiam, sunt naturaliter calidi, quo pacto possum euidenter inferre, quod alii infiniti, de quibus experientiam non feci, sunt calidi. Quod enim aliqui dicunt illationem fieri hoc pacto: *hic ignis est calidus, hic est calidus*, & *sic de reliquis; ergo omnes sunt calidi*, non soluit difficultatem. Hoc enim ipsum quaeritur, quo pacto ex eo, quod ignes, quos sum expertus, sint calidi, euidenter inferam, quod alii infiniti, quos expertus non sum, sint calidi; ergo prima principia non possunt colligi ex inductione singularium.

3. Principia sunt plura, & diuersę ra-

tionis,cum alia ſint phyſica , alia mathematica, alia metaphyſica, alia logica ; ſed ad principia diuerſę rationis non ſufficit vnicus habitus ; ergo dantur plures habitus principiorum.

4. Per eumdem actum, per quem intellectus aſſentitur concluſioni per ſe non notę,aſſentitur etiam prę miſſis,ac principiis per ſe notis,ex quibus concluſionem infert; ſed intellectus per habitum ſcientię aſſentitur concluſioni per ſe non notę: ergo per eumdem aſſentitur principiis, per ſe notis;ergo habitus ſcientię eſt habitus aſſentiendi principiis ſimul, & concluſionibus;ergo fruſtra ponitur ſpecialis habitus intellectus aſſentiens ſolis principiis.

5. In aſſenſu veritatum per ſe notarum nulla eſt difficultas,cum per ſe ipſas moueant intellectum ad aſſenſum;ergo non requiritur habitus principiorum.

Reſpondeo prima principia neceſſario colligi per inductionem ſingularium, vt ex profeſſo docet, ac probat Ariſtoteles ſecundo poſt.tex.101. & quinque ſequentibus, concludens tex.106.per hęc verba: *manifeſtum igitur eſt, quoniam nobis prima inductione cognoſcere neceſſarium eſt :namque & ſenſus ſic vniuerſale facit*. Ratio,quam Ariſtoteles indicat, eſt. Non poſſumus formare apprehenſionem vniuerſalis,niſi id

id abſtrahamus ab apprehenſione ſingularium;ex.gr.non poſſumus abſtrahere apprehenſionem propriam albedinis,niſi experti ſimus hanc, & illam albedinem ſingularem; ergo non poſſumus formare iudicium de veritate vniuerſali, quin colligamus ex iudiciis de veritatibus ſingularibus: ex. gr. non poſſumus formare hoc iudicium, *omne totum &c.* quin colligamus ex iudiciis, quod hoc totum eſt maius;& hoc aliud eſt maius; ſed prima principia sũt veritates vniuerſales; definitur enim primũ principiũ,*veritas vniuerſalis,ac neceſſaria,quæ poteſt ſeipſam manifeſtare certo,& euidenter,abſque eo quod inferatur per ſyllogiſmũ ex notitijs aliarũ veritatum*; ergo prima principia neceſſario colliguntur per inductioné ſingulariũ. Hinc ſequitur, quod intellectus,ſiue habitus principiorũ eſt habitus per inductionem ſingulariũ colligens prima principia, hoc eſt veritates vniuerſales, & neceſſarias potentes ſe manifeſtare, abſque eo quod inferantur per ſyllogiſmum. Sequitur rurſus, quod talis habitus ſit ſpecialis, ac non idem cum habitu ſcientiæ. Cum enim eſt diuerſa difficultas, poni debet diuerſus habitus; ſed eſt diuerſa difficultas in colligendis principiis ex inductione ſingularium,ac ſit in concluſionibus inferendis ex principiis vniuerſalibus; ergo di-

uersus est habitus scientię inferens conclusiones, ac habitus intellectus colligens principia.

Quod verò magna sit difficultas in principiis colligẽdis, probatur primo à posteriori, quia paucissimi auctores sunt, qui inuenerint, ac statuerint prima principia artium, ac scientiarum, & hi censentur diuino plane ingenio fuisse: qui verò ex principiis inuentis conclusiones inferentes promouerint scientias, & artes, sunt plurimi, & censentur multo inferiores primis; ergo difficilius, ac diuinius est prima principia per inductionem inuenire, quam ex primis principiis conclusiones inferre; ac proinde habitus principiorum, vtpote diuinior, est distinctus ab habitu conclusionum. Secundo probatur, explicando quomodo se habeat intellectus in primis principiis colligendis: statim enim apparebit quãti laboris, ac ingenii negotium sit. Vt intellectus prima principia colligat, primo debet illa inquirere, & vt Aristoteles loquitur, venari per inductionem singularium, vtendo quatuor luminibus, *sensus, imaginationis* &c. Secundo, debet principiis inuentis assentiri certo & euidenter. Dum inquirit principia per inductionem, similis est cani venatico querenti feram. Sicut enim canis huc illuc discurrens, prout odorem percipit, secta-

sectatur feram; sic intellectus huc illuc discurrens per quendam motum cogitationis, prout ducitur, & regulatur à naturali sagacitate, quę est quasi odoratus mentis ad discernendum connexa ab inconnexis, sectatur prima principia. Dum verò primis principiis assentitur certo, & euidenter, similis est cani feram inuentam apprehendenti. Ad hanc principiorum venationem requiruntur duæ perfectiones intellectus: Prima est celeritas cognitionis, qua citissimè discurrat per plura obiecta. Secũda est sagacitas, qua discernat connexa ab inconnexis, sine qua frustra laboraret venando principia per obiecta inconnexa, sicut canis non discernens odorem feræ frustra currit huc, & illuc. Duo porro sunt genera principiorum. Quædam nota sunt omnibus, & passim occurrunt: ex. gr. *omne totum est maius sua parte: quodlibet vel est, vel non est.* Alia principia non passim occurrunt, nec nota sunt omnibus, sed solis sapientibus. Ad discernendam connexionem prędicati cum subiecto requiritur magna perspicacia, & subtilior, atque accuratior inductio multorum, quæ licet sint connexa, primo aspectu videntur inconnexa. Perfectio habitus principiorum consistit pręsertim in venandis principiis secundi generis; sicut perfectio canis venatici con-

sistit

ſiſtit in venanda fera, cum odor eſt tenuis, & vix ſentitur. Et ſicut aliquando contingit, vt vbi vnus canis non percipit odorem feræ, alius canis odoratu perfectiore præditus, percipiat; ſic intellectus perſpicacior, & habens perfectiorem habitum principiorum, percipit connexionem inter quoſdam terminos, inter quos intellectus minus perſpicax connexionem non percipit. Hinc oritur, vt *Ariſtoteles*, & S. Thomas dixerint quaſdam propoſitiones eſſe euidentes, quæ tamen ab aliis negantur: fortaſſe quia *Ariſtoteles*, & S. Thomas vtpote perſpicaciſſimi, videbant connexionem inter terminos, quam alii non aduertunt ex defectu perſpicaciæ. Cum igitur hoc negotium venandi principia ſit adeo difficile, non eſt mirum, ſi requiratur ſpecialis habitus principiorum.

Confirmatur ex diuiſione principiorũ: fiet enim manifeſtum, quod in quibuſdam venandis ſit magna difficultas. Diuidũtur primo ab Ariſtotele in principia communia, & propria. Communia ſunt, *quæ ita paſſim occurrunt, vt nota ſint omnibus, ideoque indiſcriminatim illis vtantur omnes ſcientiæ*. Huiuſmodi eſt illud: *omne totum* &c. Licet enim ex obiecto ſpectet ad metaphyſicã, tamen eſt commune ſcientiarum propter rationem indicatam. Propria ſunt, *quæ*

ſunt

sunt applicata subiectis particularibus vnius scientiæ, & cognoscibilia per speciale lumen ipsius, ideoque non omnibus nota, sed professoribus talis scientiæ. Talia multa sunt in geometria, arithmetica, physica &c. Principia scentiarum propria subdiuiduntur ab Aristotele in axiomata, seu dignitates, suppositiones, seu petitiones, & definitiones. Axioma, seu dignitas definitur ab Aristotele primo post. tex. 78. *quod necesse est esse verum*, & *necesse est videri*: ex. gr. *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*, est axioma, quia non solum necesse est talem propositionem esse veram, sed etiam necesse est primo aspectu videri veram. Suppositio est *propositio, quam necesse est esse veram, sed non necesse est primo aspectu videri veram omnibus, sed perspicacioribus post longiorem inductionem.* Tales suppositiones solent etiam vocari postulata. Quia enim possunt tironibus videri falsa, postulatur, vt ipsas concedant; futurum enim, vt post aduertant eorum euidentiam: & de his præsertim verificatur: *oportet addiscentem credere.* Exemplum postulatorum sunt postulata mathematica, ex. gr. quo petunt sibi concedi: quod *à puncto ad punctum potest duci linea recta.* Definitiones sunt, *quibus explicatur essentia eorum, de quibus agitur in scientia*, ex. gr. essentia circuli in geometria, essentia

naturę in physica,quæ penetrantibus terminos sunt per se notæ. Licet autem definitiones non contineant affirmationem formaliter, continent tamen æquiualenter,ideoque possunt poni in syllogismo præmissæ, in quibus definitio prædicatur de definito, vel definitum de definitione. Hinc igitur apparet necessitas habitus principiorum. Nam in venandis definitionibus,ac discernendis prędicatis essentialibus magna requiritur perspicacia,ac multiplex inductio.

Ad 1. Etiamsi prima principia innotescant per quendam discursum latè sumptum, quo intellectus à singularibus procedit ad vniuersalia, adhuc sunt veritates per se notæ,quia in hoc discursu intellectus non infert vnam veritatem ex alia, sed solum aduertit, quod prædicatum est connexum cum subiecto in singulari, & deinde procedit ad aduertendum, quod est connexum cum subiecto in vniuersali: exem. gr.prius aduertit, quod esse maius parte est prędicatum connexum cum hoc toto,deinde quod est connexum cum toto in quantum est totum,adeoque omne totum est maius parte.

Ad 2. Etiam principia nota ex terminis ante omnem experientiam colliguntur ex inductione, quę requiritur, quia cum vniuersale sit multitudo singu-

larium,

larium, non poteſt connexio cognoſci de vniuerſali, quin prius cognita fuerit de aliquo ſingulari, vt modo eſt dictum. Addo probabile eſſe, quod principia phyſica, in quibus connexio prędicati cum ſubiecto non innoteſcit ex terminis, colligantur per hunc ſyllogiſmum: *quoties aliquod prædicatum conuenit ſingulis conuenientibus in aliqua ratione, & non habemus indicium, quod conueniat ſolum per accidens, eſt per ſe connexum cum tali ratione, & conuenit omnibus, in quibus inuenitur talis ratio; ſed eſſe calidum conuenit ſingulis ignibus, de quibus facta eſt experientia, & non eſt indicium, quod conueniat ſolum per accidens; ergo eſſe calidum eſt prædicatum per ſe connexum cum igne, adeoque omnis ignis eſt calidus*; & ſic patet, quo pacto ex eo, quod ignes, quos ſum expertus, ſint calidi, inferam omnes eſſe calidos. Principia igitur collecta per inductionem experimentalem non ſunt ſimpliciter per ſe nota, cum inferantur per ſyllogiſmum; ſed dicuntur per ſe nota, quia talis ſyllogiſmus fit ab omnibus tempore imperceptibili ductu naturæ: ex qua ratione plures aliæ veritates illatæ per ſyllogiſmum dicuntur prima principia per ſe nota.

Ad 3. Sicut ſunt plures ſcientię, ſic plures habitus principiorum, ac ſingulis ſcientiis correſpondet ſpecialis habitus prin-

principiorum, colligens principia per lumen speciale illius scientiæ, & cum speciali difficultate: ex.gr. habitus principiorum deseruiens physicæ colligit principia physica per inductionem experimentalem cum speciali difficultate vtens lumine sensus; idemque dic de aliis scientiis proportionaliter ad dicta quęst. 5.

Ad 4. Habitus scientiæ assentitur principiis secunda vice, & assensu supponente alium assensum factum per habitum intellectus assentientem principiis, & pręmissis secundum se; talis autem assensus supponens essentialiter alium assensum nullam continet difficultatem, sed supponit totam difficultatem superatam per assensum priorem. At primus assensus, quo principiis assentimur, continet magnā difficultatem in penetranda connexione prędicati cum subiecto, & in venando primo principio, vt explicatum est; ergo ad primum assensum requiritur specialis habitus.

Ad 5. Licet assensus principiis communibus sit facillimus, tamen assensus pluribus principiis proprijs habet difficultatem, & multo maiorem difficultatem habet eorum venatio per inductionem singularium, ideoque requiritur habitus specialis.

Vtrum scientia sit habitus inferens conclusiones ex principiis. Quæstio XVII.

VIdetur quod non. 1. quia in Deo datur scientia perfectissima; sed Deus cognoscit veritates non inferens illas ex principijs per syllogismum; ergo non requiritur ad scientiam, vt sit habitus inferens notitiam certam, & euidentem veritatum vniuersalium, & necessariarum per se non notarum ex primis principijs per syllogismum.

2. Scientia definienda est ex Aristotele 2. Post. tex. 5. *habitus cognoscens rem per causam, propter quam est, & quod illius causa est, & quod non contingit aliter se habere*; sed definitio allata non coincidit cum Aristotelica, nec est illius explicatio; ergo est mala.

3. Si scientia colligeret conclusiones ex principijs, haberet pro obiecto formali assensus ipsa principia, seu veritates per se notas. Sicut enim voluntas amat media non amabilia gratia sui propter finem amabilem gratia sui; sic intellectus assentitur veritatibus per se notis propter veritates per se notas; sed etiam habitus principiorum habet pro obiecto formali

princi-

principia,seu veritates per se notas,cum illis assentiatur propter se ; ergo habitus intellectus, & habitus scientię haberent idem obiectum formale ; sed habitus habentes idem obiectum formale non distinguuntur;ergo habitus intellectus non distingueretur ab habitu scientię.

Respondeo scientiam, & intellectum in aliquo conuenire,& in aliquo differre, & vtrumque esse explicandum,vt ex conuenientia, ac differentia constituatur integra definitio scientiæ. Conueniunt in hoc,quod vterque habitus assentitur certo,& euidenter veritatibus vniuersalibus, ac necessarijs,in quibus nimirũ prædicatũ cõuenit subiecto vniuersaliter,ac necessario,atque ita,vt non possit non conuenire. Euidentia porro obiectiua causans certitudinem,& euidentiam in actu scientię,atque intellectus, est *apparentia obiecti sua vi trahens intellectum ad assensum sine vlla dubitatione*: exem.gr.mihi euidens est quod nunc existo, quia hoc obiectum ita mihi apparet,vt trahat me ad assentiendũ sine vlla dubitatione. Certitudo assensus *est ipsa firmitas, per quam assentimur obiecto sine vlla dubitatione propter præstantiam motiui*. In actibus naturalibus euidentia semper comitatur certitudinem, vt causa illius,ita vt tanta sit certitudo, quanta euidentia. At in fide diuina datur certitudo

tudo sine, euidentia, quia prima veritas habet hanc vim, vt etiam obscurè proposita possit mouere ad assensum firmum, sine dubitatione.

Differunt scientia & intellectus in hoc, quod intellectus assentitur veritatibus per se notis, scientia veritatibus per se non notis. Est autem veritas per se nota *veritas habens vim manifestandi se ipsam intellectui immediatè, absque eo quod inferatur per illationem syllogisticam ex alia veritate*, ex. gr. hęc: *omne totum est maius sua parte*. Veritas per se non nota est, *quæ non potest per se ipsam immediatè se manifestare, sed eius notitia certa, & euidens debet inferri ex alijs veritatibus per se notis*: ex. gr. hæc veritas, *cuiuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis*, est veritas per se non nota, quia non potest immediatè mouere intellectum ad notitiam sui certam, & euidentem, sed debet inferri per syllogismum ex alijs notitijs. Sunt autem veritates connexæ quadam serie. Quemadmodum enim datur quędam series causarum, secundum quam vna res causatur ab alia, & hęc ab alia vsque dum deueniatur ad primam causam incausatam: sic veritates sunt ita connexæ, vt vna inferatur ex alia, & hæc ex alia, vsquedum inueniatur prima veritas per se nota, quæ est primum principium. Ex hac conue-

nientia,

nientia, ac differentia scientię cum intellectu infertur integra definitio scientiæ. Est enim *habitus colligens cognitionem certam, & euidentem veritatum vniuersalium, ac necessariarum, per se non notarum ex primis principijs per syllogismum*. Infertur rursus duplex esse munus scientiæ, proportionaliter ad duplex munus intellectus. Sicut enim intellectus dum venatur principia primo quærit terminos connexos, deinde assentitur veritati propter connexionem terminorum; sic habitus scientiæ dum venatur conclusiones, primo quærit propositiones ita connexas, vt possit vna ex alijs inferri, quod est venari medium terminum; deinde verò assentitur, inferendo per syllogismum. Et sicut intellectus in venatione principiorum inducit varios terminos, sic scientia in venatione conclusionum inducit varias propositiones: & sicut ad venationem principiorum requiritur præcipuè sagacitas discernendi connexa ab inconnexis, & celeritas cogitationis, sic requiritur in venatione conclusionum. In hac autem venatione scientia procedere potest duplici via, ac methodo, compositiua nimirum, & resolutiua: quę vt explicentur, declarandum quid sit compositio, ac resolutio, de quibus sæpe agunt auctores ex Aristotele.

Compositio est *progressus à principijs, ex quibus*

quibus aliqua res constat, ac pendet, ad ipsam rem. Resolutio est *regressus rei ad principia, ex quibus constat, ac pendet:* ex. gr. compositio domus est progressus, per quem ex lapidibus, ac cęmentis, ex quibus domus constat, progredimur ad domum. Resolutio domus est regressus, per quem ex domo regredimur ad lapides, & cęmenta. In compositione progredimur à simplicioribus ad magis composita, quia causæ sunt simpliciores effectibus, quandoquidem effectus adduntur causis. In resolutione progreditur à magis compositis ad simpliciora ex eadem ratione. Præter compositionem, ac resolutionem realem, quæ ponitur in ipsa re, qualis est compositio, ac resolutio domus, datur compositio, ac resolutio rationis, quæ ponitur in ratione nostra: & hæc est duplex, speculatiua nimirum, & practica. Resolutio practica, seu consultatiua est, *cum quis proposito fine progreditur ad quærenda media, causas, & principia, quibus finem consequatur:* ex. gr. cum proposito fine salutis æternæ, progreditur ad quęrenda media, quibus saluetur. Compositio practica est, *per quam disponit ordinatim media ad finem consequendum,* dicens ex. gr: ad consequendam salutem primo faciendum est hoc, deinde hoc aliud &c. quæ cum iam executioni mandantur, non est amplius compositio rationis, sed realis.

realis. Resolutio speculatiua est, *cum proposita aliqua conclusione, progredimur ad principia, ex quibus infertur*. Compositio speculatiua est, *per quam ex principijs progredimur ad conclusionem inferendam*. Vniuersim autem compositio, ac resolutio procedunt ordine inuerso, ita vt quod est primum in compositione, sit vltimum in resolutione, & quod est primum in resolutione, sit vltimum in compositione. *Ex.* gr. cum ex conclusione progredimur ad principia via resolutiua, conclusio est primum, principia sunt vltima; cum ex principijs progredimur ad conclusionem via compositiua, principia sunt prima, conclusio est vltima, eo pacto, quo gradus scalæ, qui est primus in ascensu, est vltimus in descensu, & è conuerso.

Iam scientiæ in venatione conclusionũ procedunt vtraque via. Aliquando enim proposita certa conclusione, quærunt propositiones cum illa connexas, ex quibus possit inferri, procedendo vsque ad prima principia: aliquando propositis principijs, quærunt cum quibus aliis propositionibus connectantur, ita vt possint ex ipsis inferri. Regulariter tamen quærentes procedunt via resolutiua; inuentis verò propositionibus connexis cum conclusione vsque ad prima principia, procedunt ab assensu principiorum ad assensum conclusio-

clusionis via compositiua.

Diuiditur scientia in perfectam, & imperfectam. Perfecta, seu à priori est *cognitio certa, & euidens veritatis vniuersalis, ac necessariæ per se non notæ, per causam, propter quam est, & propter quam aliter se habere non potest*. Talis autem scientia est perfecta, quia per illam obiectum ponitur in mente, sicut est à parte rei, vt dictum est quęst. 1. Imperfecta, & à posteriori est, qua *cognoscimus certo, & euidenter veritatem per se non notam, non per causam, sed per effectum, vel per aliud quomodolibet connexũ cũ tali veritate*. Est autem imperfecta, quia per illam obiectum ponitur in mente aliter, ac est à parte rei, vt dictum est eadẽ quæst. 1.

Ex definitione, ac diuisione scientiæ infertur definitio demonstrationis, & eius diuisio in demonstrationem perfectam, siue à priori, & imperfectam, siue à posteriori. Demonstratio definitur ab Aristotele primo post. tex: 8. *syllogismus pariens scientiam conclusionis*. Demonstratio perfecta, & à priori est *syllogismus pariens scientiam perfectam, & à priori*. Demonstratio imperfecta est *syllogismus pariens scientiam perfectam, & a posteriori*. Conditiones autem quę requiruntur ad demonstrationem causantem scientiã perfectam, explicantur ab Aristotele 1. post. tex. 9. sic per illas demonstrationem perfectam defini-

finiente. Demonſtratio eſt *ſyllogiſmus conſtans ex præmiſſis certis,& euidentibus,primis, immediatis,ſeu per ſe notis,notioribus,& prioribus, & cauſis concluſionis*. Pręmiſſę debent eſſe certæ, & euidentes,quia concluſio certa, & euidens, qualis debet eſſe ſcientifica,non poteſt inferri niſi ex præmiſſis certis, & euidentibus. Debent eſſe primæ, & immediatæ, & per ſe notę,quia concluſio vtpote veritas ſcibilis, adeoque per ſe non nota, debet innoteſcere per veritates per ſe notas. Debent eſſe priores, & notiores,quia id,quod eſt ratio, cur innoteſcat aliud,magis,ac prius innoteſcit,quam illud. Demum debent eſſe cauſæ concluſionis, quia ſcientia perfecta eſt cognitio per cauſam; ſed eſt cognitio concluſionis per pręmiſſas; ergo pręmiſſæ debent eſſe cauſę concluſionis, ita vt veritas aſſirmata in præmiſſis ſit cauſa, & ratio veritatis affirmatæ in concluſione. Demonſtratio imperfecta habet cæteras conditiones perfectæ, ſed habet præmiſſas,quę non continent cauſam concluſionis,ideoque cauſat ſcientiam imperfectā, & non per cauſam.

Ad 1. Hoc loco definimus ſolam ſcientiam diſcurſiuam,quæ non datur in Deo. Scientia verò latè ſumpta abſtrahens ab imperfectione diſcurſiuę, quę ſola datur in Deo, definita fuit quæſt. 1. dicendo; quod

quod est *cognitio certa, & euidens rei propter rationem, propter quam est.*

Ad 2. Aristoteles loco citato 1. post. definit solum scientiam perfectam, quæ addit supra scientiam vt sic definitam à nobis, quod cognoscat veritatem necessariam per causam, propter quā est, & aliter se habere non potest, vt modo est dictū.

Ad 3 Habitus intellectus, cum assentitur primis principijs, habet pro obiecto formali connexionem terminorum. Ideo enim assentitur, quia videt connexionem prædicati cum subiecto. At habitus scientiæ dum assentitur conclusioni propter principia, habet pro obiecto formali connexionem principiorum cum conclusione. Ideo enim assentitur conclusioni, quia videt veritatem conclusionis esse connexam cum veritate principiorum; ergo intellectus, & scientia habent obiectum diuersum.

Vtrum sapientia sit habitus specialis, ac benè definiatur. Quæstio XVIII.

VIdetur, quod sapientia non sit habitus specialis cognoscens certò, & euidenter res præstantissimas per altissimas causas, & ordinatiuus veritatum in intel-

lectu, prout sunt ordinatę à parte rei 1. quia contemplatio rerum præstantissimarum per altissimas causas spectat ad metaphysicam, quippe quæ considerat Deum, & Angelos, quibus nihil est prętãtius, & altius; ergo sapientia non est habitus specialis Et confirmatur, quia Aristoteles 1. metaphys. videtur docere, quod sapientia sit metaphysica; sed metaphysica est vna ex scientiis; ergo sapientia non est habitus specialis contradistinctus à scientia.

2. Ex Aristotele 7 eth. cap. 7. sapientia est intellectus, ac scientia, & quasi caput habens scientia rerum præstantissimarum, ergo ex Aristotele sapientia est aggregatum ex habitu intellectus, ac sciẽtiæ; sed hoc aggregatum non est habitus specialis contradistinctus ab intellectu, ac scientia; ergo sapientia non est habitus specialis contradistinctus ab intellectu, ac scientia.

3. Quatuor facultates speculatiuæ cum habitu principiorum ipsis correspondente contemplantur omnes veritates speculabiles; ergo præter illas, & habitum principiorum non potest dari alia facultas speculatiua, nisi fortasse subalternata; sed sapientia non est facultas subalternata; ergo non datur sapientia, quę sit habitus specialis.

Respondeo, quod vltra scientias particu-

culares,& habitus principiorum ipſis correſpondentes,quæ contemplantur veritates particulares ad ipſas ſpectātes,& non alias , dari debet aliqua facultas vniuerſalis , & ſuprema ſupponens omnes ſcientias , & in ipſis fundata , quæ contempletur omnes omninò veritates , & ordinet illas in mente , prout ſunt ordinatæ à parte rei ; ſed hæc facultas eſt ſapientia ; ergo debet dari ſapientia,quę ſit habitus ſpecialis. Quod verò dari debeat facultas hæc vniuerſalis , & ſuprema,probatur primo,quia omnes veritates ſunt ita connexæ , & ordinatæ arcanis quibuſdam nodis, ſicut annuli conneƈtuntur in catena. Sicut enim vnus annulus eſt connexus cum alio , & hic cum alio vſque dum perueniatur ad primum annulum,ad quem omnes conſequuntur , ita ratio vnius veritatis eſt alia veritas , & huius alia veritas, vſquedum perueniatur ad primam veritatem, quæ eſt ratio,& veluti caput omnium aliarum veritatum. Sed iſtum ordinem,quo conneƈtuntur omnes omnino veritates non contemplatur vlla ſcientia particularis, vtpote restriƈta ad ſpecialem materiam ; ergo debet dari aliqua facultas vniuerſalis , ac ſuprema contemplatiua omnium omninò veritatū vt inuicem connexarum , atque ordinatarum. Secundo omnes veritates ſunt ita

connexę, vt faciant mirabilem quamdam consonantiam, atque ex ipsis resultet collectio digna speciali contemplatione, eo pacto, quo harmonia resultans in musica ex pluribus vocibus consonantibus est digna speciali contemplatione; sed collectionem omniũ veritatũ physicarum, mathematicarũ, metaphysicarũ, & logicarũ, in quantũ faciunt mirabilẽ quamdam consonantiã nulla scientia particularis contemplatur; nõ enim physica, vtpote restricta ad veritates naturales; non mathematica ex eadẽ ratione &c; ergo dari debet alia facultas vniuersalis, & suprema contemplatiua talis collectionis. Tertio debet dari aliqua facultas, quæ contempletur ipsum optimum, hoc est Deum, quærens de ipso cognitionem perfectissimam, quam possimus naturaliter habere; sed cognitio perfectissima de Deo nequit obtineri per vllam scientiam particularem; ergo præter scientias particulares dari debet facultas aliqua vniuersalis. Minor probatur: nam natura optimi consistit in hoc, vt habeat in se vnitas, & identificatas omnes perfectiones; ergo vt cognoscamus illud perfectè in quantum possumus, debemus cognoscere omnes perfectiones creaturarum, vt ex eis ascendamus ad easdẽ seclusis imperfectionibus considerandas in optimo; sed nulla scientia

tia particularis considerat omnes perfectiones creaturarum;ergo nulla scientia particularis potest optimum perfectè cognoscere. Confirmatur,quia vt Deus perfectè cognoscatur, cognosci debet per omnia entia,& per omnes veritates creatas; cum omnia entia sicut habent aliquā specialem perfectionem, ita sint manifestatiua alicuius specialis perfectionis diuinæ,& eandem vim habeant omnes veritates etiam mathematicæ de circulis, de quadratis &c.vtpote profluentes à Deo, tanquam à prima veritate, eo pacto, quo rotunditas circuli ex.gr. exprimit diuinā infinitatem ;sed nulla scientia particularis cognoscit Deum per omnia entia, & per omnes veritates; ergo prçter scientias particulares dari debet aliqua facultas vniuersalis.

Hinc verò sequitur,quod hæc facultas vniuersalis supponit omnes scientias, & in iis fundatur Non enim posset contemplari veritates physicas, nisi iam per physicam superasset specialem difficultatem in iis contemplandis: & ex eadem ratione supponit mathematicam, metaphysicā & logicā. Superatis igitur difficultatibus, quę inueniuntur in contemplandis specialibus obiectis scientiarum, sapientiæ munus est primo contemplari connexionē, quę datur inter omnes omnino veritates,

etiamsi aliquę primo aspectu videantur omnino disparatę: secundo quęrere primam veritatem, quæ est radix, ac caput omnium aliarum. Explicat autem Aristoteles 1. Metaph. cap. 2. quę sit hæc veritas, dicens, *hoc autem est bonum cuiusque, & vniuersaliter, quod in omni natura optimum est*. Nam omnes veritates necessariæ ita sunt ordinatę, sicut optimum, & pulcherrimum est ordinari, atque adeo ipsum optimum, & pulcherrimum est prima radix omniũ veritatum. Tertio conatur per omnes veritates cognoscere ipsum optimum, ac perfectissimum, hoc est Deum. Quarto per ipsum optimum, tamquam per caput, & primam radicem, conatur reddere rationem omnium aliarum veritatum, & sic veritates pręstantissimas contemplatur per ipsum optimum, tanquam per altissimam causam. Quinto demum ordinat veritates in intellectu, sicut sunt ordinatæ à parte rei. Cum enim perfectio cognitionis consistat in eo, vt res ponantur in intellectu, sicut sunt à parte rei, sapientia quærens cognitionem perfectissimam conatur ponere talem ordinem in cognitionibus, qualis est in rebus, ita vt sicut vna veritas est ratio alterius, sic cognitio vnius veritatis sit ratio cognoscendi alteram.

Hinc patet primo, quod sapientia sit habi-

habitus specialis. In contemplatione enim ordinatiua omnium veritatum est specialis difficultas requirens intellectum planè comprehensiuum. Secundo patet, quod sapientiæ conueniat definitio allata, & quod sit habitus cognoscens &c. Tertio, patet quod de sapientia verificantur quę de ipsa dicuntur ab Aristotele tum 1. Metap. tum 6. eth. Primo metaph. capit. 2. ait: *opinamur sapientem maximè omnia vt possibile est scire*: & cap. 1. *sapientiam circa primas causas, & principia omnes arbitrantur versari*: & addit: sapientiam esse ordinatiuā, ac munus sapientis esse ordinare. 6. Eth. dicit: *sapientem non solum circa ea, quæ ex principiis sunt dicere oportet, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet. Quare sapientia erit intellectus, ac scientia, ac veluti caput habens scientia*. Sed sapientia prout à nobis definita, vtpotè facultas vniuersalis, contemplatur omnes omnino veritates per optimum, hoc est per altissimam causam, & ordinat veritates in intellectu, prout sunt ordinatæ à parte rei; ergo de sapientia à nobis explicata verificantur omnia, quæ dicuntur ab Aristotele. Quarto patet, quod naturalis felicitas consisteret in contemplatione Dei procedente ab habitu sapientię. Talis enim contemplatio esset operatio pręstantissima, pręstantissimę potentiæ,

de præstantissimo obiecto,ac proinde maximè secundum naturam hominis,ac delectabilissima, & vltimus eius finis. Verum ad hoc,vt homo esset aptus ad hanc contemplationem, deberet etiam secundum voluntatem esse optimè dispositus ad amorem optimi,& aliorum bonorum honestorum per habitus omnium virtutum. Qui enim est malè dispositus ad bonum non potest rectè iudicare de illo,ideoque ad sapientiam perfectam præter scientias requiruntur etiam omnes virtutes morales. Quinto demum infertur, quod hæc sapientia naturalis absolutè est imperfecta,quia cum cognoscat Deum per creaturas, & causam per effectum, cognoscit modo inuerso,ideoque si daretur,non omnino satiaret,ac felicitaret. Idcirco Deus eleuauit homines ad visionem beatificam, quæ est perfecta sapientia, quia Deum, qui est à se,cognoscit per se; creaturas, quæ sunt à Deo,cognoscit per Deum.

Ad 1. Licet metaphysica contempletur præstantissimas veritates per altissimas causas, tamen non est sapientia simpliciter, quia non est ordinatiua omnium veritatum, & non contemplatur primam veritatem contemplatione perfectissima per omnes veritates. Est tamen metaphysica valde affinis sapientię. Ideo Aristoteles 1. metaph. videtur docere,quod sit sa-

pien-

pientia secundum quid. Cęterum quod sapientiam simpliciter distinguat à metaphysica patet. Nam 6. Eth. agens ex professo de virtutibus intellectus, ponit sapientiam, tamquam habitum perfectiorem scientia, & tamen metaphysicam recenset inter scientias.

Ad 2. Sapientia non est intellectus, & scientia formaliter, sed eminenter. Nam intellectus considerat solas veritates per se notas; scientia solas per se non notas; sapientia considerat omnes, illas ordinando inter se. Requiritur autem habitus contemplans omnes veritates coniunctim ex rationibus allatis. Non est igitur sapiētia merum aggregatum intellectus, ac scientię, sed est vnicus habitus superior.

Ad 3. Scientię speculatiuæ contemplātur omnes veritates absolutas speculabiles seorsim: at nulla contemplatur omnes coniunctim, & earum ordinem; ideo præter scientias debet dari sapientia, quę est facultas vniuersalis.

Vtrum prudentia differat ab arte, & à scientia morali. Quæstio XIX.

PRimo videtur, quod prudentia non differat ab arte. Facultas enim, quę

est ars non contradistinguitur ab arte; sed prudentia est ars quædam benè viuendi, ac consequendi vltimum finem; ergo non contradistinguitur ab arte, ac proinde malè ponitur in diuisione virtutis tamquā membrū contradistinctū ab arte.
2. Si prudētia differret ab arte, differret hoc, quod prudentia versaretur circa actiones, & circa agibilia, ars circa factiones, & circa factibilia; sed etiam artes actiuæ versantur circa actiones, & circa agibilia; ergo non satis explicatur differentia prudentiç ab arte.
3. Videtur, quod prudentia non distinguatur à facultate morali. Facultates enim practicæ distinguuntur ex eo, quod intendant diuersū finem, & opus ipsarū sit diuersū; sed idē est finis, atque opus moralis, ac prudentiæ: intendūt enim pro fine felicitatem, & ad illam hominem conducunt; ergo prudentia nō distinguitur à morali.
Respondeo facultates practicas distingui per diuersitatem finium, quos intendunt, eo pacto, quo statuaria, & pictoria distinguūtur, quia statuaria habet pro fine statuam, pictoria picturam. Et quia prima diuisio finium est in finē vltimum, ad quē omnia ordinantur, ipse verò non ordinatur ad vlteriorem finem, & finem non vltimum: ideo prima diuisio facultatis practicç est in prudentiam, quę intendit fi-
nem

nem vltimum hominis, hoc eſt felicitatem; & arté, quę intendit fines particulares, & non vltimos. Ex diuerſis finibus prudentię, & artis colligitur diuerſa vtriuſque definitio. Prudentia enim definitur ex Ariſtotele 6. eth. cap. 5. *habitus cum vera ratione actiuus circa ea, quæ bona, vel mala homini ſunt*, in ordine ad finem vltimum. Ars definitur: *habitus cum vera ratione effectiuus* circa ea, quę conducunt ad fines particulares. Senſus eſt: prudentia eſt habitus, quo verum anima dicens circa actiones, in quantum conducunt ad finem vltimum, vel ab illo retrahunt, diſponitur ad operandum benè, hoc eſt aptè ad ipſum vltimum finem, qui eſt felicitas. Ars eſt habitus, quo verum anima dicens circa operationes, in quantum conducunt ad fines particulares, diſponitur ad operandum aptè ad tales fines: ex. gr. diſponitur ad operandũ aptè ad faciendam ſtatuam, ad obtinendam victoriam &c. Progreditur prudentia ad ſuum finem per tres actus præcipuos. Primus eſt conſultare de agendis; ſecundus iudicare; tertius præcipere. Eſt autem pręceptum iudicium vltimo practicum, quo ſtatuitur quid hic, & nunc ſit optimum factu in ordine ad finem vltimum, quid teneat ſecundum locum, quid tertium &c. Et quia omnes alii actus ordinantur ad hoc pręceptum,

seu iudicium vltimo practicum, ideo prudentia principaliter consistit in habitu præceptiuo, addit verò tanquam partes minus principales eubuliam, hoc est consultatiuam, & synesim, ac gnomen, quæ rectè indicant, vt ex Aristotele docet Sanctus Thomas 1.2.quæst.57.art.6.in corpore. In artibus etiam dantur tres habitus proportionales; consultatiuus de opere, iudicatiuus, ac preceptiuus, qui est principalis, & ad quem ceteri ordinantur.

Ex diuersa essentia prudentiæ, & artis deducit Aristoteles quasdam earum proprietates diuersas. Primo proprium prudentiæ est, vt non possit esse perfecta in homine malo: è conuerso proprium est artis, vt possit esse perfecta etiam in homine malo. Homo enim quamuis vitiosus potest esse perfectus poeta, vel musicus, ita vt perfectè iudicet de iis, quę sunt facienda in ordine ad finem poeticæ, aut musicæ. At non potest esse perfectè prudens, ita vt bene iudicet de iis, quæ sunt facienda in ordine ad finem vltimum. Ratio est; quia vitia corrumpunt iudiciũ prudentiæ, vnde scriptum est; *obscuratum est insipiens cor eorum, & vt videntes non videant.* Sicut enim qui habet palatum, & stomachum malè affectum, non benè iudicat de saporibus, ac cibis, sic qui habet voluntatem malè dispositam circa bona, non

non rectè iudicat de bonis: Idcirco quamuis homines vitiosi cognoscant mala non esse facienda, cognoscunt id cognitione, quæ sufficit ad obligandum, non sufficit ad inclinandam voluntatem ad obediendum obligationi, cum iudicium prudentiæ debeat esse inclinatiuum. Præcipuè tamen prudentiam corrumpunt vitia intemperantiæ versantis circa delectationes gustus, & tactus, ideoque nomen græcum temperantię idem significat ac *conseruans prudentiam*, vt Aristoteles aduertit. E conuerso vitia non corrumpunt iudicium artis. Quamuis enim homo sit vitiosissimus, tamen optimè iudicabit de his, quæ spectant ad faciendam statuam, aut poema. Secundo proprium prudentię est, quod vt quis habeat prudentiam perfectam, per quam rectè iudicet de omnibus agendis; debet habere voluntatem optimè dispositam per omnes virtutes morales: & quantum crescunt virtutes morales, tantum crescit prudentia, quantum ipsæ minuuntur, tantum prudentia minuitur, nec deperditur obliuione, sed malè agendo vna cum virtutibus moralibus. E conuerso artes vt sint perfectę, non requirunt in homine virtutes morales, nec secundum earum proportionem crescunt, aut decrescunt, & obliuione deperduntur. Tertio proprium pruden-

tiæ, eſt, vt qui contra prudentiam peccat ſponte, peior fit, quam qui peccat per ignorantiam: è conuerſo in artibus peior eſt qui peccat per ignorantiam, quam qui ſponte; ex. gr. ſi aliquis reprehendatur, quod peccauerit contra grammaticam faciendo ſolæciſmum, & ſe excuſet, dicens *ſponte feci*, affert idoneam excuſationem; ſi verò ſe excuſet dicens *ignorabam*, affert excuſationem plane ineptam. E conuerſo cum quis reprehenditur, quod peccauerit contra prudentiam, ſi dicat, *ſponte peccaui*, affert excuſationem ineptam, & vt afferat excuſationem idoneam debet dicere, *peccaui per ignorantiam vel vix ſponte propter vehementiam paſſionis*.

Explicato diſcrimine prudentiam inter, & artem, explicandum eſt diſcrimen inter prudentiam, & ſcientiam moralem. Dico, quod prudentia differt à morali, ſicut in artibus experientia, quę dicitur practica, à theorica, quæ abſolutè vocatur ars. Ex doctrina Ariſtotelis 1. Metap. cap. 1. experientia, ſeu practica eſt *habitus, quo aliquis ex memoria plurium, quæ acciderunt in ſimilibus circunſtantijs, regulatur ad decernendum quid ſit faciendum hic, & nunc*. Theorica, ſeu ars eſt *habitus, quo aliquis ex eo, quod ſciat vniuerſaliter quid ſit agendum in aliquibus circumſtantijs, regulatur ad determinandum, quid ſit faciendum hic, & nunc*.

nunc. Ex. gr. poteſt aliquis curare ægrotum ex arte ſine experientia, vel ex experientia ſine arte Curabit ex arte ſine experientia, cum ex eo, quod per medicinam ſciat, quid proſit tali morbo, regulatur ad decernendum, quo pacto curari debeat hic ægrotus, licet nunquam, vel raro fecerit experientiam. Curabit per experientiam ſine arte, ſi licet medicinam neſciát, diu tamen curam geſſerit ægrotorum, & ex memoria eorum, quæ profuerunt ſimiliter ęgrotantibus, regulatur ad decernendum, quo pacto ſit curandus hic ægrotus. Ad agendum autem melior eſt practica, quam theorica, vt Ariſtoteles aduertit, quia practica verſatur circa ſingularia, theorica circa vniuerſalia; actiones autem fiunt circa ſingularia, exem. gr curatur hic ægrotus.

Proportionaliter prudentia eſt ***habitus, quo quis ex memoria eorum, quæ bene geſſit in ſimilibus circunſtantÿs, regulatur ad decernendum, quid ſit agendum hic, & nunc.*** Scientia moralis eſt ***habitus, quo ex eo, quod aliquis ſciat vniuerſaliter, quid ſit agendum in aliquibus circunſtantÿs, regulatur ad decernendum, quid ſit agendum hic, & nunc.*** Ad operandum magis conducit prudentia, quam ſcientia moralis, vt patet experientia. Nam experti melius gubernant ſe ipſos, & rempublicam, quam habentes

ſcien-

ſcientiam moralem ſine experientia, & prudentia. At ad ſciendum magis confert ſcientia, quippe quæ eſt de vniuerſalibus, & per cauſam, vt aduertit Ariſtoteles eodem capite. Præterea prudentia in moralibus, & experientia in artibus non poſſunt addiſci diſciplina, ſed aſſuetudine operandi: at ars, & ſcientia moralis addiſci poſſunt diſciplina, per quam traduntur ab aliis. Sicut tamen illi ſunt omnium aptiſſimi ad opera artium, qui non ſolum habent experientiam, ſed etiam theoricã & artem: ſic illi ſunt aptiſſimi ad opera prudentię, qui non ſolum habent prudentiam, ſed etiam ſcientiam moralem.

Ad 1. Prudentia propriè non eſt ars, licet aliquando vocetur ars benè viuendi propter proportionem, quę intercedit inter prudentiam, & artem: ſicut è conuerſo quędam artes, ex gr. militaris vocantur prudentiæ, & dicitur aliquis habere prudentiam militarem.

Ad 2. Actio & effectio diuerſo modo ſumuntur, in quantum diſtinguunt prudentiam ab arte, ac in quantum diſtinguunt artes actiuas à factiuis. In quantum enim diſtinguunt artes actiuas à factiuis, actio eſt operatio immanens in operante, ex gr. ſaltatio, viſio, intellectio: factio eſt operatio tranſiens in externam materiam, ex. gr. ędificatio. In quantum

verò

verò distinguunt prudentiam ab arte, actio est operatio humana, seu immanens, seu transiens, in quantum conducit ad vltimum finem: factio est operatio humana in quantum conducit ad fines particulares. Circa easdem igitur operationes humanas versatur prudentia, & ars. Ex. gr. circa operationem transeuntem pingendi versatur prudentia, præscribens quo pacto sit exercenda in ordine ad vltimum finē, ac dicens quod non sunt pingendę imagines turpes, non ex fine malo &c; & circa eandem versatur ars pictoria præscribens quo pacto sit exercenda, vt resultet pulchra pictura. Illa eadem operatio, in quantum regulatur à prudentia, dicitur actio, in quantum regulatur ab arte, vocatur effectio. Si verò aliquis exequatur pręcepta artis, transgrediens pręcepta prudentiæ, ac peccans, benè pingit, sed malè agit, est bonus pictor, sed malus homo.

Ad tertium. Theorica, & practica habituum non differunt ex fine, sed ex eo, quod theorica regulatur ad operandum à cognitione vniuersali, practica à memoria singularium, vt dictum est. Cum igitur prudentia, & scientia moralis differāt, sicut theorica, & practica, differre non debent ex fine.

Vtrum

Vtrum prudentia sit vna, & architectonica, seu princeps artium. Quæstio XX.

Videtur primo quod prudentia non sit vnica, sed plures. Dantur enim plures artes; ergo plures prudentię.

2. Datur prudentia monastica, qua homo dirigitur ad felicitatem propriam; prudentia oeconomica, qua dirigitur ad felicitatem familię; prudentia ciuilis, seu politica, qua dirigitur ad felicitatem ciuitatis, aut regni; sed istæ sunt plures prudentiæ; ergo dantur plures prudentię.

3. Videtur quod prudentia non sit architectonica, seu princeps artium. Aliquæ enim artes sunt malæ, & illicitę, vt magia; sed artes illicitæ non subduntur prudentię; ergo prudentia non est princeps omnium artium.

Respondeo, quod licet artes sint plures, prudentia est vnica, & absolutè architectonica, ac princeps omnium artium. Ratio est, quia prudentia intendit vltimũ finem, artes intendunt fines non vltimos; sed finis vltimus est vnicus, fines non vltimi sunt plures, ac penè innumerabiles; ergo prudentia debet esse vnica, artes debent

bent esse plurimę, ac penè innumerabiles; sed omnes fines particulares, & non vltimi debent vltimo referri ad felicitatem, quę est vltimus finis; ergo omnes artes debent subordinari prudentię, ac morali, ad quas spectat singulas artes, earum opera, ac fines ordinare, ac dirigere ad humanam felicitatem, adeoque prudentia, pro vt complectitur etiam scientiam moralem est absolutè princeps, & architectonica omnium artium, vt docet Aristoteles ex professo 1.eth. Est enim regula vniuersalis, quod facultas, quæ intendit finem principaliorem, & ad illum ordinat finem alterius artis, est architectonicà respectu illius, eo pacto, quo architectus domus dicitur ex eo quod præcipit manualibus, & eorum opera ordinat ad finem faciendi domum. Iam homo est animal non solitarium, sed naturaliter sociale: cuius ratio est, quia naturaliter non sufficit sibi ad viuendum, & benè viuendum, sed indiget societate, & consortio aliorum; ergo naturaliter viuere debet in aliqua societate, ac multitudine hominum, cuius sit pars. Duplex autem est societas, qua homo indiget, familiaris, seu domestica, & ciuilis. Indiget societate domestica, quia non potest nasci, & educari nisi in aliqua domo, & familia, ita vt á parentibus accipiat generationem, nutrimentum,

mentum, institutionem &c. & à cęteris partibus familiæ plura auxilia. Indiget vlterius societate ciuili, quia in vnica familia non datur perfecta sufficientia ad benè viuendum, cum desint multæ artes necessariæ ad vitam corporalem, & secundum virtutem; ergo naturaliter debet esse pars alicuius ciuitatis, seu multitudinis sibi sufficientis ad benè viuendum quoad vitam corporalem per artes, & opificia, & quoad moralia per leges, & magistratus.

Quia igitur homo naturaliter est pars alicuius domus, & alicuius ciuitatis, hinc est vt habeat pro vltimo fine non solum felicitatem propriam, sed etiam felicitatē familiæ, aut ciuitatis, cuius est pars; sed prudentia est habitus consultans de vltimo fine hominis; ergo consultat non solum de felicitate propria vniuscuiusque, sed etiam de felicitate totius familię, ac totius ciuitatis, aut regni, cuius est pars. In quantum consultat, ac præcipit de felicitate propria vniuscuiusque vocatur prudentia monastica, seu solitaria, quę debet dari ęquè principaliter in omnibus, ac singulis. In quantum consultat de felicitate familiæ vocatur prudentia œconomica, seu familiaris, quæ debet principaliter residere in patre familias, in aliis minus principaliter. In quantum consultat

de

de felicitate totius regni, vel ciuitatis, vocatur prudentia politica, seu ciuilis, quę principaliter debet residere in principe supremo. Si consultat de felicitate naturali, est naturalis; si de supernaturali est prudentia politica supernaturalis, quæ debet principaliter residere in Romano Pontifice, qui est supremus princeps in ordine ad finem supernaturalem felicitatis ęternæ.

Ad 1. Iam dictum est quod artes sunt plures quia sunt plures fines non vltimi; prudentia est vnica, quia finis vltimus est vnicus.

Ad 2. Quia homo naturaliter est animal non solitarium, sed domesticum, & ciuile, finis vltimus ipsius est felicitas propria, nō solitariè accepta, sed provt coniuncta cum felicitate familiæ, ac ciuitatis, ideoque prudentia politica, œconomica, & monastica, sunt vna prudentia, cum non possit homo intendere felicitatem propriam, præscindendo à domestica, & ciuili: eo enim ipso peccaret, quia non ageret vt animal sociale. Eadē igitur prudentia secundum diuersas rationes, sortitur diuersas appellationes monasticæ, politicæ, & œconomicæ. Dum additur, quod datur prudentia iuris, & prudentia militaris, dico, quod tunc nomen prudentię sumitur latè, prout significat scientiam iuris, ac

ac legum, & artem militarem, quæ propriè non sunt prudentia.

Ad 3. Artes illicitæ subduntur prudentiæ, in quantum ad prudentiam spectat eas vetare vt cōtrarias vltimo fini, hoc est humanæ felicitati.

Vtrum artes benè diuidantur in actiuas, & factiuas: rationales, & non rationales.

Quæstio XXI.

VIdetur quod non. Omnes enim artes sunt rationales, cum sint in ratione tanquam in subiecto, & earum actus sint actus rationis; ergo malè diuiduntur in rationales, & non rationales.

Respondeo, quod cum operationes humanę alię sint immanentes, quæ nimirum remanent in operante, aliæ transeuntes, quę non remanent in operante, sed transeunt in externam materiam, debuerunt institui variæ artes, aliæ actiuæ, quę ordinant operationes immanentes, aliæ factiuæ, quę ordinant transeuntes. Et quia inter operationes immanentes præcipuę sunt actus rationis, & eorum signa; ideo inter artes actiuas pręcipuæ sunt rationales, quæ ordinant actus rationis, & eorum signa.

Prima ars rationalis est logica, quę habet pro fine, vt actus rationis conformentur rebus, ideoque considerat res vt materiam, actus rationis vt formam. Secunda est grammatica, quæ habet pro fine, vt quæ cognoscimus possimus congruè per voces exprimere, ideoque versatur circa actus rationis, & eorum signa, tradens præcepta congruę locutionis. Tertia est rhetorica, quæ habet pro fine, vt inueniantur rationes aptæ ad persuadendum, & explicentur oratione, atque actione ad eum finem accommodata. Quarta est poetica, quæ habet pro fine, vt inueniantur, ac fingantur actiones mirabiles similes veris, & ipsarum imitatiuæ, & explicentur oratione metrica, & apta ad delectandum, præsertim per admirationem. Quare poetica disponit animum ad philosophiã. Vt enim ait Aristoteles 1. Metaph. cap. 2. incipiunt omnes ab admiratione an sic se habeat, sicut de præstigiosis, quæ per se ipsa mouentur. Quare dum poetica excitat admirationẽ, paulatim disponit animum ad quærendas causas, quod est philosophari; ideoque primi philosophi fuerunt poetæ, vt Aristoteles aduertit, addens, quod philosophus amator fabularũ quodammodo est. Inuentis autem causis, acquiritur scientia rerum admirabilium, & sic cessat admiratio; ideoque addit

Aristoteles, quod qui scientiam habet rerum nil magis admiraretur, quam si accideret contrarium eorum, quæ vulgus miratur; ex.gr. qui habet scientiam eclipsis, non miratur, quod suis temporibus sol, & luna eclipsentur, sed summè miraretur, si non eclipsarentur. Possunt etiam artibus rationalibus adnumerari arithmetica, ac geometria practica. Nam arithmetica ordinat actus rationis in ordine ad computandum, tradens regulas, quibus facilè deprehendamus numeros resultantes ex additione, subtractione, multiplicatione, & diuisione numerorum. Geometria practica ordinat actus rationis in ordine ad deprehendendam rerum mensuram, tradens regulas, quibus per mensurationem deprehendamus magnitudines, & figuras corporum, ac locorum. Licet enim in mensurando vtamur quibusdam instrumẽtis exterioribus, tamen pręcipuũ artificiũ consistit in ordinandis actibus rationis, ita vt per regulas practicas ope instrumentorum deprehendamus magnitudines, & figuras.

Dantur etiam artes actiuæ non rationales, & ordinatiuæ non actuum rationis, sed aliarum operationum immanentium, qualis est saltatoria, quæ ordinat motus pedum secundum proportionem numerorum, eo pacto, quo musica, & sonatoria ordi-

ordinant voces, & alios sonos secundum proportionem eorumdem numerorum, ideoque sunt artes valdè affines, & connexæ, & idcirco tum canentes, tum saltantes solent regulari sono præuio, cui cantus, & saltus conformant. Sonatoria tamen, & fortasse etiam musica sunt artes non absolutè actiuæ, quia operationes sonandi, & canendi non remanent in operante, sed transeunt in aerem,& chordas, vel alia instrumenta sonatoria; licet assimilentur actiuis, quia non relinquunt opus post se, vt factiuę communiter solent relinquere. Licet enim post actionem pingendi remaneat pictura, post actionem sonandi, ac canendi non remanet vllum opus artis.

Ex artibus factiuis alię dirigunt factiones, quæ non relinquunt opus post se, vt sonatoria, & istæ sunt propinquæ actiuis; aliæ dirigunt factiones, quæ relinquunt opus post se, & illud habent pro fine, vt pictura, statuaria &c;quę absolutè vocantur factiuæ. Ex his quædam sunt imitatiuę, vt pictura, statuaria, & omnes, quæ construunt imagines rerum, quę conueniunt in hoc etiam cum poetica, quę est ars imitatiua, & etiam cum saltatoria, ac musica, quæ sapè imitantur; & artes imitatiuæ non deseruiunt vitę necessitatibus, sed solum delectationi. Aliæ sunt non

imitatiuæ,ſed habentes pro fine varia opificia, vel neceſſaria ad vitam, vel vtilia ad delectationem. Videntur autem omnes, vel pleræque reduci ad illas ſeptem, quæ vocantur mechanicę, eo quod exerceantur præſertim per machinas, ſeu inſtrumenta corporalia, quę ſunt Lanificiū, Militia, Nauigatio, Agricultura, Medicatio, Venatio, & Ars fabrilis: quamuis earum aliquæ inter artes non ſeruiles, ſed nobiles recenſeantur.

Ad cognoſcendam artium nobilitatem tres ſunt regulæ. Prima eſt: artes, quę pręcipuè exercentur per virtutes animi, pręſtant ijs, quæ exercentur pręcipuè per vires corporales. Secunda eſt: quæ imperant, ſunt præſtātiores illis, quę parent. Tertia eſt: quę corpus non fędant, & coinquinant, ſunt nobiliores illis, quæ fędant, & inquinant. Patet inductione. Nam Logica, Rhetorica, Poetica, Grammatica, quę præſertim exercentur per ingenium, & virtutes rationis, pręſtantiores ſunt artibus remigandi, ferendi onera &c, quę parum requirunt ingenij, multum virium corporalium. Ex eadem ratione artes pingendi, ſculpendi, conſtruendi horologia, & alia quædam opificia, in quibus plus requiritur ingenij, quàm virium, pręſtant agriculturæ, lignarię &c in quibus requiritur plus virium, minus

inge-

ingenij. Rursus in ædificatoria, architectura, quę præcipit, nobilior est artibus manualibus, quæ exequũtur iussa architecti. In militia imperatoria, pręstat arti militum parentium, præsertim cum ad imperandum requiratur ingenium, & virtus animi, ad exequendum vires corporales. In nauigatoria ars gubernatoria, quia imperat, & exercetur præcipuè per rationem, pręstat cœteris exequentibus. In medicatoria ars medici, qui imperat, est honorabilior. Demum videmus artes, quæ corpus inquinant, & fœdant, qualis est agricultura, coquinaria &c. esse vilissimas omnium, licèt sint maximè necessariæ, & vtiles.

Infertur ex dictis pręstantissimam inter practicas facultates esse moralem, ac prudentiam, præsertim prout comprehendit politicam, quæ debet residere in principe supremo. Primò enim intendit finem pręstantissimum, nempe felicitatem totius ciuitatis, aut gentis. Secundò est maximè architectonica, cum imperet omnibus alijs artibus, etiam imperanti in exercitu. Tertiò gubernatio, per quam tota ciuitas, aut gens ordinatur ad felicitatem, requirit maximam virtutem intellectus, & voluntatis. Quia tamen corruptio optimi est pessima, sic quemadmodum vera, & germana politica est optima, vtpote per

quam princeps se ipsum,& totam gentem ordinat ad optimum,hoc est ad felicitatem communem ; ita pessima est falsa, & mala politica, quę non est prudentia , sed versutia , per quam contempta felicitate propria, & communi totius gentis, ordinantur omnia ad bonum temporale dominantis .

Ad argumentum in contrarium : licèt omnes artes sint in ratione , tamquam in subiecto , & exerceantur per actus rationis , tamen rationales propriè sunt illæ solæ , quę habent pro fine , & opere faciendo,ordinationem actuum rationis,& signorum, vt explicatum est . Illæ verò, quę habent alium finem, vt statuam , saltationem , cantum &c. vocantur non rationales .

Vtrum quatuor facultates speculatiuæ sint scientiæ subalternantes , & virtutes intellectus . Quæst. XXII.

PRimò videtur, quod nulla ex quatuor facultatibus sit scientia , vel virtus intellectus . Facultates enim incertę , & fallibiles non sunt scientiæ, neque virtutes intellectus ; sed quatuor facultates enumeratę sunt incertæ , & fallibiles , vt patet ex diuersitate opinionum; ergo non

sunt

sunt scientię, neque virtutes intellectus. Neque dicas, quod ad hoc, vt aliquis habitus habeat denominationem scientię, sufficit, quod habeat aliquas cognitiones certas, & euidentes, licet habeat etiam aliquas cognitiones probabiles, & incertas: denominatio enim sumitur à potiori, ideoque totus habitus denominatur sciētia à parte infallibili. Nam contra est, quia quod non sufficit ad virtutem, à fortiori non sufficit ad scientiam, cum omnis scientia sit virtus; sed non sufficit ad virtutem, quod habeat aliquos actus veros, sed debet nunquam posse errare, ac dicere falsum; ergo non sufficit ad scientiam, quod habeat aliquos actus veros, sed requiritur, vt nunquam possit errare, ac dicere falsum. Et ratio à priori videtur esse, quia bonum ex integra causa, malum ex vnius defectu; ergo ad hoc, vt aliquis habitus sit virtus, ac scientia, requiritur, vt sit infallibilis secundum omnes actus: eo verò ipso, quod habet aliquem actum fallibilem, amittit rationem scientiæ, ac virtutis.

2. Scientia debet esse de obiecto necessario, & æterno; sed nullum ens creatum est necessarium, & ęternum; ergo logica, physica, & mathematica, quę agunt solum de ente creato, non sunt scientię: imò nec metaphysica est scientia, nisi secun-

dum illam partem, in qua agit de Deo.
3. Videtur, quod physica non sit scientia, neque virtus: nam fundatur in sensibus; sed sensus cum sint fallaces, non possunt tribuere certitudinem requisitam ad virtutem, & scientiam; ergo physica non est virtus, neque scientia.
4. Videtur, quod logica non sit scientia. Ex Aristotele enim 2. Metaph. cap. 3. absurdum est simul scientiam, & modum sciendi quærere; sed logica est modus sciendi, & de illa loquitur Aristoteles eo loco, vt docent Auerroes, Sanctus Thomas, Scotus, aliique interpretes communiter; ergo logica non est scientia. Confirmatur, quia 1 Rhetor. cap. 4 docet dialecticam, & Rhetoricam nõ esse scientias, sed facultates.
5. Videtur, quod physica, mathematica, & logica sint scientiæ subalternatæ metaphysicę, cum obiectum earum contineatur sub obiecto metaphysicæ, & vtantur principijs metaphysicis.

Respondeo quatuor facultates primarias partim esse scientias, atque adeo virtutes intellectus, partim verò habitus opinatiuos. Omnis enim facultas inferens circa suum obiectum notitiam certam, & euidentem veritatum scibilium ex primis principijs per illationem syllogisticam, est scientia, & à fortiori virtus intellectus;

ctus; sed facultates dictæ secundum aliquã partem sui sunt huiusmodi; multæ enim veritates euidenter inferuntur in mathematica, in physica, in logica, & in metaphysica: ex. gr. in logica infertur euidenter, quod nouemdecim modi concludunt necessario, alij quadraginta quinque sunt inutiles; ergo quatuor facultates sunt sciẽtiæ, & à fortiori, virtutes intellectus. Et quia multas veritates scibiles inferunt à priori per causas, multas à posteriori per effectus, & signa, ideo partim sunt scientię perfectę, & à priori, partim imperfectæ, & à posteriori. Addo, quod quia potior pars, & nobilior absolutè vocatur physica, mathematica, metaphysica, & logica, potest absolutè, ac simpliciter dici, quod quatuor facultates sint scientiæ, intelligendo nomine ipsarũ partem potiorẽ.

Secundò dico, quod sunt scientiæ propriè non subalternatæ, sed subalternantes. Vt enim dictum est quæstione 8. ad scientiam propriè subalternatam requiritur, vt ad suas conclusiones vtatur principijs non per se notis, sed demonstratis in alia scientia; sed physica, mathematica, & logica demonstrant suas conclusiones ex principijs proprijs notis per se per speciale lumen ipsarum, qualia principia sunt in logica *dictum de omni, dictum de nullo*, quæ non inferuntur per demon-

ſtrationem, ſed innoteſcunt per lumen propriè reflexum, ac logicum, ideoque ab Ariſtotele traduntur non in libris de anima, ſed in logica; ergo phyſica, mathematica, & logica ſunt ſcientię non ſubalternatę, ſed ſubalternantes.

Infertur cum Sancto Thoma theologiā eſſe ſcientiam partim ſubalternatam ſciētiæ beatæ, ſeu viſioni beatificæ, partim ſcientijs naturalibus. In quantum enim aſſumit tanquam prima principia veritates reuelatas per ſe non notas nobis, ſed euidenter cognitas per viſionem beatam, ſubalternatur ſcientiæ beatę: in quantum verò aſſumit veritates non per ſe notas, ſed demonſtratas à ſcientijs naturalibus, ſubalternatur ſcientijs naturalibus. Fides verò non eſt propriè ſcientia, quia non demonſtrat, ac ſyllogizat, vt docet cum Sancto Thoma communior ſententia, ſed ſolum credit. Addo theologiam non eſſe ſcientiam ſimpliciter, ſed ſolum ſcientiam ſubalternatam, ita vt ly *ſubalternata* ſit additum diſtrahens. Ratio eſt, quia vniuerſim facultas ſubalternata, cum datur ſine ſubalternante, non eſt ſcientia ſimpliciter, cum non habeat ſimpliciter euidentiam de ſuis concluſionibus: implicat enim, quod intellectus habeat euidentiam de concluſionibus, niſi habeat euidentiam de principijs, ex quibus demonſtrantur; ſed prin-

principia scientiæ subalternatę sunt veritates per se non notæ, sed solum manifestabiles per demonstrationem scientiæ subalternantis, quam demonstrationem supponitur non habere scientia subalternata; ergo non habet euidentiam de suis conclusionibus. Idcirco musica cum datur sine arithmetica, non est simpliciter scientia, quia per illam non scimus conclusionem euidenter; theologia sine scientia beata non est simpliciter scientia, quia non habemus euidentiam de principijs reuelatis, ac proinde nec de conclusionibus. Scientię tamen subalternatæ sunt virtutes intellectus, quia per illas verum anima dicit infallibiliter.

Ad 1. Iam dictum est, quod quatuor facultates secundum partem fallibilem non sunt scientiæ, sed solum secundum partem infallibilem. Et quia pars infallibilis vtpote potior vindicat sibi simpliciter nomen physicæ, mathematicę &c. ideo physica, mathematica &c. simpliciter sunt scientiæ. Concedo etiam, quod non sufficit ad scientiam, vt verum dicat aliquãdo, sed requiritur, vt non possit vnquam errare; sed dico, quod pars illa, quam dicimus scientiam, non potest errare. Verum etiam est, quod bonum ex integra causa, malum ex vnius defectu; at cum pars quædam physicæ sit omninò infalli-

bilis, non habet vllum defectum erroris, ideoque est virtus, & scientia.

Ad 2. Scientia debet esse de obiectò necessario, non quoad existentiam, sed quoad connexionem prædicati cū subiecto. Talem autem necessitatem habent veritates, quæ sunt obiectum quatuor facultatum. Datur enim æterna necessitas, vt corpus naturale constet ex materia, & forma; vt cuiuscumque trianguli tres anguli sint æquales duobus rectis &c. ac proinde quatuor facultates sunt scientię.

Ad 3. Sensus sunt quidem fallaces, sed ita, vt per plures sensationes conformes præsertim sensuum diuersorum possimus dignoscere veritatem. Ex. gr. licet fallatur oculus, dum videt in aqua baculum vt fractum, possumus tamen per tactum certiorem visu aduertere quod non sit fractus. Principia physica non fundantur in vna, vel altera sensatione fallibili, sed in pluribus conformibus, ac proinde infallibilibus. Explicatur exemplo. Singuli homines, qui dicunt Constantinopolim dari, possunt mentiri, & errare; sed est impossibile, vt collectio tot hominum mentiatur, & erret; & quia ego credo Constantinopolim dari, quia collectio nō potest errare, ideo habeo certitudinem de Constantinopolis existentia. Sic in casu nostro singulę sensationes possunt erra-

errare, sed implicat, vt collectio plurium, & plurium erret, ac falsum dicat. Physica ergo, quæ credit propter collectionem plurium, & plurium sensationum conformium, habet euidentiam de principijs. Debet autem aduerti, quod triplex est certitudo, physica, metaphysica, ac moralis. Metaphysica est, per quam sumus certi, quod obiectum per nullam potentiam potest aliter se habere: ex. gr. ego sum certus, quod per nullam potentiam etiam diuinam tres anguli trianguli possunt nõ esse æquales duobus rectis. Physica est, per quam sumus certi, quod obiectum non potest aliter se habere naturaliter, potest tamen miraculosè; ex.gr. ego sum certus, quod sol cras orietur, & quod naturaliter nõ potest non oriri, potest tamen miraculosè non oriri. Moralis est, per quam sumus certi, quod obiectum potest aliter se habere naturaliter, sed est difficillimum, quod aliter se habeat: ex.gr. ego sum certus, quod si iaciam centies talos lusorios, non faciam semper idem punctum, & tamen posset sine miraculo oppositum contingere.

Ad 4. Logica est modus sciendi simul, & scientia. Eo enim ipso, quod sit scientia reflexa, est scientia de scientia, ac de modo sciendi, & vocatur etiam ipsa modus sciendi. Solet autem definiri modus

sciendi

ciendi *progressus à magis noto ad minus otum*, & solent assignari tres modi scienli, definitio, diuisio, & argumentatio. Aristoteles dum dicit *absurdum est simul scientiam, & modum sciendi quærere*, si loquitur le logica, non negat illam esse scientiam, ed solũ asserit, quod debet præmitti cœeris scientijs, vt illas dirigat, & quod bsurdum est, quod aliquis non habens logicam quęrat alias scientias; ex defectu nim logicę sępè errabit, atque hærebit. Dum primo rhet. docet dialecticam, & hetoricam non esse scientias, sed facultates, nomine dialecticæ non intelligit ogicam; sed facultatem disputandi in vtramque partem, quæ affinis est rhetoricæ, licet differat à rhetorica, quod rhetorica est facultas disputandi in vtramque partem præsertim circa agibilia per rationes probabiles populo: dialectica est facultas disputandi in vtramque partem per rationes probabiles sapientibus.

Ad 5. Iam dictum est physicam, mathematicam, & logicam non esse scientias propriè subalternatas, quia demonstrant conclusiones ex principijs proprijs per se notis, licet vtantur etiam principijs metaphysicis communibus.

Vtrum

Vtrum logica practica secundum omnes partes sit virtus, scientia, vel ars. Quæstio XXIII.

PRimò videtur, quod licet logica practica sit virtus secundum illam partẽ, secundum quam dirigit ad syllogismum demonstratiuum, & infallibilem, non tamen sit virtus secundum partem, secundũ quam dirigit ad topicum, & sophisticum: virtus enim, cum sit *dispositio perfecti ad optimum*, non potest vnquam disponere ad malum, & ad falsitatem; sed topica, & sophistica disponere possunt ad falsitatẽ, cum syllogismus topicus possit esse falsus, sophisticus semper sit falsus; ergo logica secundum topicam, & sophisticam non est virtus.

2. Videtur, quod non solum sit virtus logica in quantum docet modum construendi syllogismum topicum, sed etiam habitus topici, atque opinatiui assentientes probabiliter sint virtus. Nam habitus perficiens intellectum magis potiori iure est virtus, quam habitus perficiens minus; sed habitus opinatiui magis perficiunt intellectum, quam habitus certi: per certos enim cognoscimus paucissima obiecta; at per opinatiuos cognoscimus innumera,

& nobilissima; ergo etiam habitus opinatiui sunt virtus.

3. Videtur, quod logica practica non sit scientia. Habitus enim, ad quem non spectat demonstratio suarum conclusionū, non est scientia; sed demonstratio conclusionum logicarum non spectat ad logicam practicam, sed ad speculatiuam: ad logicam enim practicam spectat solum illa cognitio, quę est vtilis ad operandū, demonstratio verò conclusionum nihil confert ad operandum; ergo logica practica non est scientia.

Respondeo logicam esse virtutem intellectus, non solum secundum partem demonstratiuam, sed etiam secundum topicam, & sophisticam. Omnis enim habitus, per cuius actus elicitos verum anima dicit certò, & euidenter, est virtus; sed actus eliciti logicę demonstratiuę sūt pręcepta certa, & euidentia, ac infallibilia de construendo syllogismo demonstratiuo; actus eliciti logicę topicę, ac sophisticę sunt præcepta certa, euidentia, & infallibilia de construendo syllogismo topico, ac sophistico; ergo logica etiam secundum topicam, & sophisticam est virtus. Hinc concluditur, quod etiam sit ars: nam omnis habitus effectiuus sui operis cum ratione certa, & euidente est ars; sed logica secundum omnes partes est

est effectiua sui operis, hoc est syllogism demonstratiui, topici, ac sophistici cum ratione, ac præcepto certo, & euidente: ergo secundum omnes partes est ars. Infertur etiam, quod logica practica sit aliquo pacto scientia, licet potius materialiter, quam formaliter: nam habitus, cuius conclusiones demonstrantur est aliquo pacto scientia; sed conclusiones logicæ practicæ demonstrantur; ergo logica practica est aliquo pacto scientia: est tamen scientia potius materialiter, quam formaliter, quia demonstratio præcepti parum, aut nihil conducit ad operandum; ex. gr. ad faciendum syllogismum in barocco nihil conducit demonstratio, quà per reductionem ad impossibile ostenditur, quod concludit necessario; sed ad facultatem practicam spectant solum cognitiones cōducentes ad operandum; ergo ad logicam vt practicam non spectat demonstratio præceptorum; ergo non est scientia vt practica, sed vt speculatiua, atquè adeo materialiter, non formaliter. Solum igitur ad logicam practicam spectat pręceptum docens, quod syllogismus in barocco concludat necessario; & probatio talis pręcepti, non per demonstrationem, sed per inductionem à posteriori, qua aduertitur, quod semper concludit.

Ad 1. Respondeo primo, distinguo maio-

maiorem: virtus non poteſt diſponere ad malum per ſe,& ita vt eius actus elicitus ſit malus, concedo : virtus non poteſt diſponere ad malum per accidens , & ita, vt eius actus elicitus ſit bonus,nego maiorem : diſtinguo eodem pacto minorem; & nego conſequentiam . Virtus moralis , ac intellectualis habent hoc , vt ſicut virtus moralis nunquam poteſt elicere actũ peccaminoſum , ita virtus intellectualis nunquam poſsit elicere actum falſum : tamen ſicut virtus moralis eliciendo actũ bonum poteſt per accidens inclinare ad peccatum , eo pacto , quo cum quis ieiunat , per accidens inclinatur ad peccatum vanęgloriæ : ſic virtus intellectualis eliciendo actum verum, poteſt per accidens inclinare ad actum falſum . Ex. gr. prudentia dictans , quod ego debeo credere teſtibus fide dignis, verum dicit,& tamen poteſt me diſponere ad credendum teſtibus fide dignis in caſu , in quo mentiantur, adeoque ego decipiar, ac errem . In caſu noſtro topica tradens præceptum verum de conſtruendo ſyllogiſmo topico poteſt per accidens inclinare ad aſſentiendum, adeoque faciendum actum falſum.

Secundo reſpondeo concedo maiorem, & nego minorem : nam topica , & ſophiſtica diſponunt ſolum ad ſyllogiſmum topicum , & ſophiſticum conſtruendum ,

non

non autem ad illis assentiendum. De syllogismo sophistico res est euidens. Neque enim qui construit syllogismum sophisticum ex arte, potest illi assentiri, cum sciat illum esse fallacem, ac non concludere. Similiter qui construit syllogismũ topicum potest assentiri, & non assentiri, vt voluerit; ergo cũ logica solum disponat ad syllogismos topicos, & sophisticos construendos, in constructione verò non possit esse falsitas, sed solum in assensu, ad quem logica non disponit, sequitur quod logica topica, & sophistica non disponat ad falsum.

Ad 2. Transeat, quod habitus perficiens intellectum magis intensiuè, & cœteris paribus, potiori iure sit virtus, quam habitus perficiens minus: at nego, quod habitus perficiens magis solum extẽsiuè, in quantum extenditur ad plures actus potiori iure sit virtus. Habitus opinatiui si magis perficiunt intellectum, quam habitus infallibiles, perficiunt magis solum extensiuè, in quantum extenduntur ad plura obiecta, vel si cætera non sint paria, eo quod cognoscant veritates nobiliores: at si cętera sint paria, multo magis perficiunt habitus infallibiles, vt est manifestum; ideo habitus opinatiui non sunt virtus.

Ad 3. Iam dictum est, quod logica pra-

practica est scientia potius materialiter, quam formaliter, quia demonstratio conclusionum spectat ad logicam, non in quantum est practica, sed in quantum est speculatiua.

Vtrum logica benè diuidatur in naturalem, & artificialem, docentem, & vtentem, & an sit necessaria ad scientias. Quæstio XXIV.

PRimo videtur, quod mala sit diuisio logicæ in naturalem, & artificialem. Nulla enim ars benè diuiditur in naturalem, & artificialem; eo enim ipso diuideretur in artem, & non artem; sed logica est ars; ergo &c.

2. Si logica benè diuideretur in naturalem, & artificialem, etiam cæteræ sciētiæ, & artes, ex.gr. physica, mathematica, metaphysica, musica, pictura deberent diuidi in naturales, & artificiales; imò etiam prudentia, & virtutes morales deberent proportionaliter diuidi in naturales, & acquisitas, ita vt poneretur prudentia naturalis, & acquisita, temperantia naturalis, & acquisita.

3. Videtur logicam malè diuidi in docentem, & vtentem. Logica enim vtens nihil aliud potest esse, quam habitus, ad

quem

quem spectat vti præceptis logicis, & illa exequi, definiendo, diuidendo &c; sed ad omnes scientias spectat vti præceptis logicis vtpote traditis in vsum scientiarum; ergo logica vtens essent omnes scientiæ, quod est absurdum.

4. Videtur quod logica non sit necessaria ad scientias. Logica enim est scientia, & quidem difficilior cæteris; sed non est necessaria ad se ipsam; ergo nec ad cæteras scientias.

5. Non potest explicari vtrum sit necessaria sola logica naturalis, an etiam artificialis; vtrum sit necessaria simpliciter, vel secundum quid; vtrum ad singulos actus scientiæ, vel solum ad scientiam totalem, & actus difficiliores; ergo logica non est necessaria ad scientias.

Respondeo, quod sumendo latè nomen logicę, in quantum significat dispositioné intellectus ad contemplandum ens intentionale per lumen reflexum, & ad cognoscendum practicè, quo pacto possint res benè intelligi, definiendo, diuidendo, argumentando, & exercendo alias operationes rationis, logica benè diuiditur in naturalem, & artificialem, ita vt logica naturalis sit dispositio accepta à natura contemplandi ens intentionale per lumen reflexum, & cognoscendi practicè, quo pacto res benè intelligantur, definiendo, diui-

diuidendo, & argumentando ; artificialis ſit diſpoſitio ad hęc eadem acquiſita per aſſuetudinem, vel diſciplinam, quę diſpoſitio per aſſuetudinem acquiſita , dum eſt imperfecta, & facilè mobilis,atque amiſſibilis , eſt mera diſpoſitio , & nondum habet rationem habitus ; cum verò eſt perfecta , & difficilè mobilis, atque amiſſibilis, tunc eſt habitus, vt alibi fuſius explicabitur . Quod dixi de logica, dicendum etiam de phyſica, mathematica , metaphyſica,muſica,pictura,& alijs ſcientijs, & facultatibus . Poſſunt enim latè accipi pro diſpoſitione contemplandi certa obiecta, & exercendi certas operationes, ac diuidi in naturales, & artificiales . Diſpoſitio naturalis eſt fundamentum artificialis. Vnuſquiſque enim addendo aſſuetudinem,& diſciplinam, euadet excellens in ea facultate , ad quam naturaliter eſt benè diſpoſitus : exgr. qui naturaliter eſt benè diſpoſitus ad picturam, addendo diſciplinam, & aſſuetudinem, euadet pictor excellens. Habitus morales poſſunt diuidi proportionaliter, ac intellectuales. Sumendo enim nomina temperantiæ , fortitudinis, liberalitatis latè , in quantum ſignificant diſpoſitionem ad exercendos actus, & opera fortitudinis, temperantiæ, liberalitatis &c. poſſunt diuidi in naturales, & acquiſitos . Naturalis eſt diſpoſitio

sitio ad exercendos actus, & opera talium virtutum accepta à natura, per quam aliqui, qui idcirco dicuntur sortiti animam bonam, sunt naturaliter propensi ad opera virtutum. Acquisita est, quæ acquiritur actibus, & assuetudine, quæ si perficiatur, & acquirat immobilitatem, euadit habitus, ac virtus. Neque enim sufficit ad hoc, vt aliquis sit simpliciter temperans, quod viuat temperatè, nisi sit immobiliter dispositus ad temperatè viuendũ. Confirmatur ex Aristotele 6.eth. vbi prçter prudentiam acquisitam agnoscit quãdam facultatem naturalem affinem prudentiæ, quam vocat calliditatem, quæ definiri potest: *naturalis dispositio intellectus ad iudicandum, quæ media conducant ad finem propositum*, & si perficiatur assuetudine, euadit versutia, quæ vulgò vocatur prudentia. Vulgus enim appellat prudentes eos homines, qui sciunt inuenire media opportuna ad quemcumque finẽ propositum, licèt hæc non sit vera prudentia definita ab Aristotele, quę potest inueniri in solo viro probo. Licèt tamen facultates intellectuales, & morales proportionaliter se habeant, datur inter eas hæc differentia, quod in intellectualibus debet quisque ponere prçcipuum studium in ea facultate, ad quam naturaliter est melius dispositus; euadet enim excellens:

at è conuerſo debet præcipuum ſtudium ponere in ea virtute morali, ad quam eſt peius diſpoſitus, nè ex defectu talis virtutis felicitatem amittat, eo pacto, quo illa pars arcis eſt præcipuè cuſtodienda, ex qua periculum imminet nè intret hoſtis.

Secundo dico: benè logica diuiditur in docentem, & vtentem, & hęc diuiſio poteſt multipliciter explicari. Primo ita, vt logica docens ſumatur pro theorica, hoc eſt pro habitu tradendi pręcepta vniuerſalia rectè cognoſcendi, definiendi, diuidendi, argumentandi, qui habitus poteſt addiſci ſtudio, & diſciplina ante omnem vſum, & executionem pręceptorum; logica verò vtens ſumatur pro practica, hoc eſt pro habitu, quo quis ex memoria operationum aliàs rectè factarum dirigitur ad tradenda præcepta particularia ſimiles operationes hic, & nunc exercendi, qui habitus non poteſt acquiri, niſi vſu, & executione præceptorum. In hoc ſenſu logica docens, & vtens realiter diſtinguuntur, ſicut duę partes ſeparabiles vnius habitus totalis; cum in multis detur optima theorica ſine practica, in alijs optima practica ſine theorica. Secundò nomine logicę docentis poteſt intelligi habitus in quantum inclinat ad tradenda præcepta: nomine vtentis idem habitus,

in quantum per eadem præcepta inclinat ad vſum, & executionem præceptorum, hoc eſt ad definiendum, diuidendum, &c. Si in hoc ſenſu ſumantur, differunt ſolum ſecundum diuerſa connotata. Idem enim habitus, in quantum inclinat ad pręcepta tradenda vocatur logica docens; in quantum per præcepta inclinat ad eorum executionem, vocatur logica vtens. Tertio nomine logicæ vtentis poteſt intelligi ipſa logica, in quantum traditis quibuſdam præceptis, illa exequitur in aliis ſuis partibus, definiendo, diuidendo, argumentando in materia logica. Quarto nomine logicæ vtentis intelligunt aliqui ſcientias, quæ exequuntur præcepta logicæ in propriis materiis, animaduertendo ad talia pręcepta, ita vt talia pręcepta facilitent ad actus ipſa exequentes cum reflexione ad precepta.

Tertio: dico logica naturalis eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſcientias, & ad omnes, ac ſingulos actus ſcientificos exercendos; logica artificialis eſt ſolum moraliter neceſſaria ad ſcientias totales perfectè acquirendas: in quantum tamen demonſtrat neceſſitatem formę ſyllogiſticæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad perfectionem omnium, & ſingulorum actuum ſcientificorum, vt cognoſcant concluſionem materialem, & formalem per cau-

ſam. Probatur, quia illud eſt neceſſarium ſimpliciter, ſine quo aliud haberi non poteſt ſaltem naturaliter, eo pacto, quo quia vita naturaliter conſeruari nequit ſine cibo, cibus eſt ſimpliciter neceſſarius ad vitam; illud eſt neceſſarium moraliter, ſine quo aliud vix poteſt haberi, eo pacto, quo ad benè pingendum eſt neceſſaria moraliter ars pictoria, quia ſine arte vix poteſt benè pingi; ſed nullus actus ſcientificus poteſt haberi ſine ſyllogiſmo; ſyllogiſmus non poteſt haberi ſine diſpoſitione ſaltem naturali ſyllogizandi, quæ diſpoſitio eſt logica naturalis; ergo logica naturalis eſt ſimpliciter neceſſaria ad omnes, & ſingulos actus ſcientificos. E conuerſo, actus ſcientifici faciles poſſunt haberi per ſyllogiſmos factos ex ſola logica naturali; ergo logica artificialis non eſt neceſſaria ad ſingulos actus ſcientificos; ſed in ſcientiis totalibus etiam mathematicis, dantur actus ſcientifici valde difficiles, contra quos occurrunt implicatiſſima ſophiſmata ſcientiæ deſtructiua, & impeditiua, quæ vix ſoluuntur per logicam artificialem, per logicam naturalem ſolui moraliter non poſſunt; ergo logica artificialis eſt moraliter neceſſaria ad ſcientias totales acquirendas.

Confirmatur, & explicatur. Sicut enim qui naturaliter eſt benè diſpoſitus

ad

ad natandum sine arte benè natabit in loco facili, at in loco difficili plenoque vorticibus omnino non euadet; sic qui est benè dispositus per logicam naturalem soluet quidem sophismata facilia, at difficillima non soluet, adeoque impedietur ab acquirenda scientia perfecta, quę reddat intellectum imperturbabilem. Quod etiam patet à posteriori: nam antiqui philosophi in multis errarunt ex defectu logicæ.

Demumquod logica in quantum demonstrat formam syllogisticam sit simpliciter necessaria ad perfectionem omnium, & singulorum actuum scientificorum, probatur; quia vt mathematicus sciat hāc conclusionem materialem *cuiuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis*, debet scire causam huiusmodi veritatis; vt sciat hanc conclusionem formalem, in quantum est conclusio in barbara, debet scire causam, cur syllogismus in barbara necessario concludat, quæ causa affertur á logica; ergo logica in quantum demonstrat necessitatem formę syllogisticę est simpliciter necessaria ad omnes, & singulos actus scientificos, vt sciant conclusionem materialem, & formalem per suam causam.

Pro conclusione omnium quęstionum procemialium, quia ex Aristotele fructus

disputationis, ac demonstrationis est definitio, libet ex iis, quę de essentia logicę sunt disputata, colligere difinitionem logicæ. Est igitur logica *scientia partim speculatiua, partim practica, adeoque ars contemplans ens intentionale per lumen reflexum, & descendens vsque ad præcepta practica rectè intelligendi.*

Ad 1. Logica strictè sumpta in quantum est ars, vel habitus acquisitus, non benè diuiditur in naturalem, & artificialem: at si latè sumatur pro dispositione abstrahente à naturali, vel acquisita contemplandi, & cognoscendi practicè ens intentionale, benè diuiditur tali diuisione, ac possunt proportionaliter diuidi alij habitus intellectuales, & morales, vt dictum est: & per hoc patet ad secundum.

Ad 3. Logica vtens potest etiam sumi pro scientijs, quæ vtuntur preceptis logicis cum reflexione ad ipsa: sed in hac acceptione videtur potius logica vtens in ablatiuo, quam in nominatiuo, cum scientię non sint logica, sed sint vtentes logica.

Ad 4. Logica non prerequiritur ad logicam, primo quia demonstrationes logicę sunt ita faciles, & euidentes, vt ad illas sufficiat logica naturalis, sicut sufficit ad quasdam demonstrationes aliarum scien-

ſcientiarum. Secundo pręcepta logicę dum tradunt doctrinam vniuerſalem de ſyllogiſmo, demonſtratione, ac de ſolutione ſophiſmatum, eamque probant à poſteriori per inductionem, & exempla, deſeruiunt etiam ad examinandas demonſtrationes à priori, & ad ſoluenda ſophiſmata contra regulas logicæ, atque adeo logica à poſteriori, & practica aliqualiter eſt neceſſaria ad logicā ſpeculatiuam; ergo à fortiori eſt neceſſaria ad cęteras ſcientias.

Ad 5. Iam dictum eſt explicando dubia in obiectione propoſita.

QVAESTIONES

de Vniuerſalibus.

Explicatur ordo diſputandorum.

POſtquam in quæſtionibus prooemialibus egimus de ſcientiis, ſequitur, vt diſputemus de vniuerſalibus, quæ ſunt obiecta ſcientiarum, & quorum tractatio ſpectat ad logicam, hoc eſt ad ſcientiam intentionalem, cum vniuerſalia vt vniuerſalia ſint entia intentionalia, hoc eſt conſtituta per actum intellectus, vt inferius oſtendemus. Primò igitur quę-

rimus, an vniuersalitas sit perfectio cognitionis, ac scientiæ. Secundò an scientia humana possit esse de singularibus, vel solum de vniuersalibus. Tertiò an dentur à parte rei vniuersalia separata à singularibus, vt ponebat Plato. Quartò an dentur ante singularia, vel in singularibus. Quintò quia vniuersale constituitur per vnitatem, disputamus de vnitate, & eius diuisionibus, præsertim in numericam, specificam, genericam, & analogicam, examinantes etiam, an, & quomodo dentur à parte rei.

Iam quia ex eo, quod vniuersale non detur à parte rei, sequitur quod detur per intellectum abstrahentem, & præscindentem obiectiuè, vel formaliter rationes communes à singularibus, quærimus, vtrum intellectus possit præscindere obiectiuè, vel solum formaliter vniuersale à singularibus. Et quia quæstio de præcisione obiectiua pendet ab ea, an rationes genericæ, specificæ, & indiuiduales distinguantur virtualiter intrinsecè, vel formaliter ex natura rei, ideo præmissa quæstione de definitione, ac diuisione distinctionis, quærimus, an vniversim in creatis repugnet distinctio virtualis intrinseca, vel formalis ex natura rei; an de facto rationes genericæ, specificæ, ac indiuiduales distinguantur forma-

maliter ex natura rei. Deinde descendimus ad examinandum, an, & quomodo, & per quos actus intellectus faciat vniuersale, per pręcisionem obiectiuam, vel formalem à singularibus; an solus intellectus humanus, an etiam diuinus, & angelicus faciant vniuersale; vtrum fiat à voluntate, & potentijs sensitiuis; vtrum vniuersale logicum, hoc est proximè prædicabile constituatur per actum absolutum, vel comparatiuum; an vniuersale in actuali prædicatione retineat suam vniuersalitatem, & per hoc concludimus quęstiones de vniuersalibus in communi.

Vtrum sit perfectio cognitionis, ac scientiæ, quod sit vniuersalis. Quæstio XXV.

VIdetur quod non 1., quia tum scientia est perfectior, cum magis exprimit obiecta pro vt sunt; sed obiecta non sunt vniuersalia, sed singularia; ergo scientia perfecta non debet esse de vniuersalibus, sed de singularibus.

2. Scientia quò clarior, eo perfectior est; sed scientia de singularibus est clarior, quam scientia de vniuersalibus; ergo perfectior est scientia de singularibus, quam de vniuersalibus.

3. Deus habet perfectissimam scientiam; sed scientia Dei non est de vniuersalibus, sed de singularibus; ergo non requiritur ad perfectam scientiam vt sit de vniuersalibus.

Respondeo, quod quęstio potest habere duplicem sensum. Primus sensus est, vtrum sit perfectio scientiæ, quod sit vniuersalis, hoc est vna de pluribus obiectis. Secundus sensus est, vtrum sit perfectio scientiæ, quod cognoscat obiecta in vniuersali, hoc est non distinguendò singularia inter se. In primo sensu manifestum est, quod est magna perfectio scientiæ, vt sit vniuersalis. Differentia quippe, & perfectio, per quam natura cognoscitiua eleuatur supra naturam non cognoscitiuam, atque illam excedit, consistit in quadam vniuersalitate, & amplitudine essendi; imperfectio verò naturæ non cognoscitiuę consistit in quadam singularitate, & coarctatione essendi. Natura non cognoscitiua, cum solum habeat suam formam, & non possit in se recipere formas, species, ac similitudines intentionales aliarum rerum, est restricta ad suum esse singulare; ex. c. ignis cum solum habeat formam singularem ignis, & non possit recipere formas, species, & similitudines intentionales aquę, terrę, plantarum, & aliarum rerum, est re-

restrictus, & coarctatus ad esse singulare huius ignis: idemque dic de cęteris naturis non cognoscitiuis. E conuerso naturæ cognoscitiuę, cum non solum habeant suam formam, sed possint etiam recipere formas, species, & similitu dines intentionales aliarum rerum, non sunt coarctatę ad suum esse singulare, sed habent quamdam amplitudinem, & vniuersalitatem essendi, per quam non solum sunt id, quod sunt, sed etiam sunt quodammodo alia, ideoque de anima intellectiua dixit Aristoteles 3.de anima:tex 37. quod est quodammodo omnia, quia recipit species intentionales omnium rerum, & ex Aristotele totam hanc doctrinam desumpsit S. Thomas 1. parte quęst. 14. artic. primo & etiam in comm. tex. 27. lib. 2. de anima, & pluribus alijs locis.

Iam sicut natura cognoscitiua excedit naturam non cognoscitiuam per quandam vniuersalitatem, & amplitudinem essendi, sic natura cognoscitiua superior excedit naturam cognoscitiuam inferiorem per hoc, quod habeat maiorem vniuersalitatem, & amplitudinem essendi. Ita natura intellectiua est vniuersalior, quam natura sensitiua, quia natura intellectiua est quodammodo omnia, cum possit recipere species intentionales omnium rerum; natura verò sensitiua, cum

possit recipere solum species rerum sensibilium, non est omnia, sed solum sensibilia. Ex naturis intellectiuis superiores sunt vniuersaliores inferioribus, quia superiores possunt plura simul distinctè cognoscere: ex. c. Angeli possunt plura simul cognoscere, quam anima rationalis, Angeli superiores possunt plura simul distinctè cognoscere, quam inferiores: Deus verò est vniuersalissimus, in quantum potest simul cognoscere distinctissimè omnia cognoscibilia.

Ex eo igitur, quod perfectio naturę cognoscitiuę consistat in quadam vniuersalitate, sequitur, quod etiam perfectio cognitionis, ac scientiæ, quæ sunt propriæ operationes naturę cognoscitiuę, & intellectiuę, consistant in quadam vniuersalitate, ac proinde quod cæteris paribus, illa cognitio sit perfectior, quę cum sit vna, extenditur ad plura cognoscenda. Et quia cognitio diuina est perfectissima, ideo cum sit vnica cognoscit omnia cognoscibilia: de angelis dicit Dionysius cap. 12. de cęlesti hyerarchia, quod superiores participant scientiam magis in vniuersali, quam inferiores: in hominibus videmus, quod qui sunt debilioris intellectus, quasdam veritates capere non possunt, nisi eis particulatim per singula explicentur, qui verò sunt fortioris intel-

intellectus simul multa capere possunt, vt D. Thomas docet prima parte quęst. 55. art. 3. in corpore: potentię verò sensitiuę quia sunt imperfectissimæ habent cognitiones minimè vniuersales, & maximè alligatas ad obiecta singularia; ergo manifestum est, quod vniuersalitas est perfectio cognitionis. Et ratio à priori est, quia vnitas plurium perfectionum est magna perfectio; sed vniuersalitas est quędam vnitas, per quam in vnica cognitione coadunantur perfectiones plurium cognitionum, & obiectorum; ergo vniuersalitas est perfectio cognitionis, ac scientię.

In secundo sensu quęstionis dicendum, quod non est perfectio, sed imperfectio cognitionis, ac scientię, vt cognoscat res solùm in vniuersali, non distinguendo singularia inter se. Ratio est, quia omnis confusio exclusiua claritatis, & distinctionis est imperfectio cognitionis, ac scientię; sed cognoscere res solum in vniuersali non distinguendo singularia inter se est quędam confusio exclusiua claritatis, & distinctionis; ergo cognoscere res solum in vniuersali non est perfectio, sed imperfectio cognitionis, ac scientię. Confirmatur: nam intellectus perfectior differt ab imperfectiori non per hoc, quod possit plura cognoscere in vni-

vniuersali, cum omnis intellectus etiam imperfectissimus possit formare conceptū communissimum intelligibilis, per quem in vniuersali cognoscit omnia omnino, sed solum differt in hoc, quod possit plura simul in particulari cognoscere; ergo cognoscere res solum in vniuersali non est perfectio, sed imperfectio cognitionis. Et per hoc patet ad argumenta in contrarium. Probant enim, quod non sit perfectio cognitionis, ac scientię, vt cognoscat obiecta solum in vniuersali, non distinguendo singularia inter se, at non probant, quod non sit perfectio cognitionis, ac scientię, vt sit vniuersalis, hoc est vna de multis.

Vtrum scientia humana sit de singularibus. Quęstio XXVI.

VIdetur, quod scientia humana sit etiam de singularibus 1. quia, vel scientia humana non est de singularibus, quia nullo pacto attingit singularia; vel quia non attingit ita, vt vnum singulare distinguat ab alio; neutrum dici potest: nam cum cognoscimus, quod cuiuscumque trianguli tres anguli sunt ęquales duobus rectis, procul dubio attingimus om-

omnes triangulos singulares; preterea est manifestum, quod plura singularia, e. g. plures homines distinguimus inter se; ergo scientia humana est de singularibus.

2. Circa obiectum, circa quod potest versati potentia inferior, à fortiori potest versari potentia superior; sed sensus, qui est potentia inferior, potest versari circa singularia per actus sentiendi; ergo intellectus potest circa singularia versari per actus sciendi.

3. Id, quod per aliud scitur, magis scitur; sed vniuersalia sciuntur per inductionem singularium, vt docet Aristoteles 2. poster. tex. 27; ergo magis sciuntur singularia. Confirmatur ex eodem Aristotele 1. post. tex. 12. *Dico autem ad nos priora, & notiora propinquiora sensui: simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius sunt; sunt autem longinquissima quidem vniuersalia maximè, proxima sunt singularia*; sed quæ sunt nobis notiora sunt etiam magis scibilia; ergo singularia sunt magis à nobis scibilia, quam vniuersalia.

Respondeo, quòd ex pluribus patet intellectum humanum esse defectuosum in cognoscendis singularibus, præsertim sensibilibus. Primo quia vt illa cognoscat indiget sensibus, e. g. vt cognoscat singularia visibilia indiget sensu visus,

vt

vt cognoſcat ſingularia audibilia, indiget ſenſu auditus ; ergo eſt defectuoſus in cognoſcendis ſingularibus ſenſibilibus. Secundò, quia cognitis ſingularibus naturaliter contemnit cognitionem ipſorũ, & progreditur ad abſtractionem vniuerſalis, in cuius contemplatione quieſcit; ergo ſignum eſt, quod cognitio, quam de ſingularibus format, eſt valde imperfecta. Tertio quia cognitio qua de re cognoſcatur, quid per accidens, & mutabiliter ſit, non autem quid ſit per ſe, neceſſariò, ac immutabiliter, eſt valdè imperfecta; ſed intellectus de ſingularibus ſolum penetrat quid ſint per accidens, & mutabiliter, non autem quid ſint per ſe, ac neceſſariò; ergo intellectus humanus de ſingularibus habet cognitionem valde imperfectam. Minor probatur experientia, & inductione deſcriptionum, quas de ſingularibus formamus. Omnes enim conueniunt illis per accidens; ex. gr. deſcriptio Petri eſt quod ſit *homo habens talem figuram, ſtaturam, & aggregatum talium accidentium*; ſed per accidens eſt, quod hic homo habeat aggregatum talium accidentium, cum potuiſſet habere diuerſam figuram, ſtaturam, & aggregatum accidentium diuerſorum; ergo deſcriptio huius hominis in ſingulari conuenit illi ſolum per accidens

dens. Idem dic de descriptione, quam formamus huius albedinis. Dicimus enim, quod sit *albedo existens tali loco, & tempore &c*; sed hæc omnia prædicata per accidens solum competunt tali albedini; ergo descriptio talis numero albedinis conuenit illi solum per accidens, & exprimit non quid per se, sed quid per accidens sit. Confirmatur, quia non potest singulare per se distinctè cognosci, nisi penetretur distinctè eius singularitas, per quam per se differt ab alijs singularibus; sed non penetramus distinctè singularitatem, per quam vnum singulare per se differt ab alijs, ex. g. ego non penetro, per quam singularitatem differam ab alijs hominibus; ergo non possumus singularia per se distinctè cognoscere; sed non possumus habere scientiam per se de aliquo subiecto, nisi cognoscamus de ipso, quid per se sit, formando aliquam descriptionem per se conuenientem tali subiecto, ita vt non possit illi non conuenire; ergo non possumus de singularibus acquirere scientiam per se, & propriam, sed solum per accidens, & imperfectam; ergo solum possumus habere scientiam per se de rebus in vniuersali, formando descriptiones per se conuenientes toti speciei: e. g. possumus per se cognoscere quid sit homo, formando descriptionem expri-

men-

mentem; quod *homo est animal rationale*, cum homo per se, & necessariò sit animal rationale, ita vt non possit non esse animal rationale.

Hinc verò patet, quod ad logicam spectat agere de vniuersalibus. Debet enim statuere, quale sit obiectum per se scibile; sed solum vniuersale est per se scibile; ergo debet agere de vniuersalibus, in quantum vniuersalitas subiecti requiritur ad scibilitatem per se.

Ad 1. Certum est, quod intellectus humanus potest habere scientiam de singularibus in vniuersali, per quam nimirum cognoscat illa, non distinguendo inter se. Solum igitur dicimus, quod non possumus de singulari habere scientiam per se, per quam vnum singulare distinguamus ab altero per prædicata per se ipsi conuenientia, vt explicatum est. Dum opponitur, quia distinguimus vnum hominem ab alio e. g. Petrum à Paulo: respondeo, quod distinguimus vnum hominem ab alio per prædicata merè per accidens illis conuenientia, nimirum per figuram, staturam, & alia, quæ explicamus hoc versu.

Forma, figura, locus, stirps nomē, patria, tēpus

at verò per prædicata per se illis conuenientia non distinguimus, vt patet experientia.

Ad

Ad 2. Intellectus noster potest qnidem versari circa singularia, sed ita vt accipiat eorum cognitionem à sensu: & quia sensus de singularibus non penetrat quid per se, & necessario sint, sed solum quid sint per accidens; ideo intellectus humanus de singularibus habet solum scientiam per accidens, non autem scientiam per se.

Ad 3. Distinguo maiorẽ; id, per quod aliud scitur, ascendendo ab imperfecto ad perfectum, magis scitur, nego; descendendo ab vno perfecto ad aliud contentum in ipso, concedo maiorem, distincta eodem pacto minore, nego consequentiam. Dupliciter potest vnum sciri per aliud. Primo incipiendo à cognitione vnius, quod est imperfectum, & ascendendo ad aliam cognitionem perfectam; & tunc id per quod aliud scitur, minus scitur. Secundo à cognitione perfecta vnius progrediendo ad cognitionem alterius; & tunc id, per quod aliud scitur, magis scitur. In casu nostro intellectus incipit à cognitione singularium à sensibus accepta, & penetrante solum quid per accidens sint: tum verò per abstractionem ab ijs, quę per accidens conueniunt singularibus, progreditur ad cognoscendum quid per se sint in vniuersali. Ad Aristotelem dicentem singularia esse magis

gis

gis nota nobis, dico, quod singularia sunt magis nota scientia exprimente quid per accidens sint; vniuersalia sunt magis nota scientia exprimente, quid per se sint, & per hoc possunt conciliari plura loca Philosophi, quę videntur contraria.

Vtrum detur vniuersale à parte rei extra singularia. Quæstio XXVII.

PRimo videtur vera sententia Platonis, quod præter singularia sensibilia, materialia, & mutabilia, dentur vniuersalia immutabilia, & immaterialia: ex. g. quod preter hominem, & equum sensibilem, & mutabilem detur homo, & equus vniuersalis, insensibilis, & immutabilis. 1. quia sicuti se habet sensus ad obiectum sensibile, ita se habet intellectus ad obiectum intelligibile; sed quia sensus est materialis non potest attingere obiectum immateriale; ergo quia intellectus est immaterialis non potest per se contemplari obiectum immateriale; sed intellectus per se contemplatur vniuersalia, e. g. quid sit homo, vel equus; ergo homo vniuersalis, vel equus vniuersalis sunt immateriales.

2. Ve-

2. Veritas, quæ semper, necessariò, & immutabiliter est, non potest fundari in subiecto, quod aliquando est, aliquando non est; sed istę veritates quod *homo sit animal rationale*; *quatuor, & tria faciunt septem*, semper, immutabiliter, ac necessario sunt; ergo non possunt fundari in obiectis, quæ modo sunt, modo non sunt; ergo veritates necessarię non fundantur in singularibus, sensibilibus, sed fundantur in naturis rerum; e. g. ista veritas, quod *homo sit animal rationale* fundatur in natura hominis; ergo præter singularia dantur naturę vniuersales.

Respondeo, quod sæpè contingit, vt ex eodem principio falso, subiungendo in minori propositiones veras, ac certas, inferantur errores contrarij. In casu nostro Plato, ac philosophi antiquiores conuenerunt in hoc principio, quod obiecta eodem pacto sint in cognoscente, sicut sunt in se ipsis. Subsumebant Heraclitus, & quidam alij antiquiores philosophi: omnia corpora sunt in se ipsis materialiter, mutabiliter, & veluti in perpetuo quodam fluxu, cum modo sint, modo non sint, nunc se habeant vno modo, nunc altero modo; ergo omnia corpora sunt in cognoscente materialiter, mutabiliter, ac veluti in perpetuo quodam fluxu; sed ad scientiam requiritur, vt

obiectum sit in cognoscente immutabiliter, & immobiliter, ita vt cognoscens habeat certitudinem, quod subiectum non potest aliter se habere; ergo de corporibus non potest dari scientia: & quia putabant, quod in mundo nihil detur pręter corpora, concludebant, quod absolutè non datur scientia, neque vlla cognitio certa, & firma de rebus, sed solum cognitio quædam fluxa, & mutabilis, ideoque apud Aristotelem lib. 4. metaph. tex. 22. dicebat Heraclitus, quod sicut impossibile est aquam fluuij currentis bis tangere, quia cum secundo conamur tangere, iam pręterijt, sic impossibile est de rebus mutabilibus formare cognitionem certam, & immutabilem, quia dum putamus, quod ita se habeant mutantur & aliter se habent. Hinc vlterius inferebant, quod intellectus non differt à sensu, sed est quidam sensus. Sicut enim sensus est potentia percipiens obiecta mutabilia mutabiliter, ita vt cum obiecta mutantur in se ipsis, mutentur etiam secundum apparentiam, quam habent in sensibus; sic intellectus percipit solum obiecta mutabilia mutabiliter, ita vt non habeat de ipsis certitudinem, sed mutatis obiectis, mutatur etiam apparentia, quam habent in intellectu.

Ex opposito Plato subsumpsit, quod obie-

obiecta e. g. homo, equus habent in intellectu quoddam esse vniuersale, immutabile, necessarium, & immateriale: vniuersale quidem, quia homo, qui cognoscitur, non est restrictus ad hoc, vt sit Petrus, vel Paulus; immateriale, quia non est restrictus ad hoc, vt sit in hac materia, neque vt pendeat à conditionibus materiæ, e. g. ab hoc loco, vel tempore: necessarium, & immutabile, quia homo, qui cognoscitur, necessario, & immutabiliter est animal rationale, ita vt non possit non esse animal rationale. Hinc verò intulit, quod præter obiecta singularia, materialia, sensibilia, & mutabilia dentur à parte rei obiecta vniuersalia, immaterialia, purè intelligibilia, & immutabilia; e. g. quod præter homines singulares, nimirum Petrum, & Paulum, qui nascuntur, & occidunt, & pluribus modis mutantur, detur homo vniuersalis, æternus, & immutabilis, qui semper, & necessario sit animal rationale, & non dependeat à materia, neque à circunstantijs loci, & temporis. Hæc autem vniuersalia vocauit ideas, seu exemplaria. Ratio est, quia idea est, *ad cuius imitationem opus fit*; sed omnia singularia, & materialia fiunt ad imitationem alicuius vniuersalis, & immaterialis: e. g. domus singularis, & materialis fit ad imita-

tio-

onem alicuius domus vniuersalis; & nmaterialis, quam artifex sibi proponit ontemplandam tanquam ideam domus aciendę;ergo homo vniuersalis est idea, z exemplar, ad cuius imitationem fiunt mnes homines singulares.

Confirmabat, quia idęa operis facti ręcedit opus factum; sed omnes homies singulares sunt facti; ergo præcedit liquis homo vniuersalis, qui sit idea omnium hominum singularium: & quia mnes homines singulares sunt facti ad nitationem hominis vniuersalis, dicebat, quod singularia fiunt per participaionem idearum vniuersalium. Addebat, uod ideę vniuersales sunt obiectum intellectus, eo pacto, quo singularia sunt biecta sensuum. Sicut enim homo singularis, materialis, & mutabilis mouet ensum ad sensationem materialem, & nutabilem sui, sic homo vniuersalis, ac nmaterialis, & immutabilis mouet intellectum ad formandam de ipso definitonem, aut demonstrationem immaterialem, & immutabilem, per quam certò, & immutabiliter cognoscitur, quod a est animal rationale, vt non possit on esse animal rationale. Hinc conclu-ebat, quod scientia causatur in nobis x eo, quod ideæ vniuersales imprimant n nostris intellectibus imagines immuta-

bi-

biles sui, sicut sensationes causantur ex eo, quod singularia imprimant in sensibus imagines sui mutabiles, ac delebiles.

Hæc sententia Platonis ex principijs Aristotelicis reijcitur multipliciter. Primo falsum est principium, ex quo Plato, & antiqui sumpserunt occasionem errandi, quod obiecta eodem pacto sint in cognoscente, quo sunt in se ipsis. Patet: nam ipsa obiecta sensibilia sunt in sensibus modo quodam altiori, & minus materiali, quam sint in se ipsis; e. g. colores sunt in suis subiectis omnino materialiter, hoc est ita vt pendeant à dispositionibus, & temperamento materię, cum non possit idem subiectum retinens idem temperamentum ex vno colore mutari in alium: at visio coloris est in oculo minus materialiter, cum oculus retinens suum temperamentum possit recipere visiones diuersorum colorum, albi, nigri, & rubri &c. Rursus in eadem parte subiecti non possunt esse plures colores: at in eadem parte oculi possunt simul esse visiones plurium colorum, albi, nigri, rubri; ergo colores sunt in vidente modo quodam altiori, ac minus materialiter, minusque dependenter à conditionibus materię, quam sint in re ipsa. Ratio à priori est, quia entia cognoscitiua per

hoc

hoc ipsum, per quod sunt cognoscitiua habent quamdam vniuersalitatem, per quam possunt fieri quodammodo omnia, vel plura entia, vt dictum est quęstione 25; ergo non est mirum si cognoscendo entia materialia, possint illis dari aliquod esse minus materiale, minusque restrictum, ac magis vniuersale, quam habeant in se ipsis.

Secundo contra sententiam Platonis est, quia ridiculum omnino est, quod dum quęrimus scientiam, ac definitionem obiectorum, quæ videmus, e. g. hominis equi &c. non acquiramus scientiã, ac definitionem eorum, sed aliorum, quæ solum sunt æquiuocè homo, vel equus; sed hoc sequeretur; ergo &c. Probatur minor: nam homo vniuersalis est solum æquiuocè homo, equus vniuersalis est solus æquiuocè equus; sed nos acquirimus solum scientiam, ac definitionem hominis vniuersalis; ergo &c. Probatur minor: nam homo vniuersalis disconuenit ab hominibus singularibus in essentia, proprietatibus, operationibus, & accidentibus; sed homo disconueniens ab hominibus singularibus in omnibus his est æquiuocè homo, & ita vt in hoc sensu etiam baculus posset vocari homo; ergo &c. Probatur maior: nam homo vniuersalis est essentialiter æter-

ęternus, & immortalis, inuisibilis, impassibilis, insensibilis, non circumscriptus loco, non habens certam figuram &c.; econuerso homines singulares sunt temporales, mortales, visibiles, passibiles, circumscripti loco, habentes certam figuram &c; ergo homo vniuersalis est omnino æquiuocè homo, ac similiter equus vniuersalis est æquiuocè equus, idemque dic de cæteris ideis; ergo dum quærimus scientiam eorum, quę videmus, non acquirimus scientiam ipsorum, sed aliorum, quibus solum ęquiuocè conueniunt nomina obiectorum sensibilium, quod est absurdum. Hinc verò sequitur rursus, quod aufertur scientia physica. Hęc enim est de ente sensibili, ac mutabili, & demonstrat per causam efficientē, ac materialem motus; sed non datur sciētia de ente mutabili, ac sensibili, sed solum de ideis immaterialibus & insensibilibus; ergo aufertur scientia physica.

Tertio non potest explicari, quænam sit participatio, qua Petrus, & alij homines singulares participant hominem communem. Vel enim est participatio per identitatem, & hoc repugnat, nam Petrus mortalis non potest identificari cum homine immortali. Rursus quo pacto hic homo communis identificatur cū pluribus hominibus separatis, ac separa-

bilibus? quo pacto posset identificari cum homine, qui nascitur Romæ, & cum eo, qui moritur in India; vel est participatio per vnionem, & sequuntur eadem absurda, quod nimirum homo communis vniatur simul hominibus distantibus, ac separatis loco, habentibus opiniones contrarias; vel est participatio per causalitatem causę efficientis, aut idealis, siue exemplaris; & contra est, quia vel ponitur talis causa efficiens, vt sit causa vniuoca, hoc est omnino similis effectui, vel vt sit causa dissimilis effectui, quæ vocari solet causa ęquiuoca. Si primum, causa similis singulari producto est aliud singulare producens mortale, ac corruptibile, sicut productum, e. g. causa, & exemplar simile filio est ipse pater; hoc autem æternum, & immortale prorsus est dissimile; si verò ponitur tamquam causa dissimilis, & æquiuoca, sufficiunt aliæ causæ æquiuocæ, nimirum Deus, & cælum concurrentes ad productionem rerum inferiorum, & corruptibilium, ac non requiruntur tales ideę, vt fusius dicetur suo loco.

Hinc verò patet vniuersalia Platonica non esse necessaria tamquam ideas singularium. Nam neque requiruntur vt ideę vniuocæ, neque vt ęquiuocæ, vt dictum est. Adde quod prima idea rerum,


ad

ad cuius similitudinem fiunt vniuersa, vt illam imitentur secundum varios gradus perfectionis, est essentia diuina, continens eminenter omnes perfectiones modo quodam simplicissimo; ergo non requiruntur ideæ Platonicę. Neque etiam sunt necessariæ tales ideę tamquam obiecta mouentia intellectum ad formandas definitiones, ac demonstrationes immutabiles, & imprimendas imagines immutabiles sui, sicut sensationes imprimunt in sensibus imagines mutabiles singularium. Nā intellectus humanus procedit ad cognitionem certam, & immutabilem de vniuersalibus, non per impressionem idearum, sed per abstractionem à singularibus, vt dicetur inferius.

Ad 1. Quia sensus est materialis non potest attingere obiectum spirituale; ergo quia intellectus est spiritualis non potest attingere obiectum materiale; nego consequentiam. Disparitas est, quia virtus inferior non se extendit ad ea, quę sunt superioris virtutis; sed sensus est virtus inferior intellectu; ergo non se extendit ad spiritualia, quę sunt obiectum intellectus. Econuerso virtus superior extendit se ad ea, quæ sunt inferioris virtutis; comparatur enim ad illam tamquam continens, & excedens; sed intellectus est virtus superior sensu; ergo

extenditur ad cognoſcenda omnia materialia ſenſibilia, quæ percipit ſenſus, ac præterea ſenſum excedens extenditur ad ſpiritualia, quæ ſunt ſupra ſenſum. Addo, quod virtus altior, & vniuerſalior poteſt cognoſcere inferiora modo altiori, & vniuerſaliori; & quia virtus intellectiua eſt altior rebus materialibus, ideo cognoſcit illas modo altiori, & vniuerſaliori, ita vt faciat vniuerſalia, vt dicetur etiam inferius.

Ad 2. Veritas neceſſaria non poteſt fũdari in ſubiecto contingente, diſtinguo, in quantum exiſtit in ſe ipſo, concedo; in quantum exiſtit in aliqua prima, & ęterna neceſſitate, nego. Dicemus inferius in qu. 47. de ente poſſibili, quod veritates neceſſarię, e. g. quod *homo ſit animal rationale*, non fundantur in aliquo contingente exiſtente in ſe ipso, ſed in neceſſitate æterna, & immutabili, per quam omnia exiſtunt in ſua cauſa, quę Deus eſt, vt explicabimus ſuo loco.



Vtrum

Vtrum vniuerſale detur ante ſingularia vel in ſingularibus. Quæſtio XXVIII.

PRimo videtur vera ſententia, quę tribuitur Fonſecę, licet obſcurè loquatur in hac materia, quod natura habeat aliquam vniuerſalitatem in ſtatu poſſibilitatis, vel in aliquo priori, antequam contrahatur ad ſingularia. Vniuerſale enim eſt vnum aptum eſſe in multis; ſed natura humana poſſibilis e. g. antequam contrahatur per ſingularitatem Petri, & Pauli eſt vna, & eſt apta eſſe in multis; ergo natura humana poſſibilis eſt vniuerſalis.

2. Videtur vera ſententia quorumdam Scotiſtarum, quod non detur quidem vniuerſale actu à parte rei ſeparatum à ſingularibus, vt docebat Plato, ſed detur vniuerſale in potentia, hoc eſt natura vna in multis ſingularibus per intellectum abſtrahibilis à ſingularibus: e. g. quod natura humana omnium hominum ſecundum ſe omnino ſit vna formaliter, & poſitiuè. Si enim natura Petri, & Pauli non eſſet vna, Petrus, Paulus, & cęteri homines differrent in natura; ergo

natura omnium hominum est vna; ergo est vniuersalis.

3. Videtur saltem vera opinio aliorum Scotistarum asserentium, quod licet natura non sit vna positiuè, impediente singularitate, per quam multiplicatur, sit tamen vna priuatiuè, in quantum si posset esse sine singularitatibus, esset vna: e g si natura Petri, & natura Pauli possent esse sine singularitatibus, essent vna natura. Verè enim natura humana est talis, vt si posset esse sine singularitatibus esset omninò vna, & indiuisa, cum per solas singularitates diuidatur; sed hæc vnitas sufficit ad vniuersale; ergo natura secundum se præcise est vniuersalis, hoc est vna, & apta ad essendum in multis.

4 Videtur vera opinio aliorum Scotistarum, quod detur vniuersale à parte rei, licet natura non habeat aliam vnitatem, quam similitudinis, aut conuenientię in specie, vel genere. Nihil enim aliud requiritur ad hoc, vt vniuersale detur à parte rei, nisi vt natura sit vna, & apta ad essendum in multis; sed natura est vna specie, vel genere, & simul est apta ad essendum in multis: e. g. natura humana est vna specie, & est apta ad essendum in multis hominibus; natura animalis est vna genere, & simul est apta esse in multis animalibus specie diuersis; ergo

ergo datur vniuersale à parte rei.

5. Videtur, quod licet vniuersale non detur in creatis, detur tamen in diuinis, ac diuina essentia verè sit vniuersalis. Essentia enim diuina est vna, & tamen est in pluribus personis per identitatem perfectissimam, per quam de illis est prędicabilis; sed hoc sufficit ad vniuersale; ergo natura diuina est vniuersalis.

Respondeo, quod Fonseca, & Scotistæ sumpserunt occasionem errandi ex eodē principio, ex quo errauit Plato, & alij antiqui. Supponunt enim, quod res eodem pacto sint in se ipsis, sicut repræsentantur intellectui: & quia intellectus format conceptum vniuersalem hominis e. g. atque illud per prædicationem applicat singularibus hominibus, dicendo *Petrus est homo*, *Paulus est homo*, ideò existimauerunt, quod detur à parte rei quædam natura humana vniuersalis, quę per applicationem quamdam, & contractionem ad homines singulares daret illis esse hominis. Sed reijciuntur multipliciter. Primo quia falsum est, quod res eodem pacto sint in se ipsis, sicut sunt in intellectu, vt dictum est etiam quæstione superiori. Secundo natura non potest esse vniuersalis in statu possibilitatis, vt dicebat Fonseca: nam eadem natura, quę est possibilis, existit actu; sed natura exi-

ſtens actu non eſt vniuersalis, sed ſingularis, vt fatetur Fonseca; ergo etiam natura poſſibilis non eſt vniuersalis, sed ſingularis. Confirmatur, quia quod non poteſt actu exiſtere non eſt poſſibile, sed impoſſibile; sed natura non poteſt actu exiſtere ità vt ſit vniuersalis; ergo eſt impoſſibilis ita, vt ſit vniuersalis.

Nec poteſt dici cum Scotiſtis, quod natura actu exiſtens ſit vniuersalis, hoc eſt vna poſitiuè in pluribus. Vel enim dicitur, quod natura humana Petri, & natura humana Pauli ſit vna solum vnitate quadam ſimilitudinis, & conuenientiæ; vel quod ſit vna vnitate non solius ſimilitudinis, & conuenientię, sed indiſtinctionis, ità vt hæc natura humana Petri secundum se ſit indiſtincta à natura humana Pauli. Si primum, nihil dicitur, quod non omnes dicamus. Nemo enim eſt, qui non fateatur in pluribus hominibus eſſe plures naturas diſtinctas, sed ſimiles inter se, adeoque vnas vnitate ſimilitudinis, ac conuenientiæ. Si secundum; ergo ponitur in creaturis myſterium Trinitatis, aſſerendo, quod vna natura secundum se indiſtincta datur in pluribus hominibus, eo pacto, quo vna natura diuina datur in pluribus perſonis diuinis. Immò aſſeritur aliquid mirabilius myſterio Trinitatis. Nam vna natu-

ra

ra diuina est in tribus Personis, quæ non sũt separatæ loco , neque tempore, neque habent opiniones , ac inclinationes contrarias . At natura humana non solum similis sed eadem esset in pluribus hominibus separatis loco , & tempore , quorum vnus nascitur , alius moritur , vnus est bonus , alius malus, vnus est beatus in cœlo , alius damnatus in inferno , vnus alteri contradicit, vnus alterum odit; ergo est manifestum , quod in pluribus hominibus sunt plures naturę secundum se distinctę, ac non habentes aliam vnitatem, quam similitudinis , ac conuenientię .

Nec etiam dici poteſt cum alijs Scotistis, quod natura Petri e. g. secundum se esset vna , & eadem cum natura Pauli , sed non est vna , quia impeditur singularitatibus Petri, & Pauli, quibus diuiditur. Omnis enim res est talis , vt facta additione , retineat omnia prædicata secum identificata , quæ haberet non facta additione: e. g. paries, siue addatur , siue non addatur albedo, retinet omnia prædicata omninò identificata cum pariete; sed prædicatum identificati cum ijs , cum quibus res est idem, est prædicatum omninò identificatum cum quacumque re ; e. g. cum homine identificatur hoc prędicatũ, quod *est animal rationale* : & ratio à priori est ,

quia nihil poteſt eſſe idem cum altero medio aliquo, cum quo non eſt idem; ergo ſi natura Petri, & Pauli, niſi adderentur ipſis ſingularitates,eſſent idem, vt docet hæc ſententia, etiam additis ſingularitatibus, ſunt idem; ſed de facto non ſunt idem; ergo etiam ſubtractis ſingularitatibus non eſſent idem, ſed diſtinguerentur; ergo ſi in natura Petri, & Pauli non datur vnitas poſitiua, nec datur vnitas priuatiua. Confirmatur, nam vnitas priuatiua ponitur ad ſaluandum, quod natura ſit vniuerſalis,hoc eſt vna in multis; ſed illa admiſſa, non ſaluatur, quod natura ſit vniuerſalis; ergo &c Probatur minor: nam ad ſaluandum, quod aliquis ſit beatus, non ſufficit,quod eſſet beatus, niſi a beatitudine impediretur per miſeriam, ſed requiritur, vt habeat abſolutè beatitudinem; ergo ad ſaluandum, quod natura humana ſit vna, & vniuerſalis, nō ſufficit, quod eſſet vna, niſi impediretur à ſingularitatibus, ſed requiritur, vt abſolutè habeat vnitatem; ſed abſolutè non habet vnitatem, imò habet ſingularitatem oppoſitam vnitati; ergo natura non eſt vna, nec vniuerſalis: alioquin poſſet etiam dici, quod peccator ſit innocens, quia eſſet innocens, niſi impediretur à peccato excluſiuo innocentiæ, eo pacto,

quo

quo dicitur naturam esse vnam, quià esset vna, nisi impediretur à singularitate exclusiua vnitatis; ergo cum natura humana Petri, & Pauli nec habeat vnitatem positiuam, nec priuatiuam, habet solum vnitatem similitudinis.

Ad 1. Pro sententia Fonsecæ. Licet natura possibilis nõ sit cõtracta per singularitates actuales, quià cũ actu non existat, nullas habet singularitates actuales, est tamen contracta per singularitates possibiles. Natura siquidem possibilis est eadem, ac quæ potest existere: si enim non posset existere, non esset possibilis; sed potest existere cum suis singularitatibus; ergo est possibilis cum suis singularitatibus; ergo non est vna in multis, sed multiplex in multis, adeoque non est vniuersalis.

Ad 2. Distinguo antecedens: Petrus, & Paulus non differunt, hoc est non distinguuntur in natura humana, nego; non differunt, hoc est non sunt dissimiles in natura humana, concedo; & distinguo consequens; ergo habent vnitatem similitudinis in natura humana, concedo; ergo habent vnitatem exclusiuam distinctionis in natura humana, nego; & distinguo secundum consequens; ergo natura humana Petri, & Pauli, & omnium hominum est vna vnitate similitudinis, concedo; vnitate

indiſtinctionis, nego. Dum dicimus, quod plures homines non differunt in natura, ſenſus eſt ſolum, quod non ſunt diſſimiles in natura, non autem eſt ſenſus, quod non diſtinguantur in natura, cum verè naturę plurium hominum diſtinguantur non minus, quam homines habentes talem naturam; ergo ſolum poteſt inferri, quod plures homines habeant in natura vnitatem quamdam ſimilitudinis, quam omnes concedimus; non autem, quod habeant vnitatem excluſiuam diſtinctionis, quam ſolum negamus.

Ad 3. Si natura Petri, & Pauli ponerentur ſine ſingularitatibus, non diſtinguerentur, ſed identificarentur; ergo habent vnitatem quandam priuatiuam, per quam ſecundum ſe præcisè deberent identificari, niſi impedirentur à ſingularitatibus. Reſpondeo, quod ſuppoſitio eſt impoſſibilis, adeoque ſequitur vtraque pars contradictionis, quod nimirum ex vna parte diſtinguerentur, ex alia parte non diſtinguerentur. Deberent diſtingui, quià diſtinguuntur ſe ipſis; remanerent eædem naturæ; ergo diſtinguerentur. Ex alia parte non poſſent diſtingui, quià duę naturæ non poſſunt diſtingui, niſi vna ſit hæc, alia ſit altera; ſed ablatis ſingularitatibus, vna non eſſet hæc, nec altera

eſſet

esset altera; ergo non distinguerentur. Confirmatur: nam vnaquæque natura identificatur omnimodè cum aliqua singularitate saltem incompleta, vt dicetur inferius; ergo dum naturæ remanent eædem, retinent aliquam singularitatem, per quam sufficienter distinguuntur.

Ad 4. Dum fit quæstio realis, vtrum detur vniuersale à parte rei, non quæritur, vtrum singularia habeant à parte rei vnitatem quamdam puræ similitudinis, ac cõuenientiæ in natura: id enim est certum, & à nullo negatur: sed quæritur, vtrum detur natura communis pluribus singularibus, quæ sit vna vnitate maiori, quam puræ similitudinis; ergo dum aduersarij concedunt, quod natura communis habeat vnitatem puræ similitudinis, sed dicunt, quod talis vnitas sufficit ad vniuersale, diuertunt à quęstione de re ad quæstionem de nomine. Nomine enim vniuersalis non intelligitur vnum à parte rei vnitate puræ similitudinis, quod possit esse in multis, sed vnum à parte rei vnitate non puræ similitudinis, potens esse in multis. Sed de hoc inferius quæstione sequenti.

Ad 5. Natura diuina non est vniuersalis, sed summè, ac maximè singularis. Natura enim vniuersalis est natura secundum ſe vna, quæ possit communicari pluri-

ribus naturis singularibus; sed natura diuina ita est vna, vt non possit pluribus naturis singularibus communicari, cum repugnent plures naturæ diuinę; ergo natura diuina non est vniuersalis, sed summè, & maximè singularis. Ex eadem ratione Deus non est vniuersalis, cum non possit communicari pluribus Dijs, sed maximè singularis. Dum ergo dicitur, quod vniuersale est vnum in multis, sensus est, quod vniuersale est vnum in multis, quę sunt multa in eadem ratione; e. g. quod sit homo vnus in multis hominibus singularibus; equus vnus in multis singularibus equis. Dicetur tamen quæst. 13. phys. in qua agetur de supposito, quod licet natura diuina non sit vniuersalis logicè in sensu explicato, est tamen vniuersalis constitutiuè, in quantum potest esse in pluribus suppositis.

Vtrum vnitas conuenienter definiatur, ac diuidatur. Quæstio XXIX.

VIdetur, quod non sit conueniens definitio, qua vnitas definitur *negatio diuisionis*. Primo quià vnitas est proprietas entis, & maxima ipsius perfectio; sed nega-

negatio non eſt perfectio, nec proprietas entis; ergo vnitas non eſt negatio diuiſionis. Confirmatur quià Deus eſt maximè vnus; ſed Deo non competit vlla negatio; ergo vnitas non eſt negatio.

2. Vnitas eſt proprietas entis realis, adeoque conuenit ſolis entibus realibus; ergo definitio vnitatis debet eſſe talis, vt conueniat ſolis entibus realibus; ſed hoc quod eſt *habere negationem diuiſionis* conuenit etiam negationibus, & non entibus; ergo eſſentia vnitatis non conſiſtit in negatione diuiſionis.

3. Definitio debet eſſe per priora, & notiora; ſed diuiſio non eſt prior, neque notior vnitate; ergo vnitas non benè definitur per negationem diuiſionis.

4. Videtur, quod vnitas non benè diuidatur in tranſcendentalem, & prædicamentalem. Vnitas enim tranſcendentalis eſſet illa, quæ eſt proprietas entis, ac conuenit omnibus entibus cuiuſcumque ſint prædicamenti: vnitas prędicamentalis eſſet illa, quæ propria eſt ſolius prædicamenti quantitatis; ſed explicari non poteſt, quænam vnitas propria ſit prędicamenti quantitatis; ergo mala eſt diuiſio vnitatis in trãſcendentalem, & prędicamentalem.

5. Videtur, quod vnitas nec benè diuidatur in numericam, ſeu ſingularem

& vni-

& vniuersalem, cuius species sunt specifica, generica, & analogica. Malè enim diuiditur in membra, quorum vnum detur à parte rei, aliud detur solum per intellectum; sed vnitas singularis, & numerica datur à parte rei, vnitas vniuersalis datur solum per intellectum; ergo &c. Confirmatur, quià dici non potest, quod vnitas specifica, & generica dentur à parte rei. Vnitas enim specifica est vnitas in specie; vnitas generica est vnitas in genere; sed species, & genera non dantur à parte rei, sed solum per intellectum; ergo vnitas specifica, ac generica non dantur à parte rei, sed solum per intellectum.

Respondeo, quod Aristoteles 5. Metaph. cap. 6. tex. 7. cum enumerasset plura genera vnitatum, concludit. *Vniuersè enim quæcumque diuisionem non habent, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur; vt si quatenus homo diuisionem non habet, vnus est homo, si quatenus animal vnum animal, si quatenus magnitudo vna magnitudo*. Ex his verbis possumus colligere talem definitionem vnius in concreto. *Vnū est, quod quatenus tale diuidi non potest in plura eiusdem rationis cum diuiso*. E. g. Petrus est vnus homo, quia licet possit diuidi in animam, & corpus, tamen non potest diuidi in plures homines: aceruus

lapi-

lapidum eſt vnus aceruus, quià non poteſt diuidi in plures aceruos eiuſdem rationis; idem dic de reliquis. Ex definitione vnius in concreto poſſumus deſumere definitionem vnitatis in abſtracto. Eſt enim *per quam ens quatenus tale diuidi nequit in plura eiuſdem rationis cum diuiſo*; e.g. vnitas, qua Petrus eſt vnus homo, eſt, per quam diuidi non poteſt in plures homines.

Ex eo, quod vnitas conſiſtat in quadā indiuiſibilitate, vt dictum eſt, ſequitur, quod quò maior eſt indiuiſibilitas, eo maior eſt vnitas. Porrò ſumma indiuiſibilitas eſt, per quam aliquid neque eſt pars, neque conſtat ex partibus. Quod enim conſtat ex partibus habet eſſe diuiſum in plura entia partialia; quod verò eſt pars habet complementum eſſendi ab alia comparte; ergo etiam ad ſummam vnitatem requiritur, vt res neque ſit pars, neque conſtet ex partibus. Hęc ſumma vnitas vocari poteſt vnitas ſimpliciter ſimplex, & eſt propria ſolius Dei, qui neque conſtat ex partibus, cum ſit omninò ſimplex: neque poteſt eſſe pars, quia pars recipit complementum eſſendi ab alia comparte; ſed Deus habet eſſe omninò perfectum, & completiſſimum; ergo non poteſt recipere complementum eſſendi ab vllo alio; ergo non poteſt eſſe pars. Hanc ſummam vni-

vnitatem nulla creatura potest habere: quia quælibet creatura, vel est pars, vel constat ex partibus. Omne enim ens creatum completum est compositum saltem ex natura & subsistentia, adeoque constat ex partibus: omne ens creatum incompletum, licet possit non constare ex partibus, tamen est essentialiter pars alicuius totius, vt dicetur etiam inferius suo loco, cum agetur de subsistentia. Quia verò primum, & perfectissimum est ratio, vel causa cæterorum, ideò summa, ac prima vnitas diuinæ essentię est ratio, vel causa omnium aliarum vnitatum, & omnium numerorum, qui per tales vnitates constituuntur, ita vt ipsa non sit pars propriè vllius numeri, nec ab alia vnitate principietur. Est prima ratio omnis numeri, quià est ratio numeri ternarij diuinarum personarum, & est causa numerorum penè innumerabilium existentium in creaturis, nec includitur in vllo numero tamquam pars perfectibilis per alias partes totius numeri, sed purè tamquàm adæquatum principiũ totius perfectionis, quę est in tali numero. E conuerso vnitates createę & sunt pars numeri, quià adduntur vnitati diuinę tamquam ab ipsa accipientes totam suam perfectionem, & sunt causatę ab aliqua alia vnitate, nimirum diuina.

Post vnitatem summam, seu simpliciter sim-

ſimplicem ſequitur vnitas ſimplex, per quã aliquid non conſtat ex partibus, ſed eſt pars. Omnia compoſita (excepto fortaſſe continuo) componuntur tandem ex vnitatibus ſimplicibus, hoc eſt non conſtantibus ex partibus, nè procedatur in infinitum, ſed talibus, vt ſint partes compoſiti. Et quià, vt dictum eſt, omnia entia creata completa ſunt compoſita, ideò omnia entia creata completa ſunt numeri conſtantes ex vnitatibus ſimplicibus: ſolus Deus eſt vnitas nullo pacto compoſita.

Tertia vnitas eſt compoſita, & eſt per quam ens ità eſt vnum, vt conſtet ex partibus: e. g. homo eſt vnũ non ſimplex, ſed compoſitum, quià conſtat ex partibus. Eò verò ens magis eſt vnum tali vnitate, quò partes, ex quibus conſtat, ſunt minus diuiſæ quò ad eſſe, & magis ſibi inuicém communicant ſuam perfectionem: e. g. homo eſt magis vnus, quam exercitus, quià homo componitur ex partibus, hoc eſt anima, corpore, & vnione, quæ magis ſibi inuicém communicant ſuam perfectionem, quam communicent milites, ex quibus componitur exercitus. Similiter quod eſt vnum per ſe magis eſt vnum, quam quod eſt vnum ſolum per accidens, ex eadem ratione. In quo verò conſiſtat vnum per ſe, vel per accidens dicetur ſuo loco. Con-

Constat verò inductione vniuersalissima, quod entia completa, quæ maiorem habent vnitatem, atque indiuisibilitatem, habent etiam maiorem entitatem, ac perfectionem. Ita Deus, qui summè est vnus, est summè perfectus. Angeli maiorem habent vnitatem, quam homines, cum nō constent ex anima, & corpore, sicut homines, ideoque sunt perfectiores hominibus. Ex Angelis verò illi sunt perfectiores, qui per vnum actum plura cognoscunt distinctè, ideoque habent maiorem vnitatem in cognoscendo. Homines sūt perfectiores brutis, quià hominis anima non constat ex partibus, sicut animę brutorum: vel si animę brutorum perfectorum sunt indiuisibiles, vt docent Thomistę, adhuc anima hominis est simplicior, quià potest esse sine materia, secus animæ brutorum. Ex brutis, quę diuidi non possunt in duo, quales sunt equus, leo, canis &c. sunt perfectiora insectis, quę possunt diuidi in duo, quorum vtrumque viuat, cuiusmodi sunt serpentes, & alia. Insecta sunt perfectiora plantis, quia maiorem habent vnitatem, & indiuisibilitatem; insecta enim diuisa non uiuunt, sicut plantę, quarum partes si plantentur in terra, ita vt trahant alimentum, solent euadere in alias plantas. Plantæ adhuc sunt minus diuisibiles mixtis, ideoque

sunt

ſunt magis vnę, quam mixta inanimata, quæ conſeruari poſſunt etiam facta maxima diuiſione. Adhuc elementa ſunt magis diuiſibilia, quam mixta; & demum materia prima, quę eſt omnium maximè diuiſibilis, ac minimè vna, cum facta quacumque diuiſione, conſeruetur, eſt imperfectiſſimum ens, & minimè vnum.

Conſtat etiã inductione, quodquę magis ſunt vnum, ſunt eminenter, ac virtualiter plura. Ità Deus, qui ſummè eſt vnus, eſt etiam eminenter omne ens, cum contineat omnia in ſuo eſſe, & in ſua perfectione, ac poſſit vniuerſa cauſare. Angeli in quantum habent ſpecies ingenitas, per quas cognoſcunt res omnes, ſunt quodammodo omnia intelligibilia. Anima rationalis eſt omnia in potentia, in quantum poteſt acquirere ſpecies omniũ rerum. Animalia ſunt in potentia omnia ſenſibilia. Plantę in quantum aſſiduè nutriuntur fiunt ſemper plura, & plura entia. Inſecta ſunt in potentia omnia elementa. Elementa verò habent eſſe limitatiſſimum.

Prętcr diuiſionem vnitatis in ſimpliciter ſimplicem, ſimplicem, & compoſitam, diuiditur etiam in trãſcendentaelm, & prędicamentalem, ſingularem, & vniuerſalem, numericam, ſpecificam, genericam, & analogicam, vt iam explicabitur

in

in responsione ad, quartum, & quintum argumentum.

Ad 1. Ex eo, quod vnitas vt proprietas, ac perfectio entis, negatio verò non possit esse proprietas, nec perfectio entis, vt respondeatur, debent explicari duo: primum in quo sensu vnitas sit proprietas entis: secundum in quo sensu vnitas sit negatio. Auicenna, vt refert S. Thomas prima parte quæst. 51. artic. 1. in corpore credidit, quod vnitas addat suprà ens rem aliquam distinctam, per quam ens sit vnum, eo pacto, quod albedo addit suprà subiectum rem aliquam distinctam, qua subiectum constituatur album. Sed reijcitur à S. Thoma, quia hæc res, quæ additur suprà ens, est vna; vel ergo est vna per se ipsam, vel per aliquid aliud; si est vna per aliquid aliud, de illo redit difficultas, & proceditur in infinitum: si est vna per se ipsam; ergo etiam ens est vnum per se ipsum; ergo vnitas non est proprietas entis, tamquam res addita suprà ens. Dicitur ergo vnitas esse proprietas entis, in quantum licet quodlibet ens sit vnum per se ipsum, e. g. Petrus sit vnus homo per se ipsum, tamen nos connaturaliter prius formamus conceptum, quo cognoscimus aliquid esse ens, deinde verò formamus conceptum quo cognoscimus expresè, quod sit vnũ

Hinc

Hinc verò poteſt etiam explicari, in quo ſenſu vnitas ſit negatio diuiſionis. Pro quo debet aduerti, quod dupliciter poſſumus nos formare conceptum de perfectionibus rerum: primò via affirmatiua, formando directè conceptum perfectionum ipſis conuenientium: e. g. cum cognoſco, quod aliquid eſt ens, cognoſco directè, quod habet perfectionem eſſendi. Secundo via negatiua, formando directè conceptum quarumdam imperfectionum, quę competunt alijs rebus, deinde verò per ablationem talium imperfectionum, formando conceptum de perfectionibus oppoſitis. Hoc pacto cognoſcimus ſpiritualitatem. Formamus enim conceptum de imperfectione materialitatis, deindè verò per eius remotionem formamus cõceptum de perfectione oppoſita ſpiritualitatis, quam tamen cognoſcimus eſſe perfectionem poſitiuam. In caſu noſtro vnitas dicitur negatio diuiſionis, quia prius formamus conceptum de imperfectione diuiſionis, ac diuiſibilitatis; deinde verò remouentes talem defectum, formamus conceptum vnitatis, & indiuiſibilitatis oppoſitæ diuiſibilitati, ac diuiſioni. Ratio vero, cur prius formetur cõceptus diuiſionis, quam indiuiſibilitatis, afferetur in reſponſione ad 3. Hinc patet reſponſio ad argumentum. Vnitas eſt

pro-

proprietas, & perfectio entis; negatio non est proprietas, neque perfectio entis; ergo &c. Distinguo minorem; negatio quo ad rem ipsam, transeat; negatio secundum modum significandi, nego. Negationes secundum modum significandi sunt maximę perfectiones; e. g. infinitas Dei, quę secundum modum significandi est negatio finis, secundum se ipsam est perfectio opposita limitationi, per cuius remotionem cognoscitur. Sic in casu nostro vnitas, quæ secundum se ipsam est perfectio opposita imperfectioni diuisionis, ac diuisibilitatis, est maxima perfectio entis: vnitas verò diuina, quæ est perfectio opposita defectui cuiuscumque diuisionis, ac diuisibilitatis, est maxima perfectio Dei.

Ad 2. Dum dicitur, quod vnitas est proprietas solius entis realis, intelligitur de vnitate, seu negatione diuisionis fundata in entitate rei. Talis verò negatio fundata in entitate est maxima perfectio, & nullo pacto competit negationibus, & non entibus. Quod verò posita entitate, & perfectione, vnitas sit perfectio, patet. Nam vnitas cum perfectione est perfectio, & quò maior est vnitas, est maior perfectio; sed indiuisibilitas est summa vnitas; ergo indiuisibilitas entitatis, ac perfectionis est maxima perfectio. E conuer-

uerso vnitas cum non ente, & non perfectione nulla est perfectio; ergo cum vnitas non fundatur in perfectione, non est vlla perfectio. Ex eo, quod vnitas entis sit perfectio, oritur, vt notat S. Thomas prima parte quęst. 11. art. 1. quod vnaquæque res sicut custodit suum esse, ità custodit suam vnitatem, & sicut resistit destructioni, sic resistit diuisioni; e.g. homo custodit vnionem animę cum corpore, & diuisioni, per quam anima separatur à corpore, resistit sicut destructioni. Præterea custodit continuationem partiũ; diuisioni verò per vulnera resistit vehementissimè, ideoque ex diuisione partium animatarum sequitur dolor.

Ad 3. Sufficit ad definitionem, quod sit per priora, & notiora quoad nos, licet illa sint ex natura sua posteriora, ac minus nota. Iam quoad nos diuisio, ac diuisibilitas notior est indiuisibilitate, vt dicit Aristoteles 10. met. tex. 9. per hęc verba: *significatur ex diuisibili indiuisibile, eo quod magis multitudo, ac diuisibile sensibile est. Quare multitudo ratione prior quam indiuisibile propter sensum est*. Idem ex Aristotele docuit S. Thomas prima parte quęst. 11. art. 2. ad 2. Ratio, cur diuisibile sit notius est, quia est magis sensibile, cum per sensum primo percipiamus diuisibile. Secundum naturã verò indiuisibile prius

est, ac notius diuisibili, cum indiuisibile sit causa diuisibilis, & vnitas sit causa numeri.

Ad 4. Vnitas, vt dictum est, consistit in negatione diuisionis, ac diuisibilitatis. Quia ergo res quantę habent aliquam specialem indiuisibilitatem in partes quātitatiuas, ideò habent etiam aliquam specialem vnitatem, quę idcirco dicitur vnitas prædicamentalis. Est autem vnitas prędicamentalis *indiuisibilitas, vel indiuisio rei quantæ opposita diuisioni, vel diuisibilitati quantitatiuæ*; multitudo verò, seu numerus prædicamentalis est *multitudo resultans ex diuisione rei quantæ*, & hic numerus prædicamentalis vocatur quantitas discreta, & non datur in entibus spiritualibus, hoc est in personis *diuinis*, & angelicis, licet in ipsis detur numerus transcendentalis. Talem numerum prędicamentalem definiuit Aristoteles 3.physicor. tex. 68. dicens *numerus est vna plura, & quanta quædam.*

Ad 5. Vt respondeatur primo definienda est vnitas singularis, & vniuersalis, ac præsertim vnitas specifica, generica, & analogica. Secundo examinandum an, & quomodo vnitas specifica, generica, & analogica dentur à parte rei. Quoad primum: vnum numero est, *quod quatenus tale diuidi non potest in plura, de quibus sit*

seor-

seorsim prædicabile; e. g. Petrus est vnus numero homo, quia non potest diuidi in plures homines, de quibus sit seorsim prędicabilis: Roma est vna numero ciuitas ex eadem ratione. Vnum vniuersale est, *quod ita est vnum saltem vnitate abstractionis, vt possit diuidi in plura, de quibus est seorsim prædicabile*, vt homo, ciuitas. Homo enim potest diuidi in plures homines, Petrum, Paulum, de quibus est seorsim prędicabilis: ciuitas similiter diuidi potest in plures ciuitates. Ex his verò potest proportionaliter colligi definitio vnitatis singularis, ac vniuersalis in abstracto. Dum opponitur, quia malè vnitas diuiditur in membra, quorum vnum detur à parte rei, aliud detur solum per intellectum. Respondeo id esse falsum, præsertim si sit controuersum de aliquo membro, vtrum detur à parte rei, vel per intellectum; sed est controuersum vtrum vnitas vniuersalis detur per intellectum, vel à parte rei; ergo benè vnitas diuiditur in singularem & vniuersalem.

Iam vnum specie est, *quod potest prædicari de pluribus similibus in tota essentia, ac definitione, & dissimilibus solum, & à nobis discernibilibus per accidentia*: e. g. homo est vnum specie, quia potest prędicari de pluribus hominibus Petro, & Paulo, qui

ſunt ſimiles in tota eſſentia, ac definitione hominis, & ſunt diſſimiles, & à nobis diſcernibiles ſolum per accidentia. Vnitas ſpecifica eſt *conueniẽtia pluriũ ſimilium in tota eſſentia, ac definitione, ac diſsimilium ſolum in accidẽtibus modo explicato.*

Vnum genere eſt, *quod dicitur de pluribus conuenientibus in parte eſſentiæ, & definitionis, & diſconuenientibus in alia parte, in qua non includitur formaliter illa pars, in qua conueniunt.* E. g. animal eſt vnum genere, quia dicitur de pluribus, e. g. de homine, & equo conuenientibus in hoc, quod *ſint animal*, quæ eſt pars definitionis vtriuſque, & diſconuenientibus per rationalitatem, & irrationalitatem, quę ęſt altera pars definitionis, in qua non includitur formaliter hoc, quod eſt *eſſe animal*. Vnitas generica eſt *ſimilitudo, & conuenientia in parte eſſentiæ, ac definitionis modo explicato.*

Vnum analogicè eſt, *quod dicitur de pluribus diſconuenientibus in tota eſſentia, eo quod non ſit pars, in qua conueniant formaliter non incluſa in parte, in qua diſconueniunt.* e. g. ens eſt vnum analogicè, quia dicitur de ſubſtantia, & accidentibus, quę ſunt primo diuerſa in tota eſſentia, eo quod ratio entis includitur formaliter in rationibus perſeitatis, & inaleitatis, quibus differunt, vt melius etiam explicabimus inferius.

Quo

Quoad secundum dubium, vtrum vnitas specifica, generica, & analogica detur à parte rei: respondeo, quod si sumantur pro pura similitudine dantur à parte rei. Certum est enim, quod à parte rei Petrus, & Paulus sunt similes in tota essentia; ergo si vnitas specifica nihil est aliud, quam similitudo in tota essentia, datur à parte rei. Confirmatur, quia quę à parte rei specie non differunt, sunt vnum specie; sed à parte rei Petrus, & Paulus non differunt specie; ergo Petrus, & Paulus à parte rei sunt vnum specie. Similiter à parte rei Petrus, & equus nō differunt in genere animalis; ergo sunt vnum in genere animalis. Tales tamen vnitates sunt vnitates solum secundum quid, & cum addito distrahente. Ratio est quia quæ sunt vnum specie, non possunt dici vnum simpliciter, & sine addito, sed solum possunt dici *vnum specie*, atque adeò cum addito distrahente ab vnitate perfecta, quæ non est vnitas meræ similitudinis. Si verò vnitas specifica, & generica sumantur pro vnitate in aliqua ratione abstracta, dico, quod sicut rationes non sunt abstractæ à parte rei, sed per intellectum, sic tales vnitates non dantur à parte rei, sed solum per intellectum. Hinc patet ad argumentum: species, & genera non dantur à parte

rei ; ergo nec vnitas specifica , & generica ; distinguo antecedens : species, & genera si sumantur pro rationibus abstractis non dantur à parte rei, concedo; species, & genera si sumanrur pro naturis conuenientibus in essentia , vel parte essentiæ, nego antecedens ; & distinguo eodem modo consequens. Et quia quidam species & genera abstracta vocant species , & genera formaliter ; naturas verò conuenientes in essentia , vel parte essentiæ vocant species solum fundamentales, ideò consequenter dicunt, quod datur à parte rei vnitas specifica , vel generica solum fundamentaliter , non verò formaliter : qui modus loquendi non est respuendus. Sed quo ad hoc non potest esse alia quæstio , quam de nomine.

Vtrum identitas, ac distinctio conuenienter definiantur , ac diuidantur. *Quæstio XXX.*

PRimo videtur, quod inconuenientes sint definitiones, quibus identitas describitur *affirmabilitas in recto vnius de alio* ; distinctio *negabilitas in recto vnius de alio* : 1. quia cum duo sunt idem , non est in ijs vnum , & aliud ; ergo identitas non est affirmabilitas vnius de alio.

2. Debet

2. Debet explicari quid requiratur à parte rei ad hoc, vt aliquid sit affirmabile de alio in recto; sed id non explicatur: ergo non satis explicatur identitas.

3. Videtur, quod inconueniens sit diuisio distinctionis in distinctionem realem & rationis, & etiam in distinctionem realem, & virtualem. Nam inconueniens est diuisio generis in species, quarum singulis non conuenit definitio generis; sed definitio distinctionis vt sic non conuenit distinctioni rationis, neque virtuali; ergo. Probatur minor: nam distinctio rationis & distinctio virtualis non est negabilitas vnius de alio: quæ enim distinguuntur sola ratione, vel solum virtualiter non sunt negabilia, ideoque paternitas, & essentia diuina negari non possunt, dicendo, quod essentia non sit paternitas.

4 Videtur etiam inconueniens diuisio distinctionis in realem, & modalem. Mala est enim diuisio in mēbra, quorum vnum includitur in alio; sed distinctio modalis includitur in reali; nam distinctio modalis non est distinctio rationis; sed omnis distinctio, quæ non est rationis est realis; ergo distinctio modalis est realis.

5. Si bona esset diuisio distinctionis in realem, & modalem, distinctio realis esset negabilitas duorum mutuo separabilium;

lium ; modalis esset distinctio duorum separabilium non mutuo ; sed hoc est falsum : sequeretur enim, quod Personæ diuinæ non distinguerentur realiter, cum non sint mutuo separabiles, sed omnimodo inseparabiles ; ergo &c.

6. Non explicatur, quid sit distinctio formalis ex natura rei ; verum distinctio suscipiat magis, & minus, ita vt quæ distinguuntur realiter magis distinguantur, quam quæ solum modaliter ; ergo non conuenienter traditur doctrina de distinctionibus.

Respondeo, quod sicut bonum definitur per appetibilitatem, & dicitur esse, quod omnia appetunt ; pulchrum describitur per delectabilitatem ; & dicitur esse, quod delectat contemplantem ; sic identitas, ac distinctio definiri debent per affirmabilitatem, & negabilitatem, dicendo, quod identitas est affirmabilitas in recto vnius de alio : distinctio est negabilitas in recto vnius de alio. Verum quia ad hoc, vt aliqua sint affirmabilia, aut negabilia à parte rei, debent certo modo se habere in se ipsis, ideò tradita prima explicatione identitatis, ac distinctionis per affirmabilitatem, ac negabilitatem, inquirendum vlterius, quomodo res debeant se habere in se ipsis, ad hoc vt sint affirmabiles, aut negabiles in re-

tecto, eo pacto, quo tradita prima explicatione pulchri per hoc, quod delectet contemplantem, inquirendum est, quo pacto debeant res se habere, vt sint contemplanti delectabiles.

In hoc autem manifestum est primo, quod quæ non habent à parte rei aliquam vnitatem, & communicationem, per quã se inuicem communicent, non sunt affirmabilia, ideoque ad identitatem, & affirmabilitatem requiritur aliqua vnitas, & communicatio. Secundo manifestum est, quod vnitas, qua aliqua se communicant separabiliter, non sufficit ad identitatem, & ideò anima, & corpus, & vniuersim materia, & forma, modus, & res, quià se inuicem communicant separabilitèr, non sunt idem. Tertio nec sufficit ad identitatem communicatio, qua vnum se communicat alteri productiuè, & in diuerso supposito, & ideò Pater ęternus, licet communicet Filio totam suam perfectionem, quià tamen communicat productiuè, & in diuerso supposito, non identificatur cum Filio, & vniuersim causa non identificatur cum effectu, nec producens cum producto.

His exclusis, explicandum, qualis vnitas sit identitas. Dico, quod identitas est *summa vnitas duorum spectantium ad vnum suppositum*. Porrò summa vnitas abstrahit

à triplici modo, quo vnitas potest dici summa, & ab hoc triplici modo sumi potest triplex gradus identitatis. Primò vnitas summa est summa indiuisio, & inseparabilitas duorum existentium in vno supposito, per quam vtrumque est æquè inseparabile ab alio, sicut à se ipso; & hæc potest vocari identitas realis infimi gradus, vel identitas summa physicè.

Secũdo vnitas summa est summa communicatio duorũ existentium in vno supposito, per quam alterum æquè perfectè se communicat alteri, sicut sibi ipsi, ita vt non minus perficiat alterum, quam se ipsum; & hæc vocatur identitas summa metaphysicè. Tertio vnitas summa est sũma conuenientia duorum, quorum vtrumque consentiat cum altero in omnibus omninò prædicatis, non minus quam cum se ipso; & hæc potest vocari, identitas summa logicè, quia est conuenientia in omnibus prædicationibus. Vocatur etiam à recentioribus identitas virtualis intrinseca; ab Aureolo vocatur identitas repetitionis, per quam omne prædicatum, quod dicitur de vno, repetitiuè potest dici de altero. Omnes istæ identitates fundant mutuã affirmabilitatem in recto. Cũ enim dicimus, *homo est animal rationale*, affirmamus identitatem summam etiam logicè, per quam homo & animal rationale con-

sentiant in omnibus prædicatis, ac sint omnibus modis idem: cum dicimus, quod *Paternitas est diuina essentia*, affirmamus, quod Paternitas habet cum diuina essentia identitatem summam metaphysicè, per quam essentia diuina ita perfectè communicat se ipsam, & totam suam perfectionem paternitati, sicut sibi ipsi, licet non habeant identitatem summam logicè, eo quod non consentiunt in omnibus prædicationibus, cum essentia identificetur cũ tribus Personis, Paternitas non identificetur cum tribus personis. Cum dicitur, quod *animalitas est realiter rationalitas*, affirmamus, quod habent identitatem realem infimi gradus, seu summam physicè, per quam in vno supposito hominis ita sunt inuicem inseparabiles, sicut animalitas est inseparabilis à se ipsa, licet fortasse non habeant identitatem summam logicè, neque metaphysicè.

Triplici identitati opponitur proportionaliter triplex distinctio. Identitati virtuali intrinsecę, seu summæ logicè opponitur distinctio virtualis intrinseca, seu distinctio logica obiectiua, quæ definiri potest; *recessus duorum habentium summam identitatem metaphysicam ab identitate summa logicè, per hoc quod possint dissentire in aliquibus prædicationibus*: e.g. natura diuina, & paternitas, distinguuntur logicè,

ſeu virtualiter intrinſece quià licet habeant ſummam identitatem metaphyſicam, tamen poſſunt diſſentire, & de facto diſſentiunt in aliquibus prædicationibus, vt in hac, quod natura identificatur cum tribus perſonis, Paternitas non identificatur cum tribus perſonis. Identitati ſummę metaphyſicè opponitur diſtinctio formalis ex natura rei, quæ poteſt vocari diſtinctio metaphyſica obiectiua, & definiri poteſt; *receſſus duorum realiter identificatorum ab identitate ſumma metaphyſicè, per hoc, quod non æquè perfectè ſe communicent alteri, ſicut ſibi ipſis*; e. g. probabiliter rationes genericę, & differentiales, vt rationalitas, & animalitas diſtinguuntur metaphyſicè, ſeu formaliter ex natura rei, quià licet habeant identitatem ſummam phyſicè, per quam vna eſt inſeparabilis ab altera non minus, quam à ſe ipſa, tamen animalitas non æquè ſe communicat rationalitati, ſicut ſibi ipſi, vt dicetur inferius. Demum identitati reali, ſeu ſummè phyſicè opponitur diſtinctio realis generica, quæ definiri poſſet, *receſſus ab identitate phyſica, per quem duo vel non ſpectant ad vnum ſuppoſitum, vel ſpectant ſeparabiliter.*

Diſtinctio realis genericè, ſeu ſummè phyſicè ſubdiuiditur in diſtinctionem realem ſpecificè, & diſtinctionem modalem.

Di-

Distinctio realis specificè est, *quæ intercedit inter duo, quorum vtrumque potest esse, quin vniatur alteri intrinsecè*: e.g. tres Personæ diuinæ distinguuntur realiter, quia nulla persona vnitur alteri ita, vt illam intrinsecè perficiat per se ipsam. Similiter anima, & corpus realiter distinguuntur, quia & corpus potest esse, quin vniatur animæ, & anima potest esse, quin vniatur intrinsecè corpori. Distinctio modalis est, *quæ intercedit inter duo, quorum vnum tantum potest esse, quin vniatur alteri intrinsece*; e. g. motus, quo ego moueor, distinguitur modaliter à me, quia licet meus motus non possit esse, quin vniatur intrinsecè mihi, tamen ego possum esse sine tali motu, atque adeò quin vniar tali motui. Hinc potest colligi definitio modi, & formalitatum obiectiuarum. Modus enim est *entitas, quæ non potest esse, quin vniatur intrinsecè alteri, quod potest esse sine illa*. Formalitates obiectiuæ sunt *rationes formaliter ex natura rei distinctæ, quarum nulla potest esse, quin vniatur alteri intrinsecè ad constituendum aliquod vnum*: e. g. animalitas, & rationalitas hominis sunt formalitates obiectiuę, quia nec animalitas hominis potest esse, quin vniatur intrinsecè rationalitati, nec rationalitas potest esse, quin vniatur animalitati ad hominem constituendum.

Ad 1. Cum dicimus, quod identitas est affirmabilitas vnius de alio, non significatur, quod quæ habent identitatem debeāt habere aliquam pluralitatem à parte rei; nam procul dubio quę habent identitatem à parte rei omnibus modis summam nullam à parte rei habent pluralitatem, qua detur vnum, & aliud cum aliqua distinctione à parte rei: solum igitur significatur, quod identitas est affirmabilitas duorum nullam habentium pluralitatem à parte rei, sed habentium aliquam pluralitatem ratione nostra, in quantum sumuntur vt duo per duos conceptus, per quos vnum constituitur subiectum, aliud prædicatum propositionis affirmantis quod sunt idem.

Ad 2. Patet ex dictis: Iam enim est explicatum quid requiratur à parte rei ad hoc, vt vnum sit affirmabile de alio.

Ad 3. Cum genus diuiditur in species, quarum vna participat rationem generis simpliciter, altera solum proportionaliter, & cum addito aliqualiter distrahente, etiam definitio generis debet ita conuenire speciebus, vt vni conueniat simpliciter, alteri proportionaliter, & cum addito distrahente. In casu nostro sola distinctio realis est distinctio simpliciter: distinctio rationis non est distinctio simpliciter, sed solum secundum quid, & addendo

addendo ly *rationis*; ergo definitio distinctionis debet conuenire simpliciter distinctioni reali, distinctioni verò rationis debet conuenire solum secundum quid, & cum addito distrahente. Distinctio igitur realis est negabilitas duorum secundum rem ipsam: distinctio rationis est negabilitas rationum, seu conceptuum de eadem re. E. g. distinctio rationis inter hominem, & animal rationale non est negabilitas hominis de animali rationali, sed negabilitas rationis definitiuę hominis de ratione definibili eiusdem. Similiter distinctio virtualis non est simpliciter distinctio, sed solum est distinctio virtualis, ita vt ly *virtualis* sit additum distrahens; ergo non est negabilitas simpliciter, qua possit absolutè dici, quod vnum non sit aliud, sed est negabilitas secundum quid, qua potest tantum dici, quod vnum non est aliud virtualiter, ita vt ly *virtualiter* sit additum distrahens. Proportionaliter est philosophandum de distinctione ex natura rei. Addo, quod sicut color diuiditur in album, nigrum, & alios colores medios, sic distinctio diuiditur in realem, & rationis, & distinctiones aliqualiter medias, cuiusmodi sunt virtualis, & formalis ex natura rei, quæ aliquid participant de vtraque; de reali in quantum sunt rebus intrinsecæ; de distinctione rationis,


tionis, in quantum non fundant negabilitatem, per quam res negentur simpliciter, sed solum secundum quid.

Ad 4. Sicut Angelus sumitur dupliciter; primo pro genere communi omnibus substantijs creatis completis spiritualibus; secundo pro Angelis vltimi chori: sic distinctio realis sumitur dupliciter; primo pro genere communi ad omnes distinctiones, per quas res sunt negabiles simpliciter; secundo pro specie distinctionis, per quam duo sunt ita negabilia, vt vtrumque possit esse, quin vniatur alteri intrinsecè. Distinctio modalis includitur in distinctione reali genericè sumpta, quę non est membrum diuisionis, per quam distinctio diuiditur in realem, & modalem, sed est ipsum genus diuisum: at non includitur in distinctione reali specificè sumpta.

Ad 5. Iam dictum est, quod distinctio realis pro vt opponitur modali non benè definitur *negabilitas duorum mutuo separabilium*, alioquin eius definitio non conueniret distinctioni diuinarum Personarum, quę est realis: sed definiri debet, *negabilitas duorum, quorum vtrumque potest esse, quin vniatur alteri intrinsecè* modo explicato.

Ad 6. Distinctio suscipit magis, & minus. Cum enim sit recessus ab identitate,

& à summa communicatione duorum, quo minus recedit, eò est minor. Identitas omnibus modis summa metaphysicè, & logicè est identitas virtualis. Distinctio virtualis, seu logica est minima omnium distinctionum intrinsecarum rebus, quia est recessus à summa communicatione logica, cum summa communicatione metaphysica. Distinctio modalis est maior formali ex natura rei, quia est recessus à summa inseparabilitate. Distinctio realis in creatis est maior modali, quia cum per illam vtrumque possit esse, quin intrinsecè vniatur alteri, magis adhuc recedit à summa communicatione perfectiua, quam modalis, in qua vnum solum potest esse, quin intrinsecè vniatur alteri. Distinctio tamen realis diuinarum Personarum est minor etiam distinctione modali, quia est negabilitas duorum communicantium in tota essentia, & perfectione: ideoque S. Thomas par. 1. q. 40. ad tertium docet illam esse minimam.



Vtrum

Vtrum in Creatis dari possit distinctio virtualis intrinseca, aut formalis ex natura rei. Quæstio XXXI.

VIdetur, quod possit in creatis dari distinctio virtualis intrinseca 1. quia potest dari, & de facto datur in diuinis; ergo etiam potest dari in creatis. Si verò dicatur, quod in diuinis potest dari ratione infinitatis, repugnat in creatis ratione limitationis; contra est, quia non apparet, quid conferat ad hoc, vt repugnet, vel non repugnet distinctio virtualis, finitas, vel infinitas entis.

2. Si repugnaret in creatis distinctio virtualis, maximè quia sequeretur, quod de eodem verificarentur prædicata contradictoria; sed hæc ratio probat etiam quod repugnet in diuinis; si enim datur inter paternitatem, & diuinam essentiam, verificantur de eodem prædicata contradictoria: nam essentia, & paternitas sunt idem, & tamen essentia identificatur cum tribus Personis, paternitas non identificatur cum tribus personis; sed cum solo Patre, quæ sunt predicata contradictoria; ergo non repugnat in creatis distinctio vir-

tualis. Confirmatur, quia repugnantia distinctionis virtualis in creatis est quia ea, de quibus verificantur contradictoria non sunt inuicem affirmabilia, atque adeò non sunt realiter idem: e.g. si animalitas cognoscitur, rationalitas non cognoscitur, non possunt inuicem affirmari, alioquin esset vera hæc propositio, *cognitum est non cognitum*; sed hæc ratio probat etiam in diuinis: nam si essentia est idem cum filio, esset vera hęc propositio, *idem cum filio est non idem cum filio*, immò esset verum, quod idem est esse idem cum filio, ac non esse idem cum filio, cum essentia sit *esse idem cum filio*, paternitas sit *non esse idem cum filio*; ergo non repugnat in creatis distinctio virtualis.

3. Si in creatis daretur distinctio sufficiens ad hoc, vt verificarentur contradictoria de prędicatis, quæ non distinguuntur ex natura rei, daretur distinctio virtualis; sed datur talis distinctio ergo &c. Minor probatur: nam in substantia ratio entis, & ratio perseitatis non distinguuntur ex natura rei; sed de ratione entis, & de ratione perseitatis verificantur contradictoria; ergo. Probatur minor: nam distingui ratione ab ente, non distingui ratione ab ente, sunt prædicata contradictoria; sed ens non distingui tur ratione ab ente, perseitas distinguitur ratio-

ratione ab ente; ergo de ente, & perseitate verificantur contradictoria. Rursus cognosci clarè per aliquam cognitionem, & non cognosci clarè per eamdem cognitionem sunt prędicata contradictoria; sed ratio entis cognoscitur clarè cognitione, qua dico *ens*, ratio perseitatis non cognoscitur clarè eadem cognitione; ergo &c. Confirmatur, nam quælibet formalitas, & perfectio creata per seipsam formaliter est perfectio limitata, & imperfecta; ergo identificatur ex natura rei cum sua imperfectione; sed de perfectione, atque imperfectione verificantur contradictoria tum iam explicata, tum etiam alia, nam perfectio per se ipsam est amabilis; imperfectio per se ipsam non est amabilis, sed solum ratione perfectionis; perfectio per se ipsam placet, & mouet ad amorem, secus imperfectio, ergo.

4. Videtur, quod si repugnat in creatis distinctio virtualis intrinseca, repugnet etiam distinctio formalis ex natura rei. Ideò enim repugnat distinctio virtualis intrinseca, quia de eodem verificarentur contradictoria: e. g. idem esset cognitum, & non cognitum, sicut dictum est in secũdo argumento; sed istę rationes probant etiam repugnare distinctionem formalem ex natura rei; nam etiam formalitates ex natura rei distinctæ realiter identificantur;

tur; ergo &c. Confirmatur, quia sequeretur, quod idem distingueretur à se ipso, idem esset melius se ipso, vel saltem melius identificaretur cum deteriore, quę sunt absurda.

5. Distinctio formalis ex natura rei est summa inseparabilitas in vno supposito plurium non habentium summam conuenientiam in omnibus prædicatis; sed hæc summa inseparabilitas repugnat; spectat enim ad diuinam omnipotentiam posse separare omnia, quæ non sunt omninò idē, ita vt habeant summam conuenientiā in omnibus prædicatis; ergo repugnat in creatis distinctio formalis ex natura rei.

Respondeo, quod ex principijs fidei satis clarè deducitur, quod distinctio virtualis prout definita est quæstione superiori, saltem vniuersim non repugnat, sed de facto datur in diuinis. Distinctio enim virtualis est, per quam quę habent summam identitatem metaphysicam, hoc est summam communicationem, per quam vnum tam perfectè communicatur alteri, sicut sibi ipsi, non habent summam identitatem logicam, sed disconueniunt in aliquo prædicato; sed natura diuina, & paternitas habent summam identitatem metaphysicā, per quā natura diuina tā perfectè communicatur Paternitati, sicut sibi ipsi,

ipsi; cum paternitas per naturam diuinam sit summè perfecta; ex alia parte natura diuina, & paternitas disconueniunt in aliquibus prædicatis, vt in hoc *quod natura identificatur cum tribus personis, paternitas non identificatur cum tribus personis*; ergo inter naturam diuinam, & paternitatem datur distinctio virtualis intrinseca. Et quia disconuenientia in prædicatis assignatis datur actu inter naturam, & paternitatem ante omnem operationem intellectus, ideò distinctio virtualis datur actu ante operationem intellectus. Hinc consurgit difficilis quęstio, vtrum distinctio virtualis sit possibilis in Deo ratione solius infinitatis, ita vt implicet in creatis; an verò sit possibilis abstrahendo ab infinitate, ita vt sit etiam possibilis in creatis.

Dicendum, quod distinctio virtualis est possibilis in Deo ratione solius infinitatis, adeoque repugnat in creaturis. Probatur positis principijs fidei circa mysterium Trinitatis. Essentia enim diuina est summum, atque infinitum bonum; sed essentia boni est, vt non sit auarum, ac sterile, sed sit communicatiuum sui; ergo essentia summi boni est, vt sit summè communicatiuum sui; sed eo ipso, quod est summè communicatiuum sui, debet habere personalitates realiter identi-

ti-

tificatas cum essentia, ac virtualiter distinctas ab eadem; communicatio enim non potest dari sine aliquali distinctione saltem logica, adeoque si ab ęterno nihil fuisset logicè distinctum ab essentia diuina, illa fuisset omnino sui ipsius auara, ac sterilis, ac nulli se ab ęterno communicaret; si personalitates non identificarentur realiter cum diuina essentia, non se ipsis communicaret summè, cum identitas realis sit summa communicatio, qua vnum ita se communicat alteri logicè distincto, sicut sibi ipsi, dans illi tantam omnino perfectionem, quantam sibi; ergo eo ipso, quod essentia diuina est summum bonum, debet habere personalitates realiter identificatas, ac virtualiter, & logicè distinctas ab essentia. E conuerso omnis entitas creata est bonum non summum, sed deficiens; ergo habet vim communicandi se ipsam solum imperfectè, & deficienter; ergo habet vim communicandi se ita, vt non tribuat alteri summè perfectionem, quam habet in se; sed eo ipso, quod communicet se alteri non summè, non habet cum eo summam identitatem metaphysicam, quæ requiritur ad distinctionem virtualem; ergo non potest in creatis dari distinctio virtualis cum identitate summæ communicationis metaphysicę. Posset hoc argumentum

alijs

alijs etiam modis explicari, qui breuitatis causa omittuntur. Debet autem aduerti, quod ratio allata, & aliæ similes non afferuntur ad probandum contra infideles mysterium Trinitatis, sed posita fide, adducuntur ad defendendum, quod tale misterium sit rationabile, & quod est ratio specialis, propter quam licet repugnet in creátis, est possibile in diuinis.

Dicendum secundo: licet in creatis sit impossibilis distinctio virtualis intrinseca, quę est propria Dei, tamẽ est possibilis distinctio formalis ex natura rei cum identitate reali infimi gradus consistente in summa indiuisione plurium exiltentium in vno supposito, per quam quodlibet ita est inseparabile ab alio, sicut à se ipso. Probatur, quia ex finitate entitatis creatæ sequitur solum, quod non possit entitas creata alteri se communicare ita perfectè, sicut sibi ipsi; at non sequitur, quod non possit se communicare alteri ita, vt sit æquè inseparabilis ab ipso, sicut à se ipsa; sed communicatio summæ inseparabilitatis in eodem supposito est distinctioformalis ex natura rei, vt dictum est quæst. 30; ergo in creatis est possibilis distínctio formalis ex natura rei. Confirmatur, quia est possibilis distinctio modalis, per quam duo ita se inuicem communicent in eodem supposito, vt sint in-

inseparabilia non mutuo ; ergo possibilis est distinctio minor, per quam duo in eodem supposito se communicent cum mutua inseparabilitate; sed hæc distinctio minor modali, & maior virtuali intrinseca est distinctio formalis ex natura rei ; ergo est possibilis in creatis distinctio formalis ex natura rei. Confirmatur ex argumentis, quibus quęstione sequenti probabitur positiuè dari de facto inter rationes genericas, ac differentiales talē distinctionem. In hac enim quæstione procedimus potius via negatiua, quam positiua, defendentes in genere possibilitatem distinctionis ex natura rei in creatis.

Ad 1. Iam dictum est distinctionem virtualem intrinsecam esse possibilem in Deo ratione infinitatis diuinę ; repugnare in creatis ratione finitatis createę.

Ad 2. Recentiores satis communiter probant repugnare distinctionem virtualem in creatis ex eo, quod de eodem verificarentur duo contradictoria, tum quę explicantur in argumento, tum multa alia. Sed verè hæc argumenta nimis probant, cum ostendant repugnare distinctionem virtualem *vtsic* etiam in Deo. Quod enim contradictoria verificentur de eodem, æquè repugnat, seu illud sit ens creatum, & finitum, seu sit ens in-

creatum & infinitum. Non igitur vtendum talibus argumentis, quę sunt etiam solubilia, & soluentur in responsione ad quartum, sed probanda est repugnantia distinctionis virtualis in creatis ex ipsa finitate, & limitatione entitatis creatæ.

Ad 3. In substantia ratio entis, & ratio perseitatis nulla distinctione intrinseca distinguuntur à parte rei, vt ex professo probabitur inferius. Et ratio est, quia perseitas per se ipsam est ens; ergo non est ens per rationem distinctam; ergo in substantia non datur duplex ratio, per quarum alteram sit ens, per alteram sit per se. Hinc sequitur, quod de rationibus obiectiuis, per quas substantia est *ens*, & est *per se*, non verificentur vlla contradictoria. Dum opponitur, quia ens non distinguitur ratione ab ente; perseitas distinguitur ratione ab ente; ergo de ente, & de perseitate verificantur contradictoria: distinguo antecedens: ens non distinguitur ratione ab ente, perseitas distinguitur ratione ab ente, & sumuntur sub diuersis conceptibus, concedo; & nō sumuntur sub diuersis conceptibus, nego: & distinguo consequens; ergo de ente, & perseitate sumptis sub diuersis conceptibus verificantur contradictoria, concedo consequentiam: sumptis secundum

se-

se prçcisè, nego consequentiam. Dico quod de eadem omnino re sumpta sub diuersis rationibus, nominibus, vel conceptibus verificari possunt contradictoria conuenientia rei non ratione sui, sed ratione diuersorum nominum & conceptuum: e. g. *gladius, & ensis*, sunt eadem omninò res, & tamen de hac eadem re sumpta cum diuersis nominibus verificantur contradictoria, cuiusmodi sunt, quod gladius non differt nomine à gladio, ensis nomine differt à gladio. In casu nostro *ens*, quo substantia est ens, & *perseitas* sunt idem omninò à parte rei: si tamen sumantur sub diuersis conceptibus, seu nominibus mentalibus, quç format intellectus dicens *ens, perseitas*, differunt ratione, & propter conceptus distinctos, cum quibus sumuntur, verificantur de ipsis contradictoria, quæ sunt, *ens non distinguitur ratione ab ente, perseitas distinguitur ratione ab ente*; nullum verò est absurdum, quod de eodem sumpto cum rebus diuersis verificentur contradictoria ratione rerum diuersarum. Idem dic ad alia sophismata similia.

Dum vrgetur: ratio entis cognoscitur clarè cognitione, qua dico ens: ratio perseitatis non cognoscitur clarè tali cognitione; ergo. Distinguo secundam partem antecedentis: ratio perseitatis non co-

gnoscitur clarè eadem claritate, nego; diuersa claritate, concedo; & nego consequentiam. Idem potest cognosci diuersis cognitionibus, & diuersis claritatibus. In casu nostro ens potest clarè cognosci claritate; qua dico *ens*, & claritate, qua dico *perseitas*. Dum dico *ens* cognosco tã ens, quam perseitatem clarè prima claritate: non cognosco clarè secunda claritate, ideo dicor cognoscere clarè ens, non cognoscere clarè perseitatem, non quia non cognoscam clarè perseitatem vlla claritate, sed quia non cognosco clarè illa claritate, & expressione, quam experior, dum dico *perseitas*. Quod verò eadem res cognoscatur clarè vna claritate, non cognoscatur clarè alia claritate, non est contradictio, sicut non est contradictio, quod idem corpus coloretur vno colore, non coloretur alio colore.

Sed explicandum, cur obiecta eadem possint cognosci diuersis cognitionibus, ac diuersis claritatibus, & in quo tandem consistant istę diuersæ claritates. Dico, quod vt indicatum est quęst. 2. res possunt producere effectus sibi similes tum in esse reali, tum in esse intentionali; e. g. homo & potest causare hominem sibi similem in esse reali, & potest causare cognitionem hominis similem homini in esse intentionali. Porrò tales effectus vel possunt

sunt esse similes causæ omnino perfectè, vel possunt esse similes solum imperfectè, ac deficienter; e. g. homo productus ab homine est perfectè similis homini producenti, ita vt adęquet perfectionem specificam producentis; at creaturę productę à Deo sunt similes Deo imperfectè, & ita vt infinito quodam defectu distent à diuina imperfectione, idemque dic de pluribus alijs effectibus causarum secundarum. Similiter cognitio rei & potest esse perfecta, & comprehensiua, hoc est adæquans proportionaliter perfectionem obiecti, & potest esse imperfecta, ac deficiens, hoc est non adęquans perfectioné obiecti. Hoc posito, sicut cum causa producit effectus imperfectos, ac deficientes á perfectione causę in esse reali, potest producere plures, & plures effectus similes; e. g. Deus potest producere plures, & plures creaturas similes secundum varios gradus perfectionis: sol etiam producit plures effectus soli similes secũdum diuersas rationes; sic cum causa producit cognitiones imperfectas, ac deficientes à perfectione causæ in esse intẽtionali potest producere plures, & plures cognitiones similes, ac repræsentantes obiectum per varias claritates, ac repræsentationes; e. g. substantia potest producere cognitionem repræsentantem illã

claritate entis, & poteſt producere aliam cognitionem repręſentantem illam claritate perſeitatis. Non itaque tales cognitiones repræſentant diuerſam rationẽ obiectiuam, ſed quia repręſentant obiectum imperfectè, & deficienter, repręſentant diuerſa claritate, & expreſſione, eo pacto, quo diuerſę creaturæ, e.g. equus, leo non imitantur diuerſam rationem, & perfectionem obiectiuam diuinæ eſſentię. ſed eſſentiam diuinam ſimplicem deficienter, & inadæquatè imitantur diuerſa imitatione.

Rurſus ſicut cœlum à diuerſis conditionibus propinquitatis, ac diſtantiæ, à diuerſis diſpoſitionibus materiæ &c. determinatur ad producendos diuerſos effectus, quos videmus in inferioribus; ſic obiectum à diuerſo modo, quo proponitur potentię, à diuerſa diſpoſitione potentiæ &c. determinatur ad cauſandas diuerſas cognitiones. Ita obiectum valde diſtans cauſat in oculo diuerſam viſionem, ac cauſet quando proponitur in debita propinquitate. Similiter diuerſam viſionem cauſat in oculo acutiore, & melius diſpoſito ad videndum, quam in oculo hebetiori, ac peius diſpoſito. Adde, quod diuerſam cognitionem rei formamus, cum illam cognoſcimus per vnum medium, ac cum cognoſcimus per aliud;

e.g.

e. g. diuersam cognitionem formamus de Deo, cum cognoscimus illum per creaturas intellectiuas, ac cum cognoscimus per non intellectiuas; diuersam cognitionem formamus de homine, dum illum cognoscimus per operationes discurrendi, ac cum cognoscimus per operationes sentiendi. Adde etiam, quod cognitio clarior obiectorum creatorum est, quæ magis illa imitatur, ita vt sicut possunt ex rebus oriri plures effectus, ità possint ex cognitione rei oriri cognitiones pluriũ,& plurium effectuum: e.g. cognitio, qua dico *animal rationale*, clarior est cognitione, qua dico *homo*, quia ex priori statim posſũt oriri cognitio ne sẽsationis, ac discursus, quæ cognitiones nõ posſũt oriri ex posteriori.

Dum rursus vrgetur, quia de perfectione,& imperfectione identificata verificantur contradictoria; nam perfectio est amabilis propter se ipsã, imperfectio non est amabilis propter se ipsam, sed solum ratione perfectionis. Respondeo, quod sicut perfectio creata est perfectio per se ipsam imperfecta, ita per se ipsam mouet ad amorem,& complacentiã imperfectam includentem aliquid displicentię; ac proportionaliter imperfectio creata, quia est imperfectio aliqualiter perfecta, mouet ad displicentiam mixtam cum aliqua complacentia: Nulla igitur de perfectione,

& imperfectione verificantur contradictoria. Nam & perfectio aliqualiter imperfecta mouet ad complacentiam cum displicentia, & imperfectio aliqualiter perfecta mouet ad displicentiam cum complacentia, ita vt proportionaliter, sicut perfectio est idem cum imperfectione, sic amor imperfectus sit idem cum aliquali odio, & imperfecta complacentia sit idem cum aliquali displicentia.

Ad 4. Iam dictum est in responsione ad 2., quod in creatis distinctio virtualis non repugnat ratione contradictionum, quæ afferuntur, sed ratione limitationis. At soluenda sunt argumenta petita ex contradictionibus. Primum est, quia est primum principium, quod contradictoria non possunt de eodem verificari. Respondeo sensum principij esse, quod non possunt contradictoria verificari de eodem etiam logicè, cum possint verificari de ijs, quæ cum logicè distinguantur, sunt idem metaphysicè, vel physicè, vt patere potest ex ipsis definitionibus talium identitatum allatis quęst. 30. Confirmatur solutio, nam S. Thomas prima parte quæst. 28. ad primum docet ex Aristotele 3. physic. tex. 21. quod principiũ illud, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se* intelligitur de iis, quę sunt eadem re, & ratione, sicut tunica & vestimentum,

tum, non autem de ijs, quę differunt ratione; ergo etiam principium illud, *non possunt de eodem verificari contradictoria*, intelligitur de ijs, quę sunt idem re, & ratione; sed esse idem ratione obiectiua, de qua patet loqui S. Thomam, & Aristotelem, est esse idem logicè; ergo. Verba S. Thomæ sunt. *Ad primum dicendum, quod secundum philosophum in 3. physic. argumentum illud tenet, quod quęcumque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem in his, quæ sunt idem re, & ratione, sicut tunica, & vestimentum, non autem in ijs, quæ differunt ratione*. Dum vrgetur; ergo est vera hæc propositio, cognitum est non cognitum: respondeo negando consequentiam. Hęc enim propositio, ratione materię affirmat identitatem logicam, quę repugnat inter cognitum, & non cognitum. Ratio cur affirmet identitatem logicam, est, quia cum cum affirmatur, vel negatur quod de eodem verificentur contradictoria, ly *idem* semper sumitur logicè. Si tamen propositio restringatur, & dicatur cognitum distinguitur logicè à non cognito, sed habet cum illo aliquam identitatem metaphysicam, vel physicam, propositio est vera. Idem dic ad alias similes propositiones. Ex eadem ratione falsę sunt illę sequelę; ergo idem distinguitur à se ipso; Idem est melius se ipso:

significant enim, quod idem distinguitur ab eo, cum quo habet identitatem logicã. Potest tamen concedi, quod res aliqua logicè distinguitur ab eo, cum quo habet identitatem physicam, aut metaphysicam: quod aliqua formalitas habet identitatem purè phycam cum alia formalitate, quę secundum se præcisè est melior.

Ad 5. Negandum quod spectet ad diuinam omnipotentiam posse separare omnia, quæ non habent identitatem logicam. Ad inseparabilitatem enim sufficit identitas purè physica. Confirmatur quia sicut quæ distinguuntur modaliter, non possunt mutuò separari; sic quę distinguuntur distinctione minore quam modali, neque mutuo, neque non mutuo possunt separari.

Vtrum in creatis rationes genericæ, specificæ, & indiuiduales distinguantur formaliter ex natura rei. Quæstio XXXII.

VIdetur vera sententia Nominalium, quos sequuntur communiter multi recentiores, quod in creatis rationes genericæ, specificæ, & indiuiduales non distin-

ſtinguantur formaliter ex natura rei, neque vlla diſtinctione intrinſeca, ſed ſolum per intellectum, & per rationem noſtram: 1. quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas diſtinguendi rationes genericas, ac differentiales, e. g. animalitatem hominis ab eius rationalitate; ergo non debet poni talis diſtinctio. Minor probatur: nam inſeparabilitas eſt vnicum indicium diſtinctionis; ſed rationes genericæ, ac differentiales ſunt omninò inſeparabiles; ergo &c. Confirmatur, quia ſi animalitas diſtinguitur à rationalitate, non eſt vlla ratio, cur ſit ab illa inſeparabilis etiam de potentia abſoluta.

2. Vel omnes formalitates per intellectum abſtrahibiles ab alijs formalitatibus diſtinguuntur ab ipſis, vel non omnes: ſi omnes: ergo etiam ratio entis diſtinguitur à differentia perſeitatis, cum ſit ab illa per intellectum abſtrahibilis, quod eſt impoſſibile, & contra Ariſtotelem 3. metaph. tex. 10: ſi non omnes, contra eſt tum quia non poteſt aſſignari quænam diſtinguantur, quæ verò non diſtinguantur; tum quia hęc ſententia in quantum dicit aliquas formalitates identificari, debet ſoluere omnia argumenta probantia vniuerſim diſtinctionem formalitatum; in quantum verò dicit quaſdam diſtingui,

ſoluere debet argumēta impugnantia earū diſtinctionē, ergo cum incurrat in difficultates vtriuſque, ſētentia eſt reijciēda.

3. Si dicatur, quod illæ formalitates identificantur, quæ includunt alias in ſuo conceptu, vel in ijs includuntur, cuiuſmodi ſunt ens, & perſeitas, cum perſeitas ſit quoddam ens; illæ verò formalitates diſtinguuntur ex natura rei, quæ ſe mutuo excludūt in ſuo conceptu, cuiuſmodi ſunt animalitas, & rationalitas: contra eſt, quia ſequeretur, quod ſubſtantia non diſtingueretur à differentijs ſubſtantię materialis, ſpiritualis &c: nam omnes differentiæ ſubſtantiæ ſunt ſubſtantia, alioquin eſsēt accidentia, quod repugnat; ergo ſubſtantia includitur in omnibus ſuis differentijs; ergo non diſtinguitur ab vlla differentia.

4. Si rationes genericæ deberent diſtingui à differentialibus, daretur proceſſus in infinitum; ergo &c. Probatur ſequela: ideò in homine ratio generica diſtinguitur à differentiali, quia homo conſtat ex genere, & differentia; ſed omnes rationes genericæ, ac differentiales conſtant ex alio genere, & differentia; ergo in omnibus rationibus genericis, ac differentialibus diſtinguuntur alię rationes genericæ, ac differentiales, ac proinde proceditur in infinitum. Minor

probatur: nam omnes rationes genericę, ac differentiales sunt definibiles; sed definitio est per genus, ac differentiam; ergo omnes rationes genericæ, ac differentiales constant ex genere, ac differentia. Confirmatur; nam rationalitas, quæ est hominis differentia e. g. conuenit cum equinitate, quæ est differentia equi, in prædicato differentię, disconuenit in taleitate differentię; ergo est composita ex duobus prędicatis, in quorum altero conuenit, in altero disconuenit; sed ex eadem ratione prædicatum, in quo disconuenit, est compositum ex pluribus prædicatis; ergo &c.

5. Sequeretur, quod etiam in angelis, & anima rationali deberent dari compositio ex genere, & differentia, quod videtur absurdum; sequeretur rursus, quod in anima rationali distinguerentur gradus vegetatiui, sensitiui, & rationalis; sed isti gradus essent tres animæ; ergo in homine darentur tres animę. Rursus in anima rationali deberent distingui gradus visiui, auditiui, tactiui &c: in intellectu deberent distingui gradus cognoscitiui, apprehensiui, iudicatiui, discursiui.

6. Non potest explicari, quo pacto in composito physico partes metaphysicę, e.g. animalitas, & rationalitas identificentur

cum partibus physicis, nimirum cum anima, & corpore; an etiam materia prima constet ex genere, ac differentia distinctis ex natura rei; an plures gradus componentes vnam essentiam existant per vnicam, vel plures existentias &c; ergo hæc sententia ponens distinctionem ex natura rei inter formalitates est vndique implicata.

7. Ideo in creatis aliqua prædicata distinguuntur ex natura rei, quia se inuicē non includunt in suo conceptu; sed etiam plura prædicata diuina, e. g. misericordia, iustitia &c. se inuicem non includunt in suo conceptu; ergo etiam multa prædicata diuina distinguuntur formaliter ex natura rei, quod repugnat diuinæ simplicitati.

8. Etiam indiuiduatio deberet distingui à natura specifica, e. g. petreitas à natura humana Petri. Ideò enim animalitas distinguitur à rationalitate, quia homo per animalitatem conuenit cum equo, per rationalitatem differt; sed Petrus per naturam humanam conuenit cum Paulo, per petreitatem differt; ergo &c. sed aliunde videtur absurdum, quod indiuiduatio distinguatur à natura specifica.

9. Si rationes genericæ distinguerentur à differentialibus, res deberent omninò

nino conuenire in rationibus genericis, e. g. homo, [& equus deberent omnino conuenire in animalitate, ac deberent solum differre per rationalitatem; sed res e. g. homo, & equus non possunt omnino conuenire in ratione generica, nimirum in animalitate; ergo &c. Probatur minor: animalitas enim hominis est inseparabilis à rationalitate, & illam exigit essentialiter; animalitas equi est inconiungibilis cum rationalitate, & illi repugnat essentialiter; ergo animalitas hominis, & equi sunt dissimiles, ac differentes se ipsis ante differentias aduenientes. Confirmatur: nam anima rationalis, & equina conueniunt in ratione generica sensitiuitatis; sed sensitiuitas animę rationalis secundum se præcisè est dissimilis à sensitiuitate animæ equinæ; nam sensitiuitas animę rationalis est immortalis, incorruptibilis &c, opposita prædicata conueniunt sensitiuitati animæ equinę; ergo &c.

10. Non solum Nominales, sed etiam Thomistæ, Scotistę, & omnes scholastici conueniunt in ponenda inter gradus aliqua identitate reali; sed si gradus distinguuntur ex natura rei, nulla poni potest inter ipsos realis identitas, sed sola inseparabilitas, quæ non dicit realem identitatem; nam potentię animę, licet sint om-

omninò inseparabiles ab anima nullam habent realem identitatem cum anima; ergo hæc opinio est contra omnes scholasticos: præsertim verò est contra Aristotelem, & sanctum Thomam. Aristoteles enim 1. poster. tex. 4. docet, quod cum aliquis cognoscit aliquam veritatem in vniuersali, cognoscit idem, ac cum cognoscit illam in particulari, sed diuerso modo; sed si gradus distinguerentur ex natura rei, non diceret, quod cognoscit idem diuerso modo, sed quod cognoscit secundum diuersum gradum, & rationem; ergo Aristoteles supponit gradus non distingui ex natura rei. Sanctus etiam Thomas vbique docet gradus non distingui ex natura rei, sed solum secundum considerationem nostram, vt videre est in compendio theologiæ cap. 92. de ente, & essentia cap. 1. & clarissimè prima parte quæst. 50. artic. 2. ad primum per hæc verba: *In rebus immaterialibus non est aliud determinans & determinatum, & ideo genus, & differentia non accipitur in ipsis secundum aliud, sed solum secundum idem, quæ differunt tantum secundum considerationem nostram.*

Resp. quod vt Aristoteles docet 2. metaph. tex. 15. absurdum est simul scientiam, & modum sciendi quærere: ideò antequam quæratur scientia alicuius sci-

bi-

bilis, statuendum est ex quibus principijs possit haberi scientia, & demonstratio talis scibilis. Cum igitur nos quæramus scientiam de distinctione, vel identitate rationum conceptarum: debemus primò determinare ex quibus principijs possit demonstrari identitas, ac distinctio rationum conceptarum deinde debemus descendere ad ostendendū magis in particulari, quæ rationes sint distinctæ, vel indistinctę.

Quo ad primum: dicunt aliqui, quod vnica via demonstrandi identitatem, aut distinctionem rationum est separabilitas, & inseparabilitas, ita vt rationes separabiles dicantur distingui, rationes omninò inseparabiles in vno supposito dicantur identificari. Alij dicunt, quod talis via est contradictoriorum verificatio, ita vt rationes, de quibus verificantur contradictoria, distinguantur, rationes, de quibus non verificantur contradictoria, identificentur.

Sed omissis alijs, quę possunt contra hanc sententiam opponi, contrà est; quia separabilitas, ac receptio contradictoriorum sunt solum effectus, & passiones distinctionis; ideo enim aliqua possunt separari, vel suscipere contradictoria, quia sunt distincta; sed per effectus, & passiones non potest haberi nisi scientia, &

de-

demonſtratio imperfecta ;ı ergo auctores huius ſententiæ viam ineunt, qua poſſit ſolum obtineri ſcientia, & demonſtratio imperfecta, cum philoſophus, ac præſertim metaphyſicus, ad quem ſpectat hæc quæſtio, debeat querere ſcientiam, ac demonſtrationem perfectam, & per cauſam, vt Ariſtoteles docet 1. metaph. capit. 2.

Relictis igitur vijs, quibus obtineri nõ poteſt perfecta ſcientia, ac demonſtratio identitatis, ac diſtinctionis, dicendum primo, quod vt in poſt. docet Ariſtoteles, quem ſequuntur omnes, definitio explicans *quid eſt res* eſt principium demonſtrandi paſſiones, & prędicata, quę conſequuntur ad quidditatem rei. Sicut enim quidditas rei eſt ratio, cur ei competant talia prędicata, ſic eſt ratio, per quam demonſtrantur eadem prædicata, ſiquidē omnia demonſtrantur per ſuam cauſam, & rationem. Ita videmus, quod in mathematicis paſſiones, & prędicata figurarum demonſtrantur per earum definitionem. Sed identitas, ac diſtinctio ſunt prædicata conſequentia ad quidditatem rerum, vel rationum: manifeſtum eſt enim, quod ideò res identificantur, ac diſtinguuntur, quia ſunt id quod ſunt, ergo definitio explicans quid ſit res, aut ratio concepta, eſt principium demonſtrandi identita-

titatem, aut distinctionem rerum, vel rationum conceptarum; e. g. cum in homine detur animalitas, per quam est animal; rationalitas, vitalitas, & plures alię rationes, definitio ipsarum est principium demonstrandi earum identitatem, vel distinctionem. Definitio verò rationum cũ sit primum principium, demonstrari non potest, sed per se innotescit ex penetratione rei definitæ, vt Aristoteles docet, quem sequuntur alij.

Sed vt explicemus, quo pacto ex definitione possit demonstrari identitas, aut distinctio rationum conceptarum, dicendum secundo, quod sicut Aristoteles in libris priorum posuit duo principia, alterum ad demonstrandam infallibilitatem syllogismorum affirmatiuorum, alterum ad demonstrandam infallibilitatem negatiuorum, quę sunt *dictum de omni*, *dictum de nullo*; sic à nobis ponenda sunt duo proportionalia principia; alterum ad demonstrandam identitatem rationum conceptarum, quod possumus vocare *inclusum in definitione*, alterum ad demonstrã-dam distinctionem rationum conceptarũ, quod possumus vocare, *exclusum à definitione*. Sensus principij, quod dicimus *inclusum in definitione* est; rationes conceptę, quarum vna in recto includitur in definitione alterius, sunt idem sine vlla distin-

distinctione ex natura rei. Probatur, quia vt Aristoteles docet 7. metaph. tex. 20. & 21. nihil distinguitur ex natura rei à suo *quid est* per definitionem explicato: e. g. quia *quid est*, seu definitio hominis est *animal rationale*, homo non distinguitur ex natura rei ab animali rationali, immò idem omninò est, esse hominem, & esse animal rationale; sed eo ipso, quod vna ratio in recto includitur in definitione alterius, spectat ad *quid est* illius, cum per definitionem explicetur quid res sit; ergo rationes, quarum vna includitur in recto in definitione adæquata alterius, sunt idem sine vlla distinctione ex natura rei. Sensus principij quod vocamus *exclusum à definitione* est; rationes conceptę, quarum neutra in recto includitur in definitione adęquata alterius, distinguuntur ex natura rei. Probatur, quia definitio adęquata rei explicat quidquid conuenit rei per se ipsam, ita vt hoc ipsum sit esse talem rem: e. g. definitio adęquata hominis, quę ponatur *animal rationale*, explicat totum id, quod conuenit homini per se ipsum, ita vt hoc ipsum sit esse hominem; homo enim ita est animal rationale, vt idem sit esse hominem, ac esse animal rationale. Iam sic: definitio adęquata explicat quidquid conuenit rei per se ipsam, ita vt hoc ipsum sit esse talem

lem rem ; ergo quod non includitur in definitione adęquata non conuenit rei per se ipsam , sed aliud est esse rem , aliud hoc prędicatum conuenire; sed quod non conuenit rei per se ipsam , sed per aliud , distinguitur ex natura rei ab illa ; ergo quod non includitur in definitione adęquata rei,distinguitur ex natura rei; à re; ergo rationes conceptę , quarum neutra includitur in definitione adęquata alterius , distinguuntur ex natura rei .

Explicata prima parte quęstionis, ac positis duobus principijs , ex quibus debet ostendi identitas, ac distinctio rationũ conceptarum , explicanda est secunda pars quæstionis , ac statuendum , quęnam rationes conceptę identificentur , quę verò distinguantur. Primo igitur ostendendum,quod ratio communis entis , & aliorum transcendentium contentorum in voce *Reubau* non distinguuntur ex natura rei ab vlla differentia , vel ratione positiua : secundo quod neque ratio communis accidentis distinguitur ex natura rei ab vlla differentia accidentis: tertio quod in Deo nulla ratio generica distinguitur ex natura rei ab vlla ratione differentiali , immo nulla ratio absoluta distinguitur ex natura rei ab vlla alia ratione absoluta : quarto quod in creatis dantur rationes genericę distinctę à rationibus differen-

tia-

tialibus : quinto demum examinandum, an, & quomodo rationes indiuiduales diſtinguantur à rationibus ſpecificis.

Primò igitur dico, quod ratio entis, & aliorum tranſcendentium non diſtinguitur ex natura rei ab vlla differentia, vel ratione poſitiua. Probatur, nam nulla ratio diſtinguitur ex natura rei ab eo, in cuius definitione includitur; ſed ratio entis includitur in definitione omnium differentiarum, & omnium rationum poſitiuarum; ergo. Minor probatur; illa enim ratio includitur in definitione alterius, quæ conuenit illi per ſe ipſam; ſed ratio entis per ſe ipſam conuenit omnibus differentijs, & rationibus poſitiuis: nam omnes differentię, & rationes poſitiuę per ſe ipſas ſunt ens: e. g. perſeitas, quæ eſt differentia ſubſtantię, per ſe ipſam eſt ens, & eſſe perſeitatem, eſt eſſe quoddam ens, idemque dic de inaleitate, & cæteris differentijs, ac rationibus poſitiuis; alioquin ſi per ſe ipſas non eſſent ens, eſſent non ens, & nihil, quod eſt impoſſibile, vt arguit Ariſtoteles 3. metaph. tex. 10; ergo ens includitur in definitione omnium differentiarum, & rationum poſitiuarum. Eodem pacto probatur, quod alia quinque tranſcendentia contenta in dictione *Reubau*, quæ ſunt res, vnum, bonum, aliquid, verum, non diſtinguuntur

tur ex natura rei ab vlla differentia, vel ratione positiua. Perseitas enim, & aliæ rationes sicut per se ipsas sunt quoddam ens, ita per se ipsas sunt quædam res, sunt quoddam bonum, verum, vnum, & aliquid, cum ipsum esse ens sit esse rē, aliquid, vnū, verum, bonum; ergo dictæ rationes transcendentes, & alię similes nec distinguuntur inuicem, nec ab vlla ratione positiua.

Dico secundo: ratio communis accidentis non distinguitur ex natura rei ab vlla differentia accidentis. Probatur, quia ratio communis accidentis consistit in hoc, vt sit entis ens; sed omnis differentia accidentis eo ipso, quod est differentia accidentis, est entis ens; ergo omnis differentia accidentis includit rationē communem accidentis; ergo ratio communis accidentis non distinguitur ab vllā differentia accidentis. Confirmatur, & explicatur, exemplificando in differentijs constitutiuis nouem prædicamentorū, quę sunt quantitas, qualitas, &c. Differentia constitutiua quantitatis est, per quā accidens afficit substantiam, illam mensurando; differentia constitutiua qualitatis est, per quam accidens afficit substantiam, illam qualificando; sed hoc ipsum, quod est esse id, per quod accidens constituitur mensura substantię, vel qualificans substantiam, est esse ens ordinatum

ad

ad substantiam, atque adeò est esse accidens; ergo omnes differentiæ accidentis includunt accidens in sua definitione. Breuiter esse ordinatum ad constituendũ entis ens in sua specie est esse entis ens; sed omnes differentiæ accidentis per se ipsas sunt rationes ordinatæ ad constituendum accidens, seu entis ens in sua specie; ergo omnes differentiæ per se ipsas sunt entis ens; ergo accidens includitur in definitione omnium differentiarum accidentis.

Dico tertio: in Deo nulla ratio generica distinguitur ex natura rei ab vlla ratione differentiali, immò nulla ratio absoluta distinguitur ab vlla ratione absoluta. Probatur, quia nulla ratio distinguitur ex natura rei à ratione, in cuius definitione includitur; sed omnis ratio generica, vel quasi generica affirmabilis de Deo includitur in definitione rationis differentialis Dei; ergo &c. Minor probatur: nam differentia Dei est, per quam est ens omninò illimitatum, & totale continens totum esse: diuiditur enim ens primo in Deum, & creaturam, hoc est in ens perfectum, & continens in se totum esse, & in ens imperfectum, & partiale non continens totum esse; sed in definitione illimitationis, & continentię totius esse includitur omnis ratio quasi generica

affir-

affirmabilis de Deo ; illimitatio enim, & continentia totius esse manifestè includit in sua definitione , & quidditate esse ens , esse substantiam , viuentem , sapientem , &c. cum hæc omnia sint aliquod esse ; ergo omnis ratio quasi generica affirmabilis de Deo includitur in differentia Dei , ac proinde nulla ratio affirmabilis de Deo distinguitur ex natura rei à differentia Dei. Hinc verò vlterius sequitur , quod in Deo nulla ratio absoluta distinguitur ab vlla alia ratione absoluta. Patet : nam omnis ratio absoluta includitur in definitione cuiuscunque alterius rationis absolutę e. g. misericordia diuina includitur in definitione diuinæ iustitiæ ; ergo &c. Probatur antecedens: nam iustitia diuina est iustitia omninò illimitata,& continens totum esse , & per hoc differt à iustitia creata, quę est limitata , & non continet totum esse ; sed iustitia illimitata , & continens totum esse includit in sua definitione etiam esse misericordię; ergo iustitia diuina includit in sua definitione misericordiam , & misericordia iustitiam , & quælibet ratio absoluta Dei omnem aliam rationem absolutam. Ideò reijcienda est omninò sententia Scoti distinguens in Deo rationes absolutas ex natura rei: aufert enim à Deo optimam differentiã , quę est esse ens omninò illimitatum,& in-

 clu-

cludens totum esse.

Dico quarto: in creatis dantur rationes genericę distinctæ formaliter ex natura rei à rationibus differentialibus: Probatur, quia rationes, quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, distinguuntur ex natura rei; sed dantur multę rationes genericæ, ac differentiales, quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius; e. g in homine ratio generica est animalitas, ratio differentialis est rationalitas, & nec animalitas includitur in definitione adęquata rationalitatis, nec rationalitas in definitione adęquata animalitatis; ergo in creatis dantur plures rationes genericæ, ac differentiales distinctæ ex natura rei. Minor probatur; nam si quæratur, quid sit animalitas, nunquam ponetur in eius definitione rationalitas; & si rursus quæratur quid sit rationalitas, nunquam ponetur in eius definitione animalitas; sed cum quæritur quid sit res, aut ratio, quæritur definitio adęquata explicans totam quidditatem rei; ergo nec rationalitas includitur in definitione animalitatis, nec animalitas in definitione rationalitatis.

Respondent nominales dupliciter posse quæri, quid sit aliqua ratio: primo quærendo definitionem simpliciter adęquatā explicantem totaliter quid sit à parte rei: secun-

ſecundo quęrendo definitionem inadæquatam, & pręciſiuam explicantem quid ſit præcisè, in quantum concipitur aliquo conceptu inadæquato, & præſcindente ab alijs rationibus, cum quibus identificatur à parte rei. E. g. dupliciter poteſt quęri, quid ſit rationalitas, primo quęrendo quid ſit ſimpliciter à parte rei; & tum quæritur definitio ſimpliciter adæquata explicans totam quidditatem rationalitatis, prout eſt à parte rei; & quià ad quidditatem rationalitatis, & cuiuſcunque rationis ſpectat omnis ratio, cum qua identificatur, ideò definitio adæquata rationalitatis prout eſt à parte rei debet explicare omnia, quę cum ipſa identificantur; & quia cum rationalitate identificatur animalitas, ideò per definitionem adæquatam rationalitatis debet explicari etiam animalitas, & ex eadem ratione in definitione adæquata animalitatis debet explicari rationalitas. Secundo poteſt quæri, quid ſit rationalitas non ſimpliciter, & à parte rei, ſed præcisè in quantum concipitur conceptu inadæquato, quo formaliter præſcinditur ab animalitate, & alijs rationibus ab ipſa indiſtinctis ex natura rei, & tunc non quæritur definitio adęquata rationalitatis, ſed inadęquata, & præciſa, explicans quid ſit, non ſimpliciter, ſed pręſcindendo ab ani-

malitate, & à cæteris rationibus,) à quibus præſcinditur per conceptum inadæquatum; ergo ex eo, quod aliquæ rationes præciſæ mutuò ſe excludant in ſua definitione precíſiua, non poteſt argui diſtinctio illarum ex natura rei, ſed ſolum diſtinctio per intellectum, & rationem preciſiuam, ac proinde ruit tota doctrina de diſtinctione formalitatum.

Vt reijciam hanc doctrinam, & probem concluſionem, duo ſuppono. Primũ eſt, quod ſicut duo ſunt genera veritatum; quædam ſunt ita proportionatæ intellectui humano, vt poſſit de ijs naturaliter acquirere cognitionem certam, & euidentem; quędam ita ipſum excedunt, vt non poſſit de ijs acquirere cognitionem certam, & euidentem; ita ſunt duo genera quidditatum; quędam ita proportionatæ, vt poſſit de ijs intellectus noſter acquirere cognitionem quidditatiuam adæquatam; quædam ita excedentes, vt non poſſit de ipſis acquirere cognitionem adequatam, ſed ſolum inadæquatam, vel merè abſtractiuam. Ratio eſt, quia ſicut intellectus humanus eſt naturaliter aptus ad cognoſcendas quaſdam veritates certò, & euidenter, ita debet eſſe naturaliter aptus ad cognoſcẽdas quaſdam quidditates adæquatè, & quidditatiuè. Si verò quæratur, quęnam

quid-

ditates sunt cognoscibiles quidditatiuè, & adæquatè ab intellectu humano, quæ verò solum inadæquatè, & abstractiuè, dicendum quod quidditates materiales, & sensibiles sunt cognoscibiles quidditatiuè, & adæquatè, è conuerso quidditates immateriales, & insensibiles sunt cognoscibiles inadæquatè, & abstractiuè. Ratio est, quia obiectum proportionatum intellectus quodammodo sensitiui, hoc est vtentis ministerio sensuum est quidditas sensibilis, & materialis; obiectum verò proportionatum intellectus non vtentis ministerio sensuum est quidditas insensibilis, & immaterialis; sed intellectus humanus est intellectus quodammodo sensitiuus, hoc est vtens ministerio sensuum, intellectus angelicus est insensitiuus, nec vtens ministerio sensuum; ergo obiectum proportionatum intellectus humani est quidditas sensibilis, & materialis; quidditas verò insensibilis, & immaterialis excedit humanum intellectum & est proportionata angelico; sed intellectus humanus potest acquirere naturaliter cognitionem adæquatam, & quidditatiuam de suo obiecto proportionato, de excedente verò potest acquirere solum inadęquatam; ergo &c. Ideo Aristoteles, & ex eo Sanctus Thomas 1. par. quęst. 83. art. 7. in corp. & quæst.
 85.

85. ar. 5. & 7. & pluribus alijs locis docent, quod obiectum proprium, & primũ intellectus humani est quidditas rei materialis, quod intelligendum de obiecto proportionato; docent etiam quod de rebus immaterialibus, vtpotè excedẽtibus possumus habere aliqualem cognitionem, sed imperfectam, vt videre est apud Sanctum Thomam prima parte, quęst. 88. articulo secundo.

Secundo suppono, quod sicut ex veritatibus cognoscibilibus certò, & euidenter ab humano intellectu, quædam sunt cognoscibiles certò, & euidenter solum mediatè per discursum ex alijs veritatibus, & tales sunt veritates demonstrabiles, ac scibiles; quędam verò sunt cognoscibiles certo, & euidenter immediatè, & ex terminis, & talia sunt prima principia per se nota, & non vlterius demonstrabilia; sic ex quidditatibus cognoscibilibus adęquatè, & quidditatiuè quędam sunt cognoscibiles quidditatiuè, & adæquatè solũ mediatè per alias quidditates, & tales sunt quidditates propriè definibiles per genus, & differentiam; quędam sunt cognoscibiles quidditatiuè, & adæquatè per se ipsas, & tales sunt prima principia definitionum, seu prima genera, & primę differentiæ per se quidditatiuè nota, & non vlterius defini-

nibilia per alia genera, & per alias differentias. Ratio vtriusque est, quia sicut ne procedatur in infinitum in demonstrationibus dari debent prima principia nõ vlterius demonstrabilia, sed per se nota, sic ne procedatur in infinitum in definitionibus manifestantibus quidditatem per genus, & differentiam dari debent prima genera, & primæ differentiæ non vlteriùs definibilia per genus, & differentiam, sed per se quidditatiuè nota.

His suppositis, reijcitur doctrina Nominalium, & probatur conclusio. Nam rationes cognitæ conceptu quidditatiuo, & adæquato, quarum neutra includitur in definitione adęquata alterius, distinguuntur ex natura rei; sed plures primæ rationes genericę, & differentiales, e. g. animalitas, & rationalitas cognoscuntur à nobis conceptu quidditatiuo, & adæquato, vt dictum est in fine secundi suppositi; alioquin nulla quidditas sensibilis, & materialis esset à nobis cognoscibilis quidditatiuè, & adæquatè contra primum suppositum; & prętereà tales rationes mutuo se excludunt à sua definitione adæquata; nam neque in definitione adæquata animalitatis includitur rationalitas, neque in definitione adęquata rationalitatis in recto includitur animalitas; ergo tales rationes genericæ, & differentiales distinguuntur ex natura rei.

Confirmatur primò, quia quid ſint, vel non ſint rationes quidditatiuè & adæquatè cognitæ innoteſcit ex terminis, & demonſtrari non poteſt; nam deſnitio explicans quid eſt res non demonſtratur, ſed eſt primum principium demonſtrationis; ſed comparando rationes genericas, & differentiales quidditatiuè cognitas, e. g. animalitatem, & rationalitatem non innoteſcit, quod animalitas ſit rationalitas, ſed potiùs innoteſcit oppoſitum, eo pacto, quo comparando colorem, & ſonum innoteſcit, quod color non eſt ſonus; ergo &c. Adde quod intellectus non magis penetrat rationem entis, & cęteras rationes tranſcendentes, quam rationem animalis, & alias non tranſcendentes; ſed de ratione entis, & tranſcendentibus certificatur, quod includuntur à parte rei in quidditate omnium differentiarum, & omnium rationum poſitiuarum; ergo etiam de ratione animalis certificaretur quod includitur à parte rei in quidditate ſuarum differentiarum, ſi verè includeretur; non certificatur; ergo ideò quia non includitur. Et confirmatur à fortiori; quia noſter intellectus minus penetrat differentiã Dei, quam differentiam creaturarum; ſed de differentia diuina certificatur, quod includit in ſua quidditate omnes rationes abſolutè prædicabiles de Deo, vt dictum

eſt

est conclusione tertia; ergo si differentiæ creaturarum includerent rationes genericas in sua quidditate, certificaretur de tali inclusione. Et ratio à priori est, quia conceptus quidditatiuus adæquatus rationum est perfectè repræsentatiuus ipsarum; ergo cum conceptus quidditatiui non exprimunt inclusionem rationum, nec rationes se includunt à parte rei, adeoque distinguuntur. Ad hunc verò modum argumentandi ducimur ab ipsa natura. Vnusquisque enim comparans *esse animal*, & *esse rationale*, & aduertens quod non se includunt in sua quidditate, statim dicit, quod licet idem homo sit animal simul, & rationale, tamen in eo aliud est *esse animal*, aliud *esse rationale*, eo pacto, quo licet videamus, quod idem corpus est simul figuratum & coloratum, adhuc dicimus, quod aliud est *esse figuratum*, aliud *esse coloratum*: et sicut potentiæ sensitiuæ non solum certificantur de proprio obiecto sensibili, sed etiam de eius priuatione, vt colligitur ex Aristotele 2. de anima tex. 102. eo pacto, quo per potentiã visiuam non solum certificamur, an aer sit lucidus, sed etiam an tenebrosus, cum lumen non videmus; sic intellectus, cuius proportionatum obiectum est quidditas rerum, & rationum materialium, non solum certificatur, quid sint, sed etiam

quid non sint. Eo enim ipso, quod non videt in quidditate vnius rationis aliam includi, certificatur, quod vna ratio non est de quidditate alterius, adeoque distinguitur ab illa.

Confirmatur secundo, quia principia, in quæ resoluitur, & ex quibus oritur cognitio quidditatiua, debent cognosci quidditatiuè, eo pacto, quo principia ex quibus oritur, & in quæ resoluitur cognitio euidens, debent esse euidentia; sed hoc optimè saluatur in nostra sententia, non potest saluari in sententia contraria; ergo &c. Minor probatur, faciendo talem resolutionem definitionis, qua res quidditatiuè cognoscitur. Dum quæritur *quid est homo?* quęritur cognitio quidditatiua hominis, & respondetur *est animal rationale.* Quia animal per se ipsum non cognoscitur quidditatiuè, quęritur vlteriùs *quid est animal?* & respondetur *est viuens sensitiuum.* Quæritur adhuc *quid est viuens?* & respondetur *est corpus vegetabile.* Quæritur *quid est corpus?* respondetur *quod est substantia postulans trinam dimensionem.* Quęritur *quid est substantia?* & respondetur *quod est ens per se*, in qua descriptione non explicantur duę rationes, quarum vna addatur alteri, nam ipsa perseias cū per se sit ens, non additur enti, sed explicatur vnica ratio irresolubilis in plures,

res, quarum vna addatur alteri, quę ratio cognoscitur quidditatiuè conceptu simplici, quo dicitur *ens per se*. Substantia igitur est primum genus per se ipsum quidditatiuè cognitum, & est principium cognoscendi quidditatiuè omnia genera, & species, quæ sunt sub ipsa, addendo cognitionem quidditatiuam simplicem rationum differentialium vsque ad infimam differentiam. Addendo enim differentiam *postulantis trinam dimensionem*, cognoscitur quidditatiuè corpus, quod est substantia postulans trinam dimensionem; addendo differentiam *vegetabilis*, cognoscitur quidditatiuè viuens; addendo differentiam *sensitiui*, cognoscitur quidditatiuè animal; addendo differentiam *rationalis* cognoscitur quidditatiuè homo, qui est substantia corporea, vegetabilis, sensitiua, rationalis. Quia igitur & summum genus substantię est ratio simplex, & ordinatè contrahitur per differentias simplices, quæ proinde per se ipsas quidditatiuè cognoscuntur, ideo per rationes genericas, ac differentiales simplices quidditatiuè cognitas quidditatiuè cognoscitur substantia composita, quę sola est propriè definibilis, sicut sola veritas habens causam est propriè demonstrabilis; ergo in nostra sententia optimè saluatur, quo pacto principia, ex quibus oritur, & in quę resol-

uitur cognitio quidditatiua, cognoſcantur quidditatiuè, & ex ijs generetur cognitio quidditatiua rei compoſitę, ac definibilis. In ſententia contraria non poteſt hoc ſaluari. Nam rationes genericę, & differentiales minus quidditatiuè cognoſcuntur, quam res definitæ; ſed principia cognoſcendi quidditatiuè res ſunt rationes genericæ, ac differentiales; ergo principia cognoſcendi quidditatiuè res minus quidditatiuè cognoſcuntur, quam res definitæ. Probatur maior: nam primum genus ſubſtantiæ, per quod cognoſcitur quidditatiuè homo, minus quidditatiuè cognoſcitur, quam homo. Ad quidditatem enim ſubſtantiæ à parte rei ſpectant omnes differentię determinantes ſubſtantiam; ſed differentiæ determinantes ſubſtantiam minus quidditatiuè cognoſcuntur per hunc conceptum *ſubſtantia*; quam per hunc conceptum *homo*; ergo ſubſtantia minus quidditatiuè cognoſcitur, quam homo. Similiter rationale, quod eſt vltima differentia hominis., minus quidditatiuè cognoſcitur, quam homo. Nam de quidditate rationalis eſt animal; ſed minus quidditatiuè cognoſcitur animal per hunc conceptum *rationale*, quam per hunc conceptum *homo*; ergo differentia rationalis minus quidditatiuè cognoſcitur, quam homo; ergo prin-

cipia

cipia cognitionis quidditatiuę minus quidditatiuè cognoſcuntur,quam res, quę per talia principia cognoſcuntur quidditatiuè.

Confirmatur tertio, quia intellectus debet eſſe diſpoſitus ad cognoſcendum ſuum proprium, & proportionatum obiectum prout eſt; ſed proprium, & proportionatum obiectum intellectus noſtri eſt quidditas rei materialis; ergo intellectus debet eſſe diſpoſitus ad cognoſcendã quidditatem rei materialis prout eſt; ſed intellectus cognoſcit quidditatem rei materialis vt compoſitam ex rationibus genericis, & differentialibus; ergo verè quidditas materialis componitur ex rationibus genericis, & differentialibus diſtinctis ex natura rei: alioquin noſter intellectus etiam obiectum proportionatum cognoſceret aliter ac eſt. Sicut enim cum ea,quæ ſunt plura,cognoſcuntur vt vnum, cognoſcuntur aliter ac ſunt, ſic cum ea, quę ſunt vnum, cognoſcuntur vt plura, cognoſcuntur aliter, ac ſunt; ſed intellectus cognoſcit rationes genericas, & differentiales vt plures; ergo ſi ſunt vnum cognoſcit quidditatem materialem, quæ eſt ipſius proportionatum obiectum aliter ac eſt. Explicatur exemplo. Si oculus rem ſimplicem connaturaliter videret vt multiplicem, cognoſceret illam aliter ac

eſt,

eſt, & eſſet malè diſpoſitus ad videndum; ergo ſi intellectus quidditatem ſimplicem cognoſcit vt compoſitam ex pluribus rationibus, cognoſcit aliter ac eſt, & eſt malè diſpoſitus ad cognoſcendum. Hinc reijciuntur reſponſiones deſumptæ ex eo, quod intellectus cognoſcat quidditates materiales per accidentia. Licet enim incipiat à cognitione ſenſuali accidentiũ ſingularium, tamen verè, & quidditatiuè cognoſcit rationes vniuerſales tum accidentium, tum ſubſtantiæ materialis, cum quidditas materialis ſit proprium obiectũ intellectus noſtri quidditatiuè cognoſcibile ab ipſo, incipiendo à cognitione ſingulari propriorum accidentium, & perueniendo vſque ad cognitionem quidditatiuam ſubſtantiæ.

Confirmatur quarto, quia ſecundum hanc ſententiam traditur ratio vniuerſalis de diſtinctione, vel identitate rerum, ac rationum. Hæc ratio eſt finitas, & infinitas. Infinitas & limitatio eſſendi, per quam Deus eſt ens omninò illimitatum, eſt ratio cur in Deo identificentur omnes perfectiones. E conuerſo limitatio eſſendi in creaturis eſt ratio diſtinctionis. E.g. in Deo miſericordia, & iuſtitia identificantur ratione infinitatis. Quia enim diuina miſericordia eſt illimitata, non ſolum habet eſſe, & perfectionem

nem misericordiæ, sed etiam iustitiæ, & cuiuscumque alterius rationis. E conuersò quia misericordia creata est limitata, habet solum esse, & perfectionem misericordię, non verò iustitiæ. Deus est sapiens per se ipsum, quia esse diuinum vtpotè illimitatum continet perfectionem sapientiæ. At creatura non potest esse sapiens per se ipsam, sed per sapientiam distinctam, quia esse substantiale creaturę non includit perfectionem sapientię. Hinc oritur in creaturis distinctio substantiæ, & accidentis, & variorum accidentium inter se. Sed limitatio creaturę debet consistere in hoc, vt omnis ratio sit id solum, quod inuoluit in sua definitione, & non aliud; ergo rationes creatæ identificantur solum cum eo, quod inuoluunt in sua definitione, & non cum alio, ideoque dicit Auicenna, quod animalitas est animalitas tantum, rationalitas est rationalitas tantum, eo pacto, quo sapientia creata est sapientia tantum, non verò iustitia, iustitia creata est iustitia tantum, & non sapientia. Hinc colligitur, quod in creaturis omnis ratio identificatur cum sua imperfectione consistente in limitatione. Nam quidditas entis creati consistit in hoc ipso, quod sit tantum hęc entitas, & non alia.

Dico quinto: omnes rationes generi-

cæ,

cę, ac specificæ identificantur cum aliqua indiuiduatione incompleta indistincta ex natura rei; in entibus tamen multiplicabilibus in eadem specie præter rationes genericas, ac specificas daturaliqua indiuiduatio distincta ex natura rei.

Probatur prima pars conclusionis, nam hęcceitas, & indiuiduatio saltem incompleta rationum est, per quam rationes sunt hę, & non aliæ; sed omnes rationes genericæ, ac differentiales per se ipsas, & non per aliquid distinctum sunt hæ, & non aliæ; ergo &c. Minor probatur: nam in mea animalitate e. g. non datur duplex ratio distincta ex natura rei, quarum vna sit animalitas, alia sit hęcceitas, per quam constituitur hæc animalitas; nam ratio animalitatis, quę est in me, per se ipsam non est idem cum animalitate, quæ est in Petro; si enim esset idem per se ipsam, per nihil superadditum posset distingui; nam quod per se ipsum est idem cum alio semper remanet idem, quodcumque superaddatur; sed si per se ipsam non est animalitas Petri, per se ipsam est non eadem, ac animalitas Petri, & quęlibet alia animalitas, quod est esse hanc animalitatem hæcceitate saltem incompleta, & imperfecta; ergo animalitas, & omnes rationes per se ipsas sunt hæ, & non aliæ, adeoque identificantur ex natura rei

rei cum aliqua hæcceitate saltem incompleta. Confirmatur: nam in nulla ratione esse solum quod est, & non aliud, est aliquid distinctum, & superadditum; sed esse idem solum secum, & cum nullo alio est quædam hęcceitas saltem incompleta; ergo omnes rationes identificantur ex natura rei cum aliqua hęcceitate, saltem incompleta: et quia omnes rationes in suo *quid est* includunt esse id quod sunt, & non aliud, ideò omnes rationes in suo *quid est* includunt aliquam hęcceitatē incompletam.

Vt probetur secunda pars conclusionis debet prius explicari quid sit hęcceitas completa, quid incompleta. Hæcceitas completa rationis, aut rei est, per quam ita res, aut ratio distinguitur ab omni alia re, vel ratione, vt possit per ipsam ab intellectu nominari nomine proprio, & distingui ab omni alia re, & ratione. Hæcceitas incompleta est, per quam ita res, aut ratio distinguitur ab omni alia re, vel ratione, vt non possit per illam nominari nomine mentali proprio, ac distingui à qualibet alia re, vel ratione conceptibili. Sed quæritur vlterius, quid requiratur ad hæcceitatem, vt per illam res possit, aut non possit nominari nomine proprio, adeoque sit completa, vel non completa. Dico, quod hęcceitas, per quam res ita di-

distinguitur, vt sit omnino similis, non est talis, vt possit per illam res nominari nomine proprio, adeoque est incompleta: è conuersò hęcceitas, per quam res ita distinguitur, vt sit aliqualiter dissimilis, est talis, vt possit per illam res nominari nomine mentali proprio, adeoque est cõpleta. Probatur: nam duæ res non possunt inuicem distingui per duo nomina mentalia, seu duos conceptus omninò similes, e. g. per istos duos conceptus *Petrus*, *Petrus* omninò similes, non possunt duo homines distingui inter se, sed vt distinguantur debent formari conceptus aliqualiter dissimiles, quibus dicatur e.g. *Petrus* A, *Petrus* B; sed conceptus exprimentes perfectè hæcceitates omninò similes sunt omninò similes; ergo res non possunt distingui per conceptus exprimentes perfectè duas hæcceitates omninò similes; ergo multo minus si exprimant imperfectè; si enim conceptus perfecti non distinguunt, nec imperfecti; ergo duæ hęcceitates omninò similes non sunt sufficiens principium distinguendi res, adeoque sunt hęcceitates incompletæ; ergo solæ hęcceitates dissimiles sunt complete.

Hinc iam probatur secunda pars conclusionis, quod in entibus multiplicabilibus in eadem specie debet dari aliqua

vlti-

vltima indiuiduatio distincta ex natura rei. Vnumquodque enim indiuiduum debet esse nominabile nomine mentali proprio, ac distinguibile à quolibet alio; sed si in Petro e. g. non daretur aliqua indiuiduatio superaddita rationibus genericis, & differentialibus, non esset nominabilis tali nomine; ergo &c. Minor probatur: nam rationes genericę, ac specificę constitutiuæ Petri sunt omnino similes rationibus genericis, ac specificis constitutiuis Pauli, & aliorum hominũ; alioquin Petrus, & alij homines essent dissimiles in aliqua ratione generica, ac specifica, & sic non essent omninò similes in specie; sed rationes omninò similes nõ sunt sufficiens principium distinguendi res; ergo si in Petro, & cæteris hominibus non daretur indiuiduatio superaddita, non possent nominari nomine mentali proprio, nec inuicem distingui; quod est contra perfectam intelligibilitatem rei, quę requirit, vt res sit nominabilis nomine proprio; ergo in indiuiduis omnino similibus in specie datur indiuiduatio superaddita, quæ potest vocari proprietas characterifica, de qua in quo consistat explicandum inferius quæst. 40.

Nec dicas, quod ad hoc, vt indiuidua sint distinguibilia, sufficit, quod habeant colle-

collectionem dissimilem accidentium, eo pacto, quo videmus homines esse dissimiles per collectionem accidentium, propter quod Porphyrius definiuit indiuiduum, *quod ex proprietatibus consistit, quarum aggregatum in nullo alio fiet.* Nam contra est, quia vt indiuidua sint perfectè intelligibilia, debent esse nominabilia nomine mentali proprio ipsorum per se, & non solum per accidens, ita vt possit etiam illis non conuenire; sed collectio accidentium conuenit indiuiduis per accidens, & itaut possit non conuenire: potuisset enim Petrus e. g. creari, & non cum aggregato accidentium, quæ nunc habet; ergo non sufficit, quod indiuidua sint nominabilia per talia acccidentia; alioquin non essent nominabilia nomine proprio per se; ergo debet in illis dari aliqua indiuiduatio conueniens ita, vt nō possit non conuenire. Hanc verò indiuiduationem quærimus per quęstionem, *quis est*. Sicut enim per quæstionem *quid est* quærimus definitionem explicantem rationes genericas, & specificas, ita per quęstionem *quis est* quærimus differentiam indiuidualem. Et licet intellectus humanus, qui est vltimus in genere intellectus, non possit indiuidua nominare per indiuiduationem propriam per se competentem, sed solum per indiuiduationem per

accidens competentem, tamen res sunt etiam nominabiles per se. Sicut enim visibilia non solum habent visibilitatem imperfectam, qua videntur à noctuis habentibus imperfectum oculum, sed etiam visibilitatem perfectam, qua videntur ab aquilis habentibus perfectum oculum; sic intelligibilia non solum habent intelligibilitatem, qua nominantur per accidens ab intellectu humano, qui in genere intellectus ita se habet, sicut visus noctuæ in genere visus, sed etiam habent intelligibilitatem, qua sunt nominabilia per se ab intellectu angelico perfecto, ideoque habent indiuiduationem & proprietatem characteristicam per se competentem, ita vt non possit non conuenire. Porrò Deus sicut non potest vnam rem ab alia non distinguere, ita non potest cognoscere præscindendo à proprietate characteristica. Quod enim præscindit, confundit.

Ad 1. Iam allata est necessitas distinguendi rationes genericas, ac differentiales ex eo, quod se mutuò excludant à sua quidditate, ac definitione. Separabilitas igitur non est vnicum argumentũ distinctionis. Ad confirmationem ex eo, quod si rationes genericę, ac differentiales distinguuntur, non est ratio cur mutuò sint inseparabiles: respondeo rationem

inseparabilitatis desumi ex ipsa definitione rationum differentialium. Ratio enim differentialis est determinatio rationis genericæ, quæ per se ipsam non differt, sed est omninò similis, ad hoc vt differat non contingenter, sed necessariò: e. g. rationalitas mea est actualis determinatio meæ animalitatis, quę per se ipsam pręcisè non differt specie ab animalitate equi, sed est omninò illi similis, ad hoc, vt specie differat ab animalitate equi, non contingenter, & ita vt possit non differre, sed necessariò; sed eo ipso, quod est actualis determinatio rei, non potest esse sine re, ideoque est doctrina communis, quod modus non potest esse sine re, quia est actualis determinatio rei: rursus eo ipso, quod est determinatio, qua mea animalitas differt necessario, mea animalitas non potest esse sine rationalitate, alioquin posset per illam non differre, adeoque non differret necessario, sed contingenter; ergo mea animalitas, & mea rationalitas, & vniuersim rationes genericæ, ac differentiales sunt mutuò inseparabiles. Rationes igitur differentiales conueniunt cum modis in hoc, quod sicut modus est actualis determinatio rei, ideoque non potest esse sine re, sic ratio differentialis est actualis determinatio rationis genericæ, ideoque non potest esse sine

ra-

ratione generica: differunt à modo., quod modus est actualis determinatio, qua res constituitur talis contingenter, cum possit non esse talis, ideoque res potest esse sine modo: at ratio differentialis, & indiuidualis est determinatio, qua ratio generica constituitur talis necessario, ideoque ratio generica non potest esse sine ratione differentiali, ac indiuiduali. Ideò modus, & res distinguuntur modaliter cum inseparabilitate non mutua; rationes genericę, differentiales, & indiuiduales distinguuntur solum formaliter ex natura rei cum inseparabilitate mutua, atque identitate reali, vt dictum est quæst. 30.

Ad 2. Omnis sententia media incurrit in aliquas difficultates vtriusque opinionis extremę: si tamen tales difficultates sint solubiles, non ideo est reijcienda sententia media. Nego tamen, quod sententia nostra incurrat in omnes difficultates extremarum. Sunt enim quædam rationes insolubiles ostendentes, quod formalitates, quarum vna includitur in definitione alterius, non distinguuntur ex natura rei; & sunt rationes ostendentes, quod rationes se excludentes mutuò à definitione distinguuntur. Harum rationum difficultates, in quas respectiuè incurrunt sententię extremæ, effugit sentētia media.

Ad 3. Substantia dicitur dupliciter, primario, & secundario. Substantia primariò dicta est *primum ens, quod est per se, & non in alio*. Hoc pacto solæ substantiæ completæ dicuntur substantiæ, cũ solę sint entia prima per se, & non in alio existentia: substantię verò partiales non sunt substantię in hoc sensu, quia non per se existunt, sed in toto substantiali. Substantia secundariò dicta est *constitutiuũ partiale entis primi in suo genere, specie, & indiuiduo*. In hoc sensu partes tum physicæ, vt materia, & forma, & suppositalitas, tum metaphysicę, vt rationes genericæ, differentiales, & vltima indiuiduatio, dicuntur substantiæ. Dum igitur opponitur, quod substantia non distingueretur à rationibus differentialibus substantię, respondeo distinguendo: substantia primariò dicta, quę est primum genus, nego; substantia secundario dicta, concedo. Materialitas, spiritualitas, & alię rationes differentiales substantię non sunt primum ens per se existens ergo distinguuntur à ratione substantię primariò dictæ, licet quia sunt constitutiuę substantię, nõ distinguantur à substantia dicta secundariò. Ideo sola substantia primario dicta est proprium, & vniuocum genus; substantia secundario dicta est genus minus proprium, & analogum, sicut ens, & ac-

ci-

accidens, vt dicetur inferius. Debet autem aduerti, quod ſicut rationalitas non ſolum non eſt animal, ſed nec eſt animalitas, ſic materialitas, ſpiritualitas, & alię differentiæ ſubſtantię non ſolum non ſunt primum ens per ſe, ſed neque ſunt perſeitas, ſeu primum, quo conſtituitur ens per ſe, ſed ſunt differentiæ perſeitatis.

Ad 4. Sicut in demonſtratione peruenitur ad prima principia indemonſtrabilia, ſic in definitione peruenitur ad primas rationes genericas, ac differentiales ſimplices non conſtantes ex alijs rationibus genericis, ac differentialibus, ac proinde non definibiles definitione propria, ſed per ſe ipſas cognoſcibiles quidditatiuè, vt dictum eſt in probatione quartæ concluſionis. Ad confirmationem ex eo, quod in rationalitate dentur duæ rationes, nimirum differentia, & taleitas differentię, diſtinguo: dantur duæ rationes, quarum vna includitur in quidditate alterius, concedo; quarum neutra includitur, nego. Sicut differentiæ entis per ſe ipſas ſunt ens, ſic taleitas differentię per ſe ipſam eſt differentia, ac proinde differentia, & taleitas differentię non ſunt duę rationes diſtinctę ex natura rei.

Ad 5. Plura ex argumentis adductis

probant directè, & primo distinctionem rationum genericarum, & differentialium solum in entibus materialibus. Desumuntur enim ex eo, quod intellectus humanus cognoscit quidditatiuè vt proprium obiectum res materiales. Cum ergo substantiam angelicam intellectus humanus non cognoscat quidditatiuè, sed per rationes abstractas à substantijs materialibus, posset dici, quod substantia angelica non componitur ex rationibus genericis, ac differentialibus distinctis ex natura rei, sed est simplex, continens simpliciter perfectionem rationum, quæ rationes generice, ac differentiales distinguuntur ex natura rei in rebus materialibus, & dantur per compositionem metaphysicam ex actu & potentia. Adhuc tamen censeo, quod etiam in angelis rationes genericæ, ac differentiales distinguantur ex natura rei. Vniuersalis enim ratio distinctionis entium, & formalitatum in creatis est limitatio, vt dictum est in quarta confirmatione quartæ conclusionis; sed etiam angeli sunt limitati; ergo etiam in angelis distinguuntur rationes, & perfectiones. Hinc sequitur, quod solus Deus sit extra genus, angeli sint sub genere, & conueniant cum rebus materialibus in genere substantiæ. Hinc etiam est, vt Deus secundum nullam rationem possit à nobis co-

cognosci quidditatiuè. Omnis enim ratio, quæ est in Deo, cum includat perfectionem omnium aliarum rationum, excedit infinito excessu rationes creatas quidditatiuè cognitas à nobis. At angeli possunt quidditatiuè cognosci secundũ omnes rationes genericas, in quibus conueniunt cũ substantijs materialibus quidditatiuè cognitis, e. g. in ratione substantię. Porrò ordinare in particulari rationes genericas, ac differentiales, ex quibus angeli componuntur, non est huius loci. Solum dico, quod ratio, in qua angeli conueniunt cum rebus materialibus, est *esse primum ens per se, & non in alio existens*; ratio, qua differunt à substantiis materialibus, & ab anima rationali est esse *ens intellectuale sine ministerio sensuum*. Ex quo sequitur, quod neque habent materiam, vt substantię completæ inferiores, neque sunt formę alicuius materię, vt anima rationalis. Ex his rationibus componitur genus proximum, in quo angeli conueniunt inter se, & differunt à substantiis materialibus, & anima rationali, quod est *esse substantiam completam intellectualem sine ministerio sensuum, & materiæ*. Differentię, per quas angeli differunt inter se, desumuntur ex modo intelligendi. Sicut enim animalia irrationalia, hoc est purè sensitiua differũt

per hoc, quod habent diuersos modos sentiendi; canis enim habet modum sentiendi caninum, leo leoninum; sic angeli differunt per hoc, quod habent diuersos modos intelligendi. Porrò sicut claudicatio, quæ est determinatio ad modum ambulandi, non est potentia ambulatiua, sed est determinatio potentię ad taliter ambulandum; sic determinatio ad modũ sentiendi, & intelligendi non sunt sensitiuitas, vel intellectualitas, sed sunt differentię, & determinationes, ac proinde possunt ex natura rei distingui à ratione generica sensitiuitatis, vel intellectualitatis.

Concedo etiam, quod in anima rationali distinguuntur gradus vegetatiui, sensitiui, ac rationalis: at nego quod isti gradus essent tres animę, sed essent vna anima constans ex tribus rationibus. Explicatur exemplo, & doctrina Aristotelis secundo de anima tex.30. & 31. Formæ se habent sicut figurę, quę sunt ita ordinatæ, vt prima, seu infima sit trilatera, secunda sit quadrilatera, tertia quinquelatera, & sic in infinitum. Sicut igitur figura superior continet totum, quod inferior, & aliquid plus, e. g. figura quadrilatera continet tria latera, vt trilatera, & adhuc quartum latus; sic forma superior continet totum, quod inferior, & plus;

& p'us; e. g. forma mixti continet totam perfectionem formę elementaris, & aliquid plus. Patet id expresè in animabus. Anima plantæ est purè vegetatiua, ideoque se habet sicut figura trilatera; anima brutorum non solum est vegetatiua, sed etiam sensitiua, ideoque se habet vt figura quadrilatera, quæ habet tria latera, & præterea quartum; anima rationalis non solum est vegetatiua, & sensitiua, sed etiam rationalis, ideoque se habet vt figura quinquelatera. Iam sicut in figura trilatera aliud est habere tria latera, in quo conuenit cum trilatera, aliud superaddere quartum in quo differt: sic in anima bruti aliud est esse vegetatiuam, in quo conuenit cum plantis, aliud esse sensitiuam, in quo differt. Rursus sicut figura quadrilatera est vnica figura, licet in ea aliud sit habere tria latera, aliud superaddere quartum; sic anima rationalis est vnica anima, licet in ea aliud sit esse vegetatiuam, aliud esse sensitiuam, aliud esse rationalem.

Concedo similiter, quod in anima rationali distinguantur rationes tactiui, visiui, auditiui &c. Sensitiuitas enim alia est imperfecta habens tantum sensum tactus, & gustus, vt in zoophytis affixis scopulis, alia perfecta, & habens etiam alios sensus, & hæc componitur ex plu-

ribus gradibus, vt dictum eſt de figuris. Quia ergo ſenſitiuitas animę rationalis eſt perfecta, dantur in ea omnes gradus ſenſitiui Concedo quod in intellectu, qui eſt virtus cognoſcitiua perfecta, dari poſſunt plures rationes cognoſcitiui, apprehenſiui, &c. dummodo nulla talium rationum includatur in definitione alterius. Iſtæ rationes in rebus pręſertim valde perfectis poſſunt eſſe plurimę, ſed non infinitę. Cum verò cognoſcuntur quidditatiuè omnes rationes, ex quibus res componitur, tunc formatur perfecta cognitio quidditatiua rei, quę eſt perfecta definitio ipſius.

Ad 6. In quo proponũtur varia dubia, reſpondeo reſoluendo dicta dubia. Primũ eſt, quo pacto in rebus compoſitis ex materia, & forma rationes genericæ, ac differentiales identificentur partialiter cum materia, & forma; e. g. quo pacto in homine, qui eſt compoſitus ex anima, & corpore, animalitas, & rationalitas identificentur cum anima, & corpore. Dico quod animalitas dicit materiam, & gradum formę, qui eſt ſenſitiuitas; rationalitas dicit materiam, & gradum formę, quo anima cõſtituitur rationalis, idemq; dic proportionaliter de cæteris.

Secundum eſt, an materia prima conſtet ex genere, & differentia diſtinctis

cx

ex natura rei. Quo ad hoc certum videtur non tot rationes esse in materia, quot in forma. E.g. in anima rationali datur ratio vegetatiui, sensitiui, rationalis &c: at in materia prima non dantur totidem rationes, per quarum vnam possit esse vegetatiua, per aliam sensitiua, &c. Ratio est, quia materia est potentia potens recipere formam in genere, & gradus essendi, quos tribuit, non determinando formas, nec gradus formarum; ergo sicut per vnicam potentiam physicam respicit omnes formas physicas, vt dicetur in physicis, sic à fortiori omnes gradus formarum; ergo in ea non distinguuntur tot gradus, quot in formis. Secundo probabile est, quod in materia distinguatur ratio generica, & differentialis, ita vt ratio generica, in qua conuenit cum formis, sit esse *substantiam partialem*; ratio differentialis sit *esse potentiam ad essendum omnia corpora saltem sublunaria*.

Tertium dubium est, an omnes rationes componentes vnicam essentiam existant per vnicam, vel per plures existentias. Respondeo quod per vnicam. Probatur primo specialiter de rationibus cōponentibus essentiam substantialem. Nam si haberent diuersa esse, solum primum genus esset substantiale, differentię vero omnes essent accidentales. Patet: nam

accidentale est, quod dat esse receptum in alio esse; sed omnes differentiæ darent primo generi esse receptum in esse primi generis; ergo omnes differentiæ essent accidentales. Secundo probatur vniuersaliter: nam ens,quod est vnum solum per hoc, quod vnum esse recipiatur in alio esse, est vnum per accidens, & per aggregationem esse ad esse; ideo homo albus est vnum per accidens, quia constituitur per hoc, quod esse albi addatur esse hominis; sed omnes essentię constituerentur per hoc, quod esse rationis differentialis adderetur esse rationis genericæ; ergo omnes essentiæ essent vnum solum per accidens; ergo vt sint vnum per se, debent rationes genericę, ac differentiales habere vnicum esse.

Ad 7. & 8. Patet ex resolutione quæstionis, in qua ostensum est in Deo nullas rationes distingui, & explicatum,quo pacto in creaturis indiuiduatio distinguatur ab aliis rationibus.

Ad 9. Vt soluatur argumentum ponendæ sunt quędam propositiones. Prima est: triplici modo dicuntur res specie differre. Primo in quantum constituuntur diuersis differentiis specificis: hoc pacto specie differunt homo, & equus. Secundo in quantum sunt ipsę diuersę differentię specificę: hoc pacto specie dif-

differunt hinnibilitas, & rationalitas; si enim sunt prędicata simplicia non constituuntur diuersis differentijs, sed solum sunt diuersę differentię. Tertio in quantum sunt rationes genericę secundum se omninò similes, sed contractæ diuersis differentijs specificis: hoc pacto specie differunt animalitas hominis, & equi; sunt enim secundum se omnino similes, sed animalitas hominis contrahitur rationalitate, animalitas equi hinnibilitate, quæ sunt differentię specificę diuersę. Secunda propositio est: aliud est, quod quædam rationes specie differant, & sint dissimiles; aliud quod specie differant, & sint dissimiles pręcisè per se ipsas. Animalitas hominis, & equi e. g. specie differunt, & sunt dissimiles, sed non per se ipsas præcisè, sed per se ipsas sunt omnino similes, & constituuntur dissimiles differentijs additis rationalitatis, & hinnibilitatis. Tertia propositio continet descriptionem rationis genericę, & differentialis vniuocę. Ratio generica vniuoca est ratio secundum se omnino similis aliquibus aliis rationibus, ordinata ad hoç, vt à quibusdam illarum specie differat per differentiam adiunctam. Ratio differentialis est determinatio rationis genericę ad hoc, vt specie differat à quibusdam aliis rationibus, quibus secundum

ſe prçcisè eſt omnino ſimilis. Animalitates hominis, & equi ſunt rationes genericæ; ſunt enim ſecundum ſe præcisè omnino ſimiles, & ordinantur ad hoc, vt per rationalitatem, & hinnibilitatem ſpecie differant. At rationalitas, & hinnibilitas ſunt rationes differentiales, quia ſunt determinationes ad hoc, vt animalitates ſecundum ſe omnino ſimiles conſtituantur diſſimiles, ac ſpecie differentes.

Hinc ad argumentum concedo, quod animalitas hominis, & equi, & vniuerſim rationes genericæ per ſe ipſas prçcisè sũt omnino ſimiles, licet ſint diſſimiles, & ſpecie differentes per differentias adiunctas iuxta ſecundam propoſitionem. Dum opponitur: animalitas hominis eſt inſeparabilis à rationalitate; animalitas equi eſt inconiungibilis; ergo ſpecie differunt; diſtinguò antecedens: animalitas hominis eſt inſeparabilis à rationalitate per ſe ipſam prçcisè, nego; per rationalitatem adiunctam, concedo; & diſtinguo conſequens; ergo differunt ſpecie per ſe ipſas prçcisè, nego; per differentias adiunctas, concedo. Animalitatem hominis eſſe inſeparabilem à rationalitate eſt eſſe neceſſariò rationalem. At ſicut non per ſe ipſam eſt rationalis, ſed per rationalitatem, ita non per ſe ipſam eſt neceſſariò rationalis, ſed per rationalitatem, quę eſt determina-

natio animalitatis ad hoc, vt sit necessario rationalis. Si vero quæratur, cur animalitas hominis non sit per se ipsam rationalis, respondeo ex descriptione rationis genericę posita in tertia propositione, quod ratio generica est ratio per se ipsam omnino similis aliis rationibus, ordinata ad hoc, vt ab iis specie differat per differentiam adiunctam; sed animalitas hominis est ratio generica; ergo ordinatur ad hoc, vt specie differat ab animalitate equi per differentiam adiunctã; sed differt per hoc, quod est necessariò rationalis, cum animalitas equi sit necessario irrationalis; ergo animalitas hominis est necessario rationalis, animalitas equi est necessario irrationalis per differentias adiunctas, & non per se ipsas pręcisè. Si verò opponatur: animalitas hominis per se ipsam non est rationalis; ergo per se ipsam est irrationalis: nego cõsequentiam. Ex eo enim, quod non idẽtificetur cum rationalitate, non sequitur, quod identificetur cum irrationalitate: ly vero *per se ipsam* significat identitatem. Eodem pacto dico, quod sensitiuitas animæ rationalis est immortalis, incorruptibilis, ac spiritualis, sed per se ipsam præcisè non habet vllam ex dictis denominationibus, hoc est non est idem cum hoc, quod est esse immortalem, incor-

ruptibilem & spiritualem, sed est hæc omnia per differentiam rationalitatis adiunctam. Illa enim ratio, in qua conueniunt vniuocè formæ mortales, & immortales, per se ipsam præcisè nec est mortalis, nec immortalis; sed in ratione sensitiuitatis conueniunt vniuocè animæ brutorum mortales, & anima hominis immortalis ergo sensitiuitas per se ipsam pręcisè nec est mortalis, nec immortalis. Nec opponant impossibile esse, vt aliqua ratio constituatur immortalis per aliquid superadditum. Hæc enim propositio est manifestè falsa. Nam corpora beatorum, quę naturaliter exigunt mortalitatem, constituuntur immortalia, & incorruptibilia per qualitatem superadditam, non solum metaphysicè, sed physicè distinctã; ergo possunt à fortiori rationes genericæ per differentias distinctas solum metaphysicè constitui immortales, & incorruptibiles. Confirmatur ex Sancto Thoma prima parte quęst. 76. artic. 3. ad primũ *Anima sensitiua hominis non habet incorruptibilitatem ex hoc, quod est sensitiua, sed ex hoc, quod est intellectiua ei incorruptibilitas debetur. Licet enim sensitiuum incorruptionem non det, tamen incorruptionem intellectiuo auferre non potest.*

Vrgent, quia sensitiuitas animæ rationalis per se ipsam exigit rationalitatem, est

est capax recipiendi rationalitatē, est perfectibilis per rationalitatē tanquā per naturale perfectiuū, à quo reddatur incorruptibilis; sed animalitas equi per se ipsā non habet hæc prædicata, sed omnino opposita; ergo animalitas hominis & equi per se ipsas precisè sunt dissimiles, & differentes

Respondeo distinguendo maiorem. sensitiuitas animę rationalis per se ipsam exigit rationalitatem, est capax, & perfectibilis exigentia, capacitate, & perfectibilitate non determinante, sed determinabili, concedo; exigentia, & capacitate determinante, nego; & distinguo minorem; animalitas equi non habet hęc prędicata, ita vt habeat omnino similia, concedo; ita ut nō habeat omnino similia, nego; & nego consequentiam. Duplex est exigentia, capacitas, & perfectibilitas; prima determinans, secunda determinabilis. Determinans competit formæ, ac differentiis respectu suarum proprietatum; e. g. forma ignis exigit proprietatem caloris, & rationalitas proprietatem risibilitatis exigentia determinante rationem specificam caloris, & risibilitatis; & similiter forma ignis est capax, & perfectibilis per calorem, vt calor est, ita vt talis capacitas, & perfectibilitas determinet rationem caloris. Exigentia, capacitas, & perfectibilitas pu-

purè determinabilis competit materiæ respectu formarum, & rationibus genericis respectu differentialium. Materia enim prima exigit, & est perfectibilis per formam hominis, leonis, &c, sed ita, vt perfectibilitas, & exigentia materiæ determinet solum formam perfectiuam materiæ, non verò speciem talis formæ, vt dicetur quæst. 8. physicę. Proportionaliter ratio generica, e. g. sensitiuitas animę rationalis exigit quidem rationalitatem, est capax, & perfectibilis rationalitate exigentia, & capacitate purè determinabili. Sensitiuitas enim animæ rationalis exigit differentiam, qua necessario differat ab aliis sensitiuitatibus, quibus secundum se prȩcisè est omnino similis, non exprimendo, quod talis differentia est rationalitas; sed sola rationalitas est differentia determinans talem sensitiuitatem ad hoc, vt differat ab aliis; ȩrgo exigit rationalitatem, & est capax, ac perfectibilis per illam, exigentia, capacitatè, & perfectibilitate purè determinabili, cui est omninò similis exigentia sensitiuitatis animæ equinę; nam etiam illa est exigentia, & capacitas differentię, qua differat ab aliis sensitiuitatibus omnino similibus. Si verò quæratur, cur rationibus genericis competat exigentia, capacitas, & perfectibilitas purè determinabi-
nabi-

nabilis? Respondeo rationem esse quia sunt rationes ordinatę ad hoc, vt cum secundum se sint omnino similes, differant, ac sint dissimiles per differentias adiunctas: si vero exigerent exigentia determinante iam per tales exigentias essent dissimiles ante differentias adiunctas, adeoque non essent rationes genericæ. Confirmatur, quia aliud est exigere differentiam, qua res differat, aliud exigere quia differt; ratio generica exigit differentiam, qua primo differat; forma exigit proprietates, quia iam differt; ergo ratio generica debet exigere differentias exigentia purè determinabili, & non determinante.

Vrgent: est per se notum hoc principium: duæ differentiæ specie diuersę, cuiusmodi sunt rationalitas, & rugibilitas, non possunt respicere vt naturale perfectibile duas animalitates secundum se precisè omnino similes; talis enim respectus esset omnino irrationabilis, ideoque Aristoteles docet, quod perfectiuum, & perfectibile debent sibi mutuo respondere; ergo ea, quę sunt perfectiua solum perfectibilium specie diuersorum, specie differunt; & quę sunt perfectibilia perfectiuis solum specie diuersis specie differunt; sed animalitas hominis, & equi sunt perfectibiles solum differentiis spe-

cie

cie diuersis; ergo secundum se præcisè specie differunt. Respondeo potius esse per se notum principium oppositum: duæ differentię specie diuersę debent respicere vt naturale perfectiuum rationes genericas omnino similes. Probatur, quia illud est per se notum, quod sequitur ex descriptione explicante quid sit res; sed ex descriptione explicante quid sit differentia, sequitur, quod diuersę differentiæ debent respicere rationes genericas secundum se omnino similes; ergo, &c Probatur minor: differentia enim est ratio, per quam primo differunt quæ secundum se prçcisè sunt omnino similia; ergo differentię respiciunt rationes genericas, omnino similes. Confirmatur, nam sicut quia motus est actus, quo mobile mouetur, respicit mobile, quod antecedenter ad motum non mouetur, ita quia ratio differentialis est actus, quo res differt, respicit rationem, quę antecedenter non differt. Hinc patet rationabilissimum esse appetitum, quo differentia exigit perfectibile antecedenter non differens. Appetitus enim, qui est iuxta naturam rei, est maximè rationalis; sed iuxta naturã differentię, qua res constituantur primò differentes, est, vt respiciat rationes antecedenter non differentes, ergo, &c. Aequiuocatio oritur ex eo, quod confundan-

tur appetitus, quo res respicit aliquid, quia est tale, & quo respicit, vt sit tale; primus enim appetit rem, vt iam talem, secundus è conuerso, & vterque est rationabilis. Perfectibile, & perfectiuum sibi mutuo respondent; sed tum respondent, cum perfectibile est quale exigit perfectiuum. Perfectiuum verò ordinatum ad dandam rationi perfectionem, qua primo differat specie ab aliis omninò similibus, exigit perfectibile omninò simile, & è conuersò.

Eodem pacto soluuntur argumenta, quibus impugnant proprietatem characteristicam. Cum enim proprietas characteristica sit differentia, qua res omninò similes secundum speciem constituuntur indiuidualiter dissimiles, ac differentes, exigitur exigentia purè determinabili, & per hoc differt ab aliis proprietatibus, quæ rebus competunt non vt primo differant, sed quia iam differunt.

Ad 10. Ex eo, quod sententia allata sit contra omnes scholasticos, respondeo certum esse, quod Thomistæ & Scotistæ, quos sequitur Fonseca 5. metaphys. aliique ex nostris contra Nominales conueniunt in admittenda aliqua distinctione ex parte obiecti inter rationes metaphysicas, licet differant in modo nominandi, & explicandi talem distinctionem; ergo

hęc

hæc ſententia quoad rem ipſam fortaſſe plures habet ſectatores, quam oppoſita. Eſt quidem verum quod auctores admittunt diſtinctionem cum reali identitate: ſed hanc etiam ego concedo, vt dictum eſt quæſt. 30. Nec dicas inſeparabilitatem non ſufficere ad identitatem realem: nego enim de inſeparabilitate rationum cõſtituentium vnicam eſſentiam. Potentię igitur animæ licet inſeparabiles non ſunt realiter idem cum anima, quia cum ſint accidentales, non conſtituunt vnam eſſentiam cum ſubſtantia animę; ex accidentibus enim & ſubſtantia non poteſt conſtitui vna eſſentia. Ariſtotelem, & Sanctum Thomam puto ſtare pro nobis. Licet enim dicant prædicata non diſtingui re, ſed ratione, tamen ſenſus eſt, quod diſtinguantur ratione obiectiua ſufficiente ad contradictoria intrinſeca ſine reali diſtinctione, quod etiam nos dicimus. Quod verò inter ea, quę ſunt idem realiter, ponant diſtinctionem rationis ſufficientem ad contradictoria intrinſeca, patet ex Sancto Thoma prima par. quæſt. 28. art. 3. ad primum, vbi ex Ariſtotele 3. Phyſ. t. 21. docet principium illud, *quę ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, intelligi de iis, quæ ſunt idem re, & ratione, ſicut tunica, & veſtimentum; at poſſe ea, quæ ſunt ita idem vni tertio re,

vt

vt distinguantur ratione, distingui inter se, ideoque docet Aristoteles loco allegato, quod actio, & passio, licet sint idem cum motu realiter, tamen quia distinguũtur ratione, distinguuntur inter se; sed eo ipso, quod duo, quę sunt idem cum tertio, distinguuntur inter se, recipiunt prædicata contradictoria intrinseca à tertio, cum quo identificantur; tertium enim non distinguitur, ipsa distinguuntur ab eo, à quo tertium non distinguitur; ergo Aristoteles, & Sanctus Thomas inter ea, quæ sunt realiter idem, concedunt distinctionem rationis obiectiuæ, hoc est sufficientem ad intrinseca contradictoria. Confirmatur, nam Sanctus Thomas prima parte quęst. 3. art. 5. docet Deum non esse in genere, *quia semper id, à quo sumitur differentia, se habet ad id vnde sumitur genus, sicut actus ad potentiam; vnde cum in Deo non adiungatur potentia actui, impossibile est quod sit in genere*; sed hęc ratio nihil valeret, nisi ex parte obiecti id, vnde sumitur genus, se haberet ad id, vnde sumitur differentia, sicut potentia ad actum; ergo supponit, quod ex parte obiecti ratio generica se habeat ad rationem differentialem, sicut potentia ad actum. Art. deinde septimo eiusdem quæstionis concludit Deũ esse omnino simplicem per hæc verba. *Cum enim in Deo non sit compositio, neque*

que quantitatiuarum partium, quia corpus non est; neque compositio formæ, & materiæ, neque in eo sit aliud natura, & suppositum, neque aliud essentia, & esse, neque in eo sit compositio generis, & differentiæ, neque subiecti, & accidentis, manifestum est, quod nullo modo compositus est, sed est omnino simplex. Aliæ compositiones, quas excludit, sunt ex parte obiecti; ergo etiã cõpositio ex genere, & differentia est ex parte obiecti; præsertim cum nihil spectaret ad probandam diuinam simplicitatem, quod Deus ratione merè extrinseca non sit compositus ex genere, & differentia. Hinc patet, quod cum locis allegatis Sanctus Thomas dicit genus, & differentiam distingui non re, sed ratione, & per considerationem nostram, loquitur de distinctione rationis obiectiuę, quæ sola repugnat diuinę simplicitati. Locus adductus Aristotelis ex primo Posteriorum non concludit. Solum enim afferit, quod qui cognoscit, quod *omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis*, cognoscit aliqualiter id etiam de hoc triangulo, quod etiam ego concedo; at non negat, quod differentiæ triangulorum addant aliquid distinctum ratione obiectiua à ratione generica trianguli, quod solum ego affirmo.

Sed omnium clarissimè sententiam nostram

ſtram docet Sanctus Bernardus ſerm. 80. in cantica, vbi probans magnitudinem animæ rationalis, hoc eſt capacitatem æternorum diſtingui ab anima, licet ſit inſeparabilis, ſic arguit. *Nulla forma eſt id, cuius eſt forma; eſt autem magnitudo forma animæ; nec enim ideò non forma, quia inſeparabilis eſt illi, hoc ſiquidem ſunt ſubſtantiales differentiæ omnes; hæc non modo propriè propria, ſed etiam propria quædam; non igitur ſua magnitudo anima; non magis quam ſua nigredo coruus, quam ſuus candor nix, quam ſua riſibilitas, ſeu rationalitas homo, &c.* & paulo poſt, *ſola ſumma, & increata natura hanc ſibi vindicat meram, ſingularemque ſuæ exiſtentiæ ſimplicitatem, vt non aliud, & aliud, non alibi quoque & alibi, ſed ne modo quidem, & modo inueniatur in ea. Nempe in ſemet manens quod habet eſt,* &c. Quid poterat expreſſius dici pro mea ſententia, in qua aſſero gradus creatos diſtingui cum omnimoda inſeparabilitate, in Deo omnia eſſe idem.



Vtrum

Vtrum intellectus faciat vniuersale per abstractionem. Quæstio XXXIII.

VIdetur quod intellectus nullo pacto possit facere vniuersale 1. quia nihil potest dare alteri, quod non habet in se; sed intellectus humanus non habet in se vniuersalitatem, sed singularitatem; ergo non potest dare naturæ vniuersalitatem, qua faciat naturam vniuersalem.

2. Intellectus humanus accipit cognitionem à sensibus, e. g. accipit cognitionem colorum à sensu visus, ideoque cœcus à natiuitate non potest habere cognitionem colorum, vt Aristoteles docet 1. post. tex. 33.; sed sensus non cognoscunt vniuersale, sed singulare; ergo intellectus non potest cognoscere vniuersale, sicut cœcus natus non potest cognoscere colores; ergo neque potest facere vniuersale.

3. Si Intellectus faceret vniuersale, faceret cognoscendo; sed non potest facere vniuersale cognoscendo; ergo non potest facere vniuersale. Probatur minor: intellectus enim cognoscendo non potest immutare naturas rerum, e. g si pomum

sit

sit acerbum, quomodocumque intellectus illud cognoscat, numquam reddet dulce, vel non acerbum; sed naturæ à parte rei non sunt vniuersales, sed singulares, vt dictum est quæst. 28; ergo intellectus non potest cognoscendo naturas facere vniuersales.

Neque dicas, quod intellectus per cognitionem confusam, qua cognoscit naturam sine singularitatibus, abstrahit naturam à singularitatibus, quibus multiplicatur, & diuiditur, & sic naturam reddit indiuisam, & vnam; nam vnitas, & vniuersalitas non minus debent esse intrinsecę rebus, quæ denominantur vniuersales, & vnæ, quam albedo, vel dulcedo debeant esse intrinsecæ rebus, quæ denominantur albæ, vel dulces; ergo ex eadem ratione, ex qua res non possunt verè fieri albæ, vel dulces per cognitionem extrinsecam intellectus, non possunt naturę verè fieri vniuersales per cognitionem extrinsecam intellectus.

4. Si intellectus deberet facere vniuersale, maximè propter scientias, quæ debent speculari non singularia, sed vniuersalia; sed scientię debent speculari naturas rerum prout sunt; ergo si res à parte rei sunt singulares, intellectus non debet illas per suam cognitionem facere vniuersales. Et confirmatur, quia ad scientias

non requiritur cognitio fingens, cum omnis fictio sit contra veritatem, quam vnicè quærunt scientiæ; sed per cognitionem facientem vniuersale intellectus fingeret; ergo ad scientias non requiritur cognitio faciens vniuersale.

5. Si intellectus faceret vniuersale, vel faceret per operationem intellectus agentis, vel per operationem intellectus possibilis; vel per cognitionem absolutam, vel per comparatiuam; vel per directam, vel per reflexam; non potest explicari quo ex dictis modis faciat vniuersale; ergo intellectus non potest facere vniuersale.

Respondeo duo axiomata esse communiter recepta. Primum est *modus operandi sequitur modum essendi*. Secundum *modus cognoscendi sequitur modum essendi*. Ratio primi axiomatis est, quia vnaquæque res habet modum operandi conformem suæ naturę, & illi debitè proportionatum, ideoque ex propria operatione cognoscitur, ac demonstratur natura rei; e. g quia homo habet naturam rationalem, habet etiam modum operādi rationalem, & ex modo operandi rationali, quem habet homo, cognoscitur hominis natura rationalis. Ex primo axiomate probatur manifestè secundum. Cognitio enim est propria operatio naturæ cognoscitiuę; sed

ex

ex primo axiomatè modus operandi ſequitur modum eſſendi; ergo in natura cognoſcitiua modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi. Hinc eſt, vt vnica via demonſtrandi à poſteriori, ſeu per effectum quales ſint eſſentię rerum, deſumenda ſit ex operationibus, quæ ſunt effectus rerum; vnica via demonſtrandi à priori, ſeu per cauſam, quales ſint operationes rerum, deſumenda ſit ex eſſentiis, quæ ſunt cauſæ operationum; & ad penetrandas tum eſſentias rerum, tum earum operationes ſit vnicè neceſſarium conſiderare mutuam earum proportionē. Vt igitur in pręſentia explicemus modū cognoſcendi, quo natura intellectiua cognoſcit, ac facit vniuerſale, debemus explicare mutuam proportionem inter modum eſſendi, & modum operandi, ac cognoſcendi naturæ cognoſcitiuæ.

Triplex eſt forma, & natura cognoſcitiua. Prima eſt, quæ eſt omninò alligata materię corporeę, ac ſenſibili, & accidentibus materiæ, quę sunt locus, tempus, figura, & alia huiuſmodi, quæ vocantur accidentia indiuiduantia: e. g. anima equi ita eſt alligata materiæ, ſeu corpori equino, vt omninò dependeat à tali corpore, & eius accidentibus, nec poſſit eſſe extra corpus ſine figura, ſine loco, & tempore materię, & ſine aliis

accidentibus conseruantibus; & idem dic de animabus omnium brutorum. Tales formæ sicut habent modum essendi alligatum materiæ, & accidentibus indiuidualibus loci, temporis &c. ita habent modum cognoscendi alligatum materiæ, & accidentibus indiuiduantibus: e. g. sicut anima equi non potest esse nisi in materia, & corpore, & cum dependentia à loco, & tempore, in quo est, ita non potest quidquam cognoscere, nisi prout existens in aliqua materia, & corpore, in aliquo loco, & tempore; & quia quod cognoscitur vt existens in aliqua materia, in aliquo loco, & tempore, cognoscitur vt materiale, & singulare, ideò equus, & omnia bruta animalia non possunt quidquam cognoscere, nisi vt materiale, & singulare; & quia natura, quę non potest quidquam cognoscere, nisi vt materiale, & singulare, est sensitiua tantum, ideò omnia bruta animalia sunt sensitiua tantum, nec participant vllo pacto naturam intellectiuam.

Secunda forma, & natura cognoscitiua est, quæ ità est, vel potest esse in materia corporea, & sensibili, vt non sit alligata tali materię, nec ab ea, vel ipsius accidentibus indiuidualibus in essendo depēdens. Talis est anima rationalis hominis. Ita enim est in corpore materiali, ac sensibi-

sibili, vt non dependeat à corpore, & eius accidentibus, sed possit existere extra corpus, sine figura, & sine omnibus accidentibus materiæ, sicut de facto post mortem hominis corrupto corpore, remanet anima rationalis separata à corpore, & à loco, ac tempore corporeo, & materiali. Hæc forma sicut est in materia sensibili, & accidentibus indiuiduantibus affecta, sed non dependet in essendo à materia sensibili, & eius accidentibus indiuidualibus, sic potest per sensum cognoscere res vt existentes in materia sensibili, & accidentibus indiuidualibus affecta, sed non dependet in cognoscendo à tali materia, sed potest etiam cognoscere res, vt non existentes in materia sensibili, & affecta accidentibus indiuidualibus. Et quia cognoscere res vt existentes in materia sensibili est cognoscere vt singulares; cognoscere res abstrahendo à materia sensibili, & ab accidentibus indiuidualibus est cognoscere vt vniuersales; ideò anima rationalis potest cognoscere res tum vt singulares, tum vt vniuersales. Quia rursus posse cognoscere res in vniuersali, & abstrahendo à materia sensibili indiuiduali est habere potentiam intellectiuam, ideò anima rationalis non solum habet naturam sensitiuam, in quantum potest per sensus cognoscere res vt existentes in mate-

ria indiuiduali, sed etiam habet naturam intellectiuam, in quantum potest cognoscere res in vniuersali, & abstrahendo à materia sensibili, & indiuiduali.

Tertia forma, & natura cognoscitiua est, quę non solum non est alligata, ac dependens à materia, sed est ita perfecta, & completa per se ipsam, vt non posit esse in materia, nec possit ab illa recipere vllum complementum essendi. Tales formæ sunt Angeli, qui à philosophis vocantur Intelligentię. In hoc enim Angeli differunt ab anima rationali, quod quia anima rationalis est forma imperfecta, & incompleta, indiget corpore, & materia, vt ab ipsa accipiat complementum essendi, & cognoscendi: at Angeli sunt formę completæ, & perfectæ, ideoque non possunt esse in vlla materia, vel corpore, nec accipere aliquod complementum materiale. Hę formæ sicut nullo pacto dependent à materia in essendo, nec per materiam complentur quo ad esse, sic nullo pacto dependent in cognoscendo, ideoque non accipiunt cognitionē à sensu, sicut anima rationalis, sed sine adiutorio sensuum cognoscunt immediatè naturas rerum.

Hinc primo patet, cur intellectus humanus cognoscat, & faciat vniuersale. Ratio est, quia sicut non dependet in

essen-

essendo à materia indiuiduali, sic non dependet in cognoscendo, vt explicatum est.

Patet secundo, quo pacto cognoscat, & faciat vniuersale. Possumus loqui de duplici vniuersali, specifico, & generico. Vniuersale specificum facit cognoscendo res omninò similes in essentia, & abstrahendo à materia affecta accidentibus indiuidualibus; e. g. omnes homines sunt omninò similes in natura, & essentia, ac solum sunt dissimiles in accidentibus, quæ exprimuntur hoc versu:

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tẽpus; sed intellectus noster cognoscens res omninò similes abstrahendo ab omni dissimilitudine, eo ipso confundit, atque illas constituit vnum obiectum, nec potest inter se distinguere, vt dictum est quæst. 32. in probatione conclusionis quintę; ergo intellectus eo ipso quod cognoscit omnino similia, & abstrahit ab omnibus accidentibus indiuidualibus dissimilibus, facit vniuersale; e. g. eo ipso quod cognoscit hominem, abstrahendo ab omni eo, per quod vnus homo est dissimilis alteri, facit vniuersale hominis; & quia accidentia indiuidualia dissimilia conuenientia rebus eiusdem speciei distinguuntur ab ipsis à parte rei; ideo intellectus facit vniuersale specificum, abstrahendo, & prę-

ſcindendo obiectiuè ab accidentibus indiuidualibus diſſimilibus, & confundendo ſingularitates identificatas, & omninò ſimiles. Vniuerſale genericum facit abſtrahendo rationem genericam à differentiis ſpecificis, vel ex parte obiecti, ſi rationes genericę diſtinguuntur ex natura rei, aut virtualiter intrinſecè à differentiis, vel per ſolam confuſionem ex parte conceptus, e. g. intellectus facit vniuerſale animalis abſtrahendo rationem animalis à differentiis rationalis, & irrationalis, vt explicatum eſt.

Ad 1. Concedo maiorem, & diſtinguo minorem; intellectus non habet vniuerſalitatem in eſſendo, concedo minorem; non habet vniuerſalitatem in cognoſcendo, & repręſentando, nego minorem; & diſtinguo conſequens; ergo non poteſt dare naturę vniuerſalitatem conſiſtentem in hoc, vt confusè repræſentetur cognitione vniuerſali in repræſentando, nego conſequentiam; non poteſt dare naturę aliam vniuerſalitatem, concedo conſequētiam. Intellectus non eſt vniuerſalis in eſſendo, cum ſit hic numero intellectus, ſed eſt vniuerſalis in repręſentando, quia eſt vnus potens repræsentare multa, & etiam omnia vnica cognitione non diſtinguente illa inter ſe; ergo poteſt naturę tribuere vniuerſalitatem conſiſtentem

in

in hoc, vt cum sic multiplex repręsentet vnica cognitione non distinguente vnum indiuiduum ab alio. Si verò quæratur vlterius, cur intellectus, cum sit singularis, & vnus, potest formare cognitionem, quę sit plurium, immo & omnium? Respondeo rationem esse, quia natura intellectiua consistit in hoc, vt cum sit vna, & simplex, sit quodammodo plura, immo & omnia, in quantum continet in se perfectionem omnium rerum, ideoque tertio de anima tex. 27. dicit Aristoteles, quod anima intellectiua est quodammodo omnia, sed modus operandi, & cognoscendi sequitur, & proportionatur modo essēdi; ergo intellectio, quæ est propria operatio naturę intellectiuę, cum sit vnica, est quodammodo plura, & etiam omnia, in quantum plura, & omnia cognoscit, adeoque est vniuersalis in repræsentando. Hinc reiicitur error Auerrois, qui ex eo, quod intellectus faciat vniuersale, intulit quod est vniuersalis, adeoque quod intellectus est vnicus in omnibus hominibus. Ex eo enim, quod intellectus faciat vniuersale, sequitur quod sit vniuersalis non in essendo, sed in repræsentando: et ex eo, quod sit vniuersalis in repræsentando non sequitur, quod sit vnus tantum in omnibus hominibus, vt putauit Auerroes, sed quod ita sit vnus, vt sit quodammodo

omnia per quamdam virtualem continentiam perfectionis, vt docuit Aristoteles, & ex eo sanctus Thomas, tum in commentario tex. allegati, tum prima parte q.14: art. 1. & alibi.

Ad 2. Distinguo maiorem: intellectus humanus accipit cognitionem à sensu inchoatiuè, concedo maiorem; perfectiuè, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Anima rationalis supponit corpus tanquam materiam, sed est multò perfectior corpore, & à corpore independens in essendo, vt dictum est in resolutione quæstionis; sed modus operãdi, & cognoscendi proportionatur modo essendi; ergo connaturalis modus cognoscendi animę rationalis est, vt incipiat à cognitione materiali sensus, qua cognoscit obiectum cum dependentia à materia, & ab accidentibus indiuidualibus, sed superaddat cognitionem proportionatam ipsi animę, qua cognoscat idem obiectum sine dependentia à materia, & ab accidentibus indiuidualibus; sed talis cognitio cognoscit, ac facit vniuersale; ergo connaturale animę est, vt à cognitione singularium accepta per sensus progrediatur ad cognitionem vniuersalis tanto perfectiorem cognitione sensitiua singularium, quantò intellectus est perfectior sensu. Cœcus igitur à natiuitate non po-

potest habere cognitionem colorum, quia intellectus debet inchoare cognitionem propriam sensibilium à sensu; ergo si deficit sensus colorum, non potest inchoare, atque adeò nec perficere cognitionē propriam colorum. At licet sensus non cognoscat vniuersale, sed solum singulare, possumus peruenire ad cognitionem propriam vniuersalium. Ratio est, quia sensus non requiritur vt perficiat, sed vt incipiat cognitionem vniuersalium; ergo dummodo sensus cognoscat singularia, potest intellectus abstrahendo ab accidentibus indiuidualibus perficere cognitionem vniuersalem.

Ad 3. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem concedo, quod intellectus cognoscendo non immutat naturas rerum, sed dico, quod ad hoc, vt faciat naturas vniuersales, non requiritur, vt immutet intrinsecè naturas rerum, sed sufficit, vt naturas cognoscat cognitione vniuersali in repręsentando, vt explicatum est in responsione ad primum. Dum opponitur, quod vnitas, & vniuersalitas debent esse forma intrinseca naturę, respondeo falsum id esse, si loquamur de vniuersalitate requisita ad scientiam, de qua sola loqui debemus, cum tota hęc quęstio sit de vniuersali scientifico. Ratio est, quia scientiæ debent facere naturas

vniuersales non ideò vt perficiant, vel immutent ipsas naturas, sed vt sciens habeat cognitionem scientificam de naturis; sed per hoc ipsum, quod sciens cognoscat totam naturam, & omnia singularia licet infinita vnica cognitione abstrahente à materia, & ab accidentibus indiuidualibus, habet cognitionem scientificam de natura; ergo vniuersalitas requisita ad scientias non debet esse intrinseca naturæ, sed habetur per solum modũ cognoscendi. E conuersò quod mel sit dulce, vel amarum non spectat ad perfectionem cognoscentis, sed ad perfectionẽ mellis; ergo mel non potest fieri dulce, vel amarum per solam cognitionem, sed requiritur intrinseca mutatio ipsius mellis. Idem dic ad alias paritates similes, quæ possunt afferri.

Ad 4. Concedo maiorem, & distinguo minorem; scientię debent speculari res prout sunt, si sensus sit, quod debent de rebus affirmare tantum quæ conueniunt rebus, concedo minorem; si sensus sit, quod speculatio scientiæ debet esse ita materialis, & crassa, sicut res, nego minorem; & nego consequentiam. Est quidem verum, quod scientiæ non debent de rebus affirmare quæ non conueniunt rebus; e.g. quia equus non est rationalis, non debet scientia affirmare de equo, quod sit

sit rationalis, alioquin erraret. At speculatio scientiæ non debet esse ita materialis, & crassa sicut res, e. g. speculatio de asino non debet esse materialis, & crassa sicut ipse asinus, immò debet esse immaterialis, & subtilis, & quo cognitio est immaterialior, eo est perfectior, ideoque dicitur, quod cognitio perficitur per recessum à materialitate. Iam materialitas prȩsertim consistit in quadam compositione, per quam res continet plures partes distinctas; immaterialitas è conuersò consistit in quadam simplicitate, per quam res cum sit simplex, & partibus carens, continet plura, vt dictum est quæst. 5. ad 10; ergo cognitio per hoc ipsum, quod cum sit vnica, & simplex, cognoscit vniuersaliter totam naturam, est immaterialis; ergo vniuersalitas spectat, & requiritur ad perfectionem cognitionis scientificæ. In hoc verò, quod rerum naturȩ cognoscantur vniuersaliter modo explicato, non fit vlla fictio. Neque enim intellectus fingit naturam esse vniuersalem à parte rei; hæc enim fictio esset inutilis, immò contraria scientiȩ; sed per vnicam simplicem cognitionem cognoscit naturas vniuersaliter, vt explicatum est.

Ad 5. In quo proponuntur varia dubia, respondeo resoluendo talia dubia.

Primo quæritur vtrum vniuerſale fiat per operationem intellectus agentis, vel per operationem intellectus poſſibilis. Intellectus agens eſt potentia, quæ producit ſpeciem, hoc eſt imaginem ſpiritualem, repræſentantem naturam vniuersaliter: intellectus poſſibilis eſt potentia, quæ format cognitionem repræſentantem naturã vniuerſaliter. De vtroque intellectu, & de eorum diſtinctione agendum in libris de anima. Quæritur vtrum vniuerſale fiat per productionem ſpeciei repræſentantis naturam vniuerſaliter, an per productionem cognitionis? Dico, quod fit per vtrumque. Probatur, quia naturam eſſe vniuerſalem nihil aliud eſt, quam naturam eſſe vniuerſaliter repręſentatam; ſed natura vniuerſaliter repręſentatur tũ per ſpeciem, tum per cognitionem vniuerſalem; ergo natura fit vniuerſalis tum per operationem intellectus agentis, tum per operationem intellectus poſſibilis. Neque quoad hoc punctum præcisè poteſt fieri alia quęſtio, quam de nomine. Quæſtio de re poteſt eſſe, vtra operatio pręcedat, productio ſpeciei vniuerſalis facta ab intellectu agente, an cognitio vniuerſalis producta ab intellectu poſſibili. Sed hæc quæſtio ſpectat ad libros de anima.

Eodem pacto reſpondeo ad alia duo quæ-

quęsita, vtrum vniuersale fiat per cognitionem absolutam, vel comparatiuam: per directam, vel per reflexam. Dico enim quod natura fit vniuersalis per omnem cognitionem, quæ repræsentat ipsam vniuersaliter; sed tum cognitio absoluta, tum comparatiua, tum directa, tum reflexa potest repręsentare naturam vniuersaliter; ergo per omnes istas cognitiones potest fieri vniuersale saltem scientificum; licet fortasse non fiat vniuersale omninò confusum, de quo dicetur sectione vltima.

Vtrum omnis, & solus intellectus faciat vniuersale. Quæstio XXXIV.

PRimo videtur quod omnis intellectus faciat vniuersale. Si enim aliquis nõ faceret, maximè diuinus, & angelicus; sed etiam isti faciunt vniuersale; ergo. Minor probatur, quia ideò cum sensus non faciat vniuersale, intellectus humanus facit, quia est superior, ac perfectior sensu; sed intellectus angelicus, ac diuinus sunt superiores, ac perfectiores intellectu humano; ergo faciunt vniuersale.

2. Quod

2. Quod intellectus humanus faciat vniuersale non spectat ad imperfectioné, sed ad perfectionem ipsius intellectus; sed quidquid perfectionis datur in intellectu humano, datur à fortiori in angelico, & diuino; ergo etiam intellectus angelicus, & diuinus faciunt vniuersale.

3. Intellectus diuinus, & angelicus vident cognitionem, per quam nos facimus vniuersale, cognoscendo naturam confusè; sed in tali cognitione vident reflexè obiectum, & non aliter, quam vt repræsentatur in tali cognitione; quod enim videtur in imagine non aliter videtur, quam prout in tali imagine repræsentatur, atque adeò si per imaginem repræsentatur confusè videtur solum confusè; ergo intellectus diuinus, & angelicus saltem per cognitionem reflexam faciunt vniuersale.

4. Videtur specialiter de diuino intellectu, quod faciat vniuersale. Intellectus enim quo altior est, eo minus descendit ad singula, & eo magis considerat solum vniuersa; sed intellectus diuinus est altissimus; ergo non descendit ad considerationem singularium, sed contemplatur sola vniuersalia. Confirmatur, quia indignum esset intellectu hominis sapientis, vt immoraretur in contemplatione & numeratione singularum muscarum, &

pu-

pulicum; ergo intellectus diuinus vilissima obiecta contemplatur solum in vniuersali.

5. Videtur, quod non solus intellectus faciat vniuersale. Nam in in tantum intellectus facit vniuersale, in quantum tendit in obiectum vniuersaliter; sed etiã voluntas tendit in obiectum vniuersaliter; cum enim aliquis amat bonum tendit vniuersaliter in bonum, non distinguendo vnum bonum ab alio; ergo etiam voluntas facit vniuersale.

6. Videtur, quod etiam imaginatio faciat, ac cognoscat vniuersale. Cum enim lupus famelicus appetit, ac quærit ouem, quam non videt, imaginatur ouem, quam quærit; sed tum non appetit potius vnam ouem, quam aliam, sed quamcumque, dummodo sit expletiua famis; ergo imaginatur ouem non determinatam, sed quãcumque; sed hoc est imaginari ouem in vniuersali; ergo imaginatio lupi cognoscit ouem in vniuersali, ac facit vniuersale.

7. Videtur, quod etiam sensus externi, qui sunt infimi inter potentias cognoscitiuas, faciant vniuersale. Visus e. g. videt in iride, vel in collo columbæ varios colores, qui verè non sunt; sed per talem visionem non est maior ratio cur videat hunc potius colorem viridem,

quam

quam alium e. g; ergo videt vniuersaliter omnes colores virides, adeoque facit vniuersale.

Respondeo duas examinandas esse quęstiones. Prima est vtrum omnis intellectus faciat vniuersale; secunda vtrum solus intellectus, an etiam voluntas, imaginatio, ac sensus externi.

Quoad primam quæstionem certum est, quod omnis intellectus potest habere cognitionem vniuersalem in repręsentando, hoc est talem, vt cum sit vnica, cognoscat plura, immò etiam omnia. Ratio est, quia vt ex Aristotele dictum est quęst. 33. in responsione ad 1. natura intellectiua consistit in hoc, vt cum sit vna, & simplex, sit quodammodo omnia; sed modus cognoscendi proportionatur modo essendi; ergo omnis natura intellectiua potest formare cognitionem vniuersalem in repręsentando, hoc est talem, vt cum sit vnica, & simplex, cognoscat quodammodo omnia. Sed quia ex dictis ad faciendum vniuersale non sufficit cognitio vna quomodocumque repræsentans plura, & omnia, sed requiritur, vt repræsentet illa confusè, ac non distinguendo vnum ab alio, quæritur, vtrum solus intellectus humanus, an etiam angelicus, & diuinus formare posSit talem cognitionem.

Di-

Dicendum, quod intellectus diuinus non potest formare cognitionem repræsentantem plura, & omnia confusè, humanus, atque angelicus potest. Ratio est, quia modus cognoscendi per vnam cognitionem plura, vel omnia proportionari debet modo, quo natura cognoscitiua ita est vna, vt sit quodammodo omnia per continentiam, qua continet perfectionem omnium; sed natura diuina ita est simplicissima, vt contineat omnia perfectissimè, in quantum continet perfectissimo modo perfectionem specificam, & indiuidualem omnium rerum, seclusis imperfectionibus, ideoque potest per se solam omnia causare; ergo diuina cognitio ita est vna, & simplicissima, vt cognoscat omnia perfectissimè, & distinctissimè secundum omnem rationem tum vniuersalem, tum singularem sine vlla confusione, vel imperfectione. Cognitio igitur diuina cognoscit omnia sub qualibet ratione tum vniuersali, tum singulari; e. g. non solum cognoscit, quod Petrus est risibilis, Paulus est risibilis &c; quod est cognoscere homines sub ratione singulari, sed etiam per eamdem cognitionem cognoscit, quod omnis homo est risibilis, quod est cognoscere homines sub ratione vniuersali. Ratio est, quia ad perfectionem scientiæ spectat cognoscere risibilitatem non solũ

de

de singulis hominibus, sed etiam de omnibus; sed Deus sicut omnia continet modo perfectissimo, sic omnia cognoscit modo perfectissimo; ergo non solum cognoscit quod singuli sunt risibiles, sed etiam quod omnes. Neque ex eo, quod cognoscat omnes homines esse risibiles, sequitur vlla confusio in cognitione diuina. Tunc enim cognosceret omnes homines confusè, cum ita cognosceret omnes, vt per eam cognitionem non distingueret singulos; sed Deus ita per suam cognitionem cognoscit omnes, vt etiam distinguat singulos; ergo non cognoscit confusè, sed distinctissimè. Deus tamen simpliciter non facit vniuersale, quia vniuersale est vnum vnitate abstractionis, & confusionis, vt dictum est.

Ex opposita ratione probatur, quod intellectus humanus, & angelicus possunt formare cognitionem repræsentantem plura, vel omnia confusè. Nam omnis natura intellectiua creata etiam angelica ita est simplex, vt sit plura, & omnia solum imperfectè; ergo cognitio, qua cognoscit omnia, debet illa cognoscere imperfectè, ac non distinguendo vnum ab alio. Et confirmatur, quia intellectus angelicus debet posse aliqualiter cognoscere totam naturam humanam, equinam, & alias naturas, cum sit perfectior intel-

lectu

lectu humano, qui hoc potest; sed non potest cognoscere totam naturam humanam, distinguendo omnes homines possibiles inter se; homines enim possibiles sunt infiniti, intellectus verò finitus, qualis est angelicus, non potest cognoscere infinita, illa inter se distinguendo; ergo potest cognoscere solum confundendo, adeoque potest facere vniuersale scientificum. Differunt tamen in modo cognoscendi vniuersalia, & singularia intellectus humanus, & angelicus differentia fundata in diuerso modo essendi. Intellectus enim humanus peruenire non potest ad cognitionem vniuersalium, nisi per abstractionem à singularibus per sensum cognitis; è conuersò intellectus angelicus cognoscit naturas vniuersales cognitione propria, & quidditatiua per species sibi connaturales acceptas à Deo sine vlla abstractione à singularibus. Rursus intellectus hamanus singularia cognoscit solum cognitione exprimente quid per accidens sint, non penetrando distinctè singularitates per se singularibus competentes; at intellectus angelicus cognoscit singularia cognitione exprimente quid per se sint, penetrando singularitates per se singularibus competentes.

Quoad secundam quęstionem, dicendū primo, quod voluntas potest facere vniuer-

uersale proportionaliter ac intellectus. Ratio est, quia in tantum intellectus facit vniuersale hominis e. g, in quantum tendit in omnes homines vnica cognitione confusa non distinguente illos inter se; sed voluntas potest amare omnes homines amore confuso non distinguente vnũ hominem ab alio; ergo &c. Ratio à priori est, quia non minus voluntas in essendo est independens à materia, quam intellectus; ergo non minus potest voluntas per suam operationem tendere in obiectum, abstrahendo à materia, & ab accidentibus indiuidualibus, quam intellectus; ergo potest facere vniuersale non minus, quam intellectus. Neque quoad hoc potest fieri alia quęstio, quam de nomine, dicendo, quod voluntas non facit vniuersale, quia supponit iam factum ab intellectu. Sed hęc erit altercatio de voce, & contra sensum legitimum quæstionis, qua quęritur, an possit voluntas tendere in obiectum vniuersaliter tendentia non distinguente vnum ab alio.

Dicendum secundo: imaginatio non potest facere vniuersale completum, & scientificum, sed solum incompletum. Probatur à priori, quia potentię, quę in essendo pendent à materia, etiam in cognoscendo pendent à materia, & ab accidentibus indiuidualibus loci, temporis &c.

&c; sed imaginatio est potentia materialis, adeoque pendens à materia in essendo; ergo in cognoscendo; ergo non potest cognoscere obiectum, abstrahendo penitus ab accidentibus indiuidualibus loci, & temporis &c; e. g. cum lupus imaginatur ouem, imaginatur ouem nunc existentem in aliquo loco, cum aliqua figura, & cum quibusdam accidentibus indiuidualibus; sed vniuersale scientificum debet esse abstractum ab accidentibus indiuidualibus loci, & temporis, & ab omnibus, quę competunt naturis solum per accidens, vt dictum est quęst. 26; ergo imaginatio non potest facere vniuersale scientificum, & completum. Potest tamen facere vniuersale incompletum. Lupus enim cum quęrit ouem, non quærit potius hanc numero ouem, quam aliã, sed quamcumque, licet non abstrahat ab omnibus accidentibus indiuidualibus; sed hoc est facere vniuersale incompletum; ergo facit vniuersale incompletum. Et ratio à priori, cur imaginatio possit facere vniuersale incompletum est, quia licet sit potentia materialis, tamen est suprema inter potentias materiales, & intellectui propinquissima; sed supremum infimi attingit infimum supremi, vt ex Sancto Dionysio docent Sanctus Thomas, & omnes scholastici; ergo imaginatio,

quæ

quę est suprema inter potentias cognoscitiuas materiales, attingit aliqualiter perfectionem intellectus humani, qui est infimus inter potentias cognoscitiuas immateriales; sed perfectio intellectus humani consistit in hoc, vt faciat vniuersale scientificum omninò abstractum ab accidentibus indiuidualibus; ergo imaginatio potest facere vniuersale non scientificum imperfectè abstractum, quod est vniuersale incompletum.

Confirmatur primo, quia imaginatio brutorum debet posse imaginari cibum etiam non propositum sensui, vt possit quærere cibum etiam cum non proponitur sensui; sed ad hunc finem non requiritur, vt imaginetur cibum, abstrahendo perfectè ab accidentibus indiuidualibus; ergo non debet abstrahere perfectè ab accidentibus indiuidualibus.

Confirmatur secundo, nam imaginatio hominis vtpotè animalium perfectissimi est perfectior imaginatione aliorum animalium; sed nos experimur, quod per imaginationem nunquam perfectè abstrahimus obiectum ab accidentibus indiuidualibus loci, temporis, &c. ergo à fortiori nec imaginatio brutorum abstrahit, adeoque non facit vniuersale completum.

Dicendum tertio: sensus externi nullum

lum possunt facere vniuersale ne incompletum quidem, sed solum attingunt singularia hic, & nunc præsentia. Probatur, quia hæc est differentia inter sensus externos, & imaginationem, quod per sensus externos solum sentimus obiecta hic, & nunc præsentia, e. g. videmus colores hic, & nunc præsentes: at per imaginationem percipimus etiam obiecta absentia; sed obiectum præsens hic, & nunc est hoc singulare determinatum, e.g. hæc determinata albedo; ergo sensus externi possunt solum percipere hæc singularia determinata, adeoque non possunt facere vniuersale, ne incompletum quidem. Ratio à priori desumitur à maiori materialitate sensuum externorum supra imaginationem, vt dicetur in libris de anima.

Ad 1. Nego minorem, in quantum in ea asseritur, quod intellectus diuinus facit vniuersale. Ad probationem distinguo maiorem: ideo intellectus humanus facit vniuersale, quia est superior sensu, ita vt contineat omnia solum imperfectè, concedo maiorem; quia vtcumque est superior sensu, nego maiorem; & distinguo minorem; intellectus diuinus ita est superior intellectu humano, vt contineat omnia perfectissimè, concedo minorem; vt contineat imperfectè; nego minorem;

& ne-

& nego consequentiam. Ratio cur intellectus humanus faciat vniuersale, est quia ita est superior sensu in hoc, quod est continere quodammodo perfectionem omnium, vt contineat solum imperfectè; qua enim modus cognoscendi sequitur modum essendi, potest vnico actu cognoscere omnia, sed imperfectè, & confusè, prout requiritur ad vniuersale, quod etiam valet proportionaliter de angelico: at intellectus diuinus continet omnia perfectissimè; ergo per suam cognitionem cognoscit omnia distinctissimè, adeoque non facit vniuersale, vt dictum est in resolutione quæstionis.

Ad 2. Distinguo maiorem; quod intellectus humanus faciat vniuersale spectat ad perfectionem ipsius admixtam imperfectioni, concedo maiorem; ad perfectionem non admixtam, nego maiorem; & distinguo minorem; quidquid perfectionis datur in intellectu humano datur à fortiori in diuino, seclusis imperfectionibus, concedo minorem; non seclusis imperfectionibus, nego minorem; & nego consequentiam. Quod intellectus humanus possit facere vniuersale spectat ad perfectionem, per quam continet aliqualiter omnia, admixtam imperfectioni, per quam continet omnia imperfectè. Quia enim modus cognoscendi

di proportionatur modo essendi, potest vnico actu cognoscere omnia, sed imperfectè, & confusè, prout requiritur ad vniuersale. At diuinus intellectus continet omnia perfectissimè; ergo potest vnico actu cognoscere omnia distinctissimè, adeoque non faciendo vniuersale.

Ad 3. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo quod videtur in imagine, & ex vi imaginis, non aliter videtur, quam prout repræsentatur in imagine, concedo quod videtur in imagine, sed non ex vi imaginis, nego; & nego consequentiam. Quando homines vident imaginem, & in ea vident obiectum repræsentatum in imagine, si videant tale obiectum ex vi imaginis, & visione ab imagine causata, non possunt perfectius videre, quam ab imagine repręsentetur. Imago enim confusa obiecti non potest causare visionem claram eiusdem obiecti. At si obiectum non videatur ex vi imaginis, tunc potest videri perfectius, quam ab imagine repręsentetur. In casu nostro Deus cognoscens actum, quo nos facimus vniuersale hominis, in eo actu cognoscit hominem; at cognitio diuina de homine non causatur à nostro actu, sed est omninò incausata, ideoque cognoscit hominem distinctissimè, licet actu nostro co-

gnoscatur confusissimè, claritate accepta non à nostro actu, sed à diuina essentia.

Ad 4. Distinguo maiorem; intellectus quo altior est, eo minus considerat singula, & eo magis considerat vniuersa, si à consideratione singulorum impediatur à contemplatione vniuersorum, concedo maiorem; si non impediatur, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Intellectus quo altior est, si sit ita limitatus, vt non possit simul contemplari singula, & vniuersa, contemnit, & omittit contemplationem singulorum vt deteriorem, & totam suam vim cognoscitiuam impendit in contemplatione vniuersorum, quę multo est dignior. At intellectus diuinus est altissimus, & habet infinitam vim cognoscitiuam, per quam potest simul attendere singulis, & vniuersis; ergo simul contemplatur vniuersa, & singula, vt dictum est in resolutione quæstionis.

Ad cofirmationem respondeo eodem pacto, concedo antecedens, & nego consequentiam. Homines sapientes si suam finitam vim cognoscitiuam impendant in contemplatione singularum muscarum, vel pulicum, impediuntur à contemplatione veritatum vniuersalium multò digniorum, sed est indignum sapiente, vt

suam

suam considerationem impedat in obiectis vilibus, à quibus impediatur à contemplatione digniorum; ergo &c. At non est indignum, vt intellectus diuinus infinitus contempletur vilia, à quibus nullo pacto impeditur à contemplatione digniorum, immo quibus non cognitis, non haberet perfectam cognitionem digniorum consistentem in hoc, vt cognoscantur secundum respectus, quos habent ad cætera omnia viliora, & digniora.

Ad 5, & 6. Patet ex resolutione questionis, in qua concessum est voluntatem facere vniuersale, & imaginationem facere vniuersale incompletum.

Ad 7. Nego maiorem. In libris de anima dicetur, quod in iride, & collo columbæ dantur colores non permanentes, sed transeuntes consistentes in lumine aliqualiter obscurato; sed hi videntur per potentiam visiuam; ergo visus videt hos numero colores transeuntes, adeoque non facit vllum vniuersale. Si vera esset sententia quorumdam, quod colores, quos videmus in iride, vel collo columbæ, nullo pacto sint, potentia visiua faceret vniuersale incompletum, sicut imaginatio. Sed hęc sententia reiicitur ex hoc ipso, quia tribuit potentiæ visiuæ virtutem videndi obiectum absens,

quæ virtus propria eſt imaginationis.

Vtrum prædicabilitas ſit proprietas vniuerſalis. Quæſtio XXXV.

VIdetur non eſſe, 1. quia in tantum prędicabilitas non eſſet eſſentia, ſed proprietas vniuerſalis, in quantum natura conſtitueretur vniuerſalis per cognitionem abſtractiuam abſolutam, at verò conſtitueretur proximè prædicabilis de inferioribus per cognitionem comparatiuam cum inferioribus, e. g. cum Petro, Paulo &c; ſed ad hoc, vt vniuerſale ſit proximè prædicabile, non requiritur cognitio comparatiua, ſed ſufficit abſoluta; ergo prædicabilitas non eſt proprietas, ſed eſſentia vniuerſalis. Probatur minor: eatenus enim ad prædicationem prędrequireretur comparatio prędicati cum ſubiecto, quatenus per talem comparationem videri deberet identitas prædicati cum ſubiecto; ſed cognitio, qua cognoſcitur identitas prędicati cum ſubiecto eſt ipſa formalis prædicatio; ergo ad prędicationem prędrequiritur prædicatio, quod eſt abſurdum; vel ſi comparatio non prærequiritur ad videndam talē identitatem, non poteſt aſſignari ad quid prędrequiratur.

2. V-

2. Vniuersale hominis, equi, idemq; dic de aliis, non est prædicabile de pluribus, e.g. de Petro, Paulo &c; ergo prædicabilitas de pluribus non est proprietas vniuersalis. Probatur antecedens; de Petro e.g. potest solum prędicari ille homo, qui identificatur cum Petro; sed vniuersale hominis nō solum dicit illum hominem, qui identificatur cum Petro, sed omnes homines. ergo vniuersale hominis nō potest prędicari de Petro, alioquin possét de Petro prædicari omnes homines, ac posset dici, *Petrus est omnis homo*.

3. Si prædicabilitas de inferioribus esset proprietas vniuersalis, vniuersale etiā cum prędicatur de inferioribus, retineret suam vniuersalitatē; eo pacto, quo quia risibilitas est proprietas hominis, homo retinet humanitatem, per quā est homo, etiā cum actu ridet; sed vniuersale cum prędicatur de inferioribus nō retinet suā vniuersalitatem; ergo &c. Minor probatur: vt homo e.g. sit vniuersalis, debent ità omnes homines cognosci per vnicam cognitionem, vt vnus non distinguatur ab alio; sed cum facio prædicationē, qua dico *Petru. est homo, & Paulus est homo*, ita cognosco omnes homines, vt saltē distinguā Petrum à Paulo; ergo homo nō remanet vniuersalis, adeoque nō retinet suā vniuersalitaté.

Respondeo, quod vniuersale in prædi-

cando, definitur *vnum aptum prædicari de multis*, & vocatur vniuersale logicum. Circa vniuersale igitur logicũ tres quæstiones sunt examinandę. Primo an, & quomodo predicabilitas sit proprietas vniuersalis metaphysici. Secundo an vniuersale constituatur proximè prædicabile per cognitionem absolutam, vel per cognitioné comparatiuam prædicati cum subiecto. Tertio vtrũ vniuersale predicetur de inferioribus secundum totam suam vniuersalitatem, & ita, vt in actuali prædicatione retineat vnitatem.

Quoad primã quęstioné, dicendũ, quod prędicabilitas proxima est proprietas vniuersalis metaphysici, sed est de essẽtia vniuersalis logici. Probatur, quia illud est proprietas rei, quod non ingreditur definitionem & primum conceptũ rei, sed ex definitione consequitur; sed prędicabilitas non ingreditur primum conceptum, & definitionem vniuersalis metaphysici, quod definitur solũ *vnum aptum esse in multis*, & consequitur ex eius essentia, nam ex eo, quod aliquid sit vnum aptum esse in multis, sequitur, vt possit de ipsis prędicari; ergo prędicabilitas est proprietas vniuersalis metaphysici; est tamen de essentia vniuersalis logici, seu proximè prędicabilis, in quantũ est proximè prædicabile, sicut licet risibilitas sit proprietas hominis, tamé

est

eſt de eſſẽcia riſibilis in quãtũ eſt riſibile.

Quoad ſecundam queſtionem dicendũ, quod ad prędicationẽ prerequiritur cõparatio predicati cum ſubiecto. Probatur à priori, quia naturalis modus cognoſcendi proportionatur modo eſſendi; ſed homo eſt per hoc, quod anima, quæ eſt forma vniatur corpori, vt materiæ; ergo naturalis modus, quo homo cognoſcit rem eſſe, eſt vt prædicatũ, quod ſe habet vt forma, vniat intentionaliter ſubiecto tanquã materię; ideoque connaturale eſt homini intelligere veritatem, componendo, ac diuidendo, vt ex Ariſtotele docet ſãctus Thomas p. p. q. 85. art. 5. in corpore; ſed materia, & forma vt ſint inuicem proximè vnibiles realiter debẽt ſe mutuò reſpicere vt perfectibile, & perfectiuum, potentia, & actus ergo vt prędicatum, & ſubiectum ſint inuicem vnibilia intentionaliter, debẽt inuicem intentionaliter referri per apprehenſionem comparatiuam, adeoque nõ ſufficiunt duę apprehenſiones abſolutæ.

Confirmatur à poſteriori ex experientia, & inductione: nã vt cognoſcamus e. g. vtrum duę magnitudines ſint æquales, vel inęquales, vtrũ duę qualitates ſint ſimiles vel diſſimiles, prius debemus eas inuicem cõparare; ergo vt cognoſcamus vtrũ prædicatum, & ſubiectum ſint idem, vel non, prius debemus inuicem comparare prędi-

catum cũ subiecto. Et licet apprehensiones absolutæ determinent immediatè ad comparationẽ, & comparatio ad prędicationẽ compositiuã, vel diuisiuam, tamen apprehẽsiones absolutę nõ possunt immediatè determinare ad prędicationẽ. Ratio est, quia cum operationes, & effectus sunt ordinati, non potest fieri transitus à primo ad vltimũ sine medio, vt potest patere innumeris exemplis, ac præsertim exẽplo conclusionis. Licet enim apprehensiones terminorũ determinent ad assensum præmissarum, & medio assensu pręmissarum ad assensũ cõclusionis, quæ infertur ex pręmissis, tamen apprehẽsiones terminorũ nõ possũt imme diatè determinare ad assensũ cõclusionis.

Quo ad tertiã quæstionẽ dicendũ, quod vniuersale prędicatur de inferioribus secundum totam suam vniuersalitatẽ, & ita, vt in actu prædicationis retineat vnitatem scientificam, licet non retineat vnitatem omnimodã confusionis, quę non requiritur ad scientiã. Probatur, quia per prędicationẽ componimus cũ subiecto, vel à subiecto diuidimus illud idẽ prędicatũ, quod apprehendimus per primã apprehensionẽ; sed per apprehẽsionẽ, qua dicimus *homo*, nõ apprehẽdimus vnicũ hominẽ in singulari, sed hominẽ in vniuersali: ergo per prędicationem, qua dicimus *Petrus est homo*, non prędicamus de Petro vnicũ hominẽ in sin-

gu-

gulari, sed hominẽ in vniuersali. Et hinc probatur, quod prædicatum *homo* retineat vnitatẽ scientificam. Vnitas enim sciẽtifica est, per quam infinita ita cognoscũtur vnico actu, vt coalescant in vnicũ prędicatum, vel vnicum subiectum; sed cum dico, *Petrus est homo*, omnes, & infiniti homines ita cognoscũtur, vt coalescãt in vnicum prædicatũ: ergo prædicatum *homo* retinet sufficientẽ vnitatem scientificam. At non retinet omnimodam vnitatẽ confusionis. Vnitas enim omnimoda confusionis habetur ab actu, quo omnia ita cognoscũtur, vt nullũ ab altero distinguatur; sed per actum, quo dico *Petrus est homo*, ita cognosco omnes homines, vt aliquem hominem, hoc est Petrum distinguam ab aliis; ergo homo in tali actu non retinet omnimodã vnitatem confusionis. At hæc omnimoda vnitas confusionis nõ requiritur ad scientiam. Dummodo enim omnia, & infinita coalescant in vnum prædicatũ, aut subiectum propositionis, non officit, quod non cognoscantur omnimoda confusione.

Hinc patet resolutio aliquorũ dubiorũ. Quæritur, vtrum vniuersale fiat solum per hunc actũ *homo*, an etiã per hos actus *vnus homo, aliquis homo, homines* &c. Respondeo quod per omnes tales actus fit vniuersale scientificum, licet non fiat vniuersale omninò confusũ. Probatur, quia per omnes

istos actus omnes, & infiniti homines ita cognoscuntur, vt possint coalescere in vnicum prędicatum, aut subiectum propositionis; sed hoc solum requiritur ad vniuersale scientificum; ergo &c.

Potest esse specialis difficultas, an per actum, quo dicitur *omnis homo, vel omnes homines* fiat vniuersale, cum omnis homo nō sit prędicabilis de pluribus, dicendo *Petrus est omnis homo*. Sed dico, quod sit vniuersale subiicibile, non verò prædicabile. Vniuersale enim subiicibile est, cum omnia, & infinita sumuntur ita, vt coalescant in vnicum subiectum; sed cum dico *omnis homo*, omnes, & infiniti homines ita sumuntur, vt coalescant in vnicum subiectum propositionis scientificæ, qua dicitur *omnis homo est risibilis*; ergo sit vniuersale subiicibile.

Ad 1. Transeat maior, nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem; requiritur comparatio prædicati cum subiecto, vt cognoscatur identitas, vel conuenientia prædicati cum subiecto cognitione merè apprehensiua; transeat maior; cognitione iudicatiua, nego maiorem; & distinguo minorem; cognitio, qua cognoscitur iudicatiuè identitas prædicati cum subiecto, est ipsa formalis prædicatio, concedo minorem; cognitio merè apprehensiua, nego minorem; & nego con-

consequentiam. Per cognitionem comparatiuam fortasse cognosci debet identitas, vel aliqua conuenientia prędicati cum subiecto, sed merè apprehensiuè, non iudicatiuè. Cognitio verò apprehensiua identitatis non est prædicatio formalis, licet cognitio iudicatiua sit prædicatio formalis. Addo probabile esse cognitionem comparatiuam non requiri ad cognoscendam identitatem, vel aliam conuenientiam ex parte obiecti, sed purè ad hoc, vt prędicatum referatur ad subiectum.

Ad 2. Nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem; de Petro potest solum prędicari ille homo, qui identificatur cum Petro, prædicatione adęquata, concedo; prædicatione inadæquata, vel confusa, nego: concedo minorem; & distinguo consequens; ergo vniuersale hominis non potest prædicari de Petro prędicatione adęquata, concedo consequentiam; prędicatione inadęquata, vel confusa, nego consequentiam. Triplex est prędicatio, quantũ spectat ad rem præsentem: copulatiua, quæ procedit per particulam &, vt cum dico, *homo est rationalis, & risibilis*; disiunctiua, quæ procedit per particulam *vel*, vt cum dico, *homo vel est rationalis, vel hinnibilis*; & confusa, per quam prędicatum affirmatur de su-

le subiecto, neque determinando sensũ co-
pulatiuum, neque disiunctiuum. Prædicatio
vniuersalis de inferioribus non est copu-
latiua, quia cũ dico *Petrus est homo*, non est
sensus, quod sit hic, & ille homo; eo enim
ipso prædicatio esset falsa, quia ad verita-
tē propositionis copulatiuę requiritur, vt
totum prædicatum verificetur de subiecto;
similiter nec est disiunctiua expresse, quia
cum dico *Petrus est homo*, non dico ex-
presse quod sit hic, vel ille homo. Reli-
quum igitur est, vt sit prędicatio confu-
sa, ita vt cum dico *Petrus est homo*, non
affirmem quod sit hic & ille homo, neque
quod sit hic, vel ille homo, sed solũ quod
Petrus habet cum homine aliquam iden-
titatem saltem inadæquatam. Ad veritatē
autem prædicationis confusæ sufficit idē-
titas inadęquata prædicati cum subiecto.
Ad 3. Argumentum probat tantum,
quod non retinet vnitatem confusionis.
Et hęc de vniuersalibus in communi.

FINIS.

Registrum fol. viginti quatuor cum dimidio.

